



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

NYPL RESEARCH LIBRARIES



3 3433 06822901 6



ZFL

Opeto







4

OPERA OMNIA  
SANCTORUM PATRUM

LATINORUM.

VOLUMEN XIII.

19

1910

1911

1912

1913

1914

1915

S. OPTATI AFRICI *Opera*  
MILEVITANI EPISCOPI  
DE  
SCHISMATE  
DONATISTARUM  
LIBRI VII.

ALIAQUE  
HUC PERTINENTIA VETERA  
MONUMENTA.

---

---

RECUDI CURAVIT  
DR. FRANCISCUS OBERTHÜR.



WIRCEBURGI,  
In Officina Libraria STAHELIANA.

---

M DCC LXXXI.

**CONTINENTUR HOC TOMO II.**

**I. EPISTOLA DEDICATORIA.**

**II. MONITUM AD LECTOREM.**

**III. VARIAE LECTIONES ET ADNOTATIONES  
CONTEXTUM OPTATI MILEVITANI IL-  
LUSTRANTES.**

**IV. ADNOTATIONES AD QUAE DAM ALIA VE-  
TERA, CAUSAM DONATISTARUM CON-  
CERNENTIA MONUMENTA.**

AMICO OPTIMO  
VIRO DOCTISSIMO  
CHRISTIANO BOENIKE,

HISTORIARUM IN ALMA JULIA WIRCEBURGEN-  
SIUM ACADEMIA PROFESSORI.

S. P. D.

FRANCISCUS OBERTHÜR.

---

Annus est, cum de itinere Helmstadium quod institueram, *Veterum ad Donatistarum causam pertinentium monumentorum collectioni* a me edi cœptæ, præmissa ad summe venerabilem Helmstadiensem Theologum, mihi amicissimum Henckium, epistola dedicatoria, præfatus sum.

Quæ porro Helmstadii moranti, quæ inde in patriam redeunti, quæ istud ipsum iter, hoc etiam anno repetenti, digna memoratu sunt visa, patere, amicissime Bœnike, ut ad Te, in publicum mei in Te animi testimonium perscribam; similemque cum tuo clarissimo nomine dedicatariam simul & hodoeporicam epistolam alteri *Collectionis Veterum ad causam Donatistarum pertinentium monumentorum*, Volumini præfigam!



Gaudebit sane Henckius meus; plaudetque huic meo consilio: quo verecundior laudator quæ se, suumque Helmstadium adtinent, non sibi in os dicta, sed ad hominem peregrinum relata, legenda præbeo; quo simul intelligit, Te mihi in paucis charum esse, & inter familiares ac necessarios meos recenseri, parique secum --- quod utrumque, suum tuumque nomen, idem a me recusis liber in fronte ferat --- honoris & amoris officio coli, cui ut egregio historiæ conscribendæ artificis, & viro doctissimo, honorem non vulgarem habet, ex quo academiam nostram Juliam, dignam facultate & copia tua, monumentis commendasti.

Magdeburgo Helmstadium ubi perventum erat, in Pandochæo devertor, & rheda ibi relicta, ne hospitem adventantem jam a longe annuntiaret, sed inopinatus supervenirem, ædes Henckii me jam diu præstolantis, pedes accedo. Vix ingressus familiam saluto, cum jam ex vultu quem, cum delineatum possideant, alte jam mente impresserant, statim agnoscor. Peramanter in contubernium & familiam recipior. Blandiuntur, novo hospiti, liberi belli & boni, & optimæ spei, meæ deliciæ; nec facile cum semel me circumdederint, dimittunt, aut suis me expediri suaviis, & confabulationibus sinunt.

Qui innotuerim Henckio, quæris, Ego homo Ostrofrancus, homini Cherusco?

Per-

Pervenerat, nescio quo vehiculo Helmstadium usque, Commentatio in Justinum martyrem meo hortatu scripta, & ex cathedra meo præsidio, a viro, quem nunc Collegam veneror, cl. Adamo Josepho Onymus, cum academicos honores caperet, discussa: prima inter varias alias de re patristica Commentationes a discipulis meis meo hortatu scriptas, & disputationibus publicis, me ut plurimum etiam præside, discussas. Eodem tempore conscribendas de re litteraria universa annuas relationes in se suscipit Henckius, quas, ut meis civibus, aliisque per terras vicinas litteratis viris commendem, datis litteris rogat.

Novæ amicitiae & litterarum commercii, quod ab inde frequentissimum fieri cœpit, opportunitatem optimam eo lubentius arripiendam censui, quod Helmstadiensium Academiæ benevolum, si cui alteri, animum, jam ab eo tempore professus sim, quo primam cepi historiæ litterariæ Theologiæ notitiam. Visum enim mihi est semper liberaliorem de rebus theologicis sentiendi & disputandi rationem, fere a prima ejus origine, potissimum autem inde a Georgio Calixto, ibi viguisse, atque viri hujus summi, & optimi ingenium & eruditionem in Henckio spirare.

Magnum in modum aucta est mea in virum benevolentia & reverentia, cum in ædes ejus admissus, quem de longinquo suspexeram, nunc præsens præsentem per totum ædium

intuitus nec spem delusam, nec famam præsentia minutam, sed potius confirmatam, imo superatam cernerem.

Primo jam, quo adveneram vespere, meus in hæc sensa, atque in hoc judicium præoccupatur animus. Ducor enim, ut decuit fieri homini litterato ab hospite litterato, & ejusdem quidem secum litterariæ professionis homine, in hospitis mei acroaterium, tanquam in sacratius familiæ lararium, communia cum hospite, domus, urbisque genio vota, & primum hospitale sacrum Musis Helmstadiensibus factururus.

Video hic ab utroque cathedræ latere præter Lutheri ac Melanchtonis imagines pendere Calixtum utrumque, Patrem & filium non male pictos; simul, quantum etiam Erasmo Roderodamo, viro incomparabili, æque docto, ac bono, modestoque honorem, --- quippe vitam ejus a Burignio olim scriptam & auctiorem, & ornatorem edidit --- hospes meus deferat, memini; & concludo, viros illum, quos tali honore afficit, quos sibi hoc loco, inter docendi publicos actus, præsentibus habere voluit, tanquam exemplar respicere, quod imitetur, quodque in se exprimat.

Operæ pretium mihi semper est visum, memorabilium amicitiarum qui fuerint ortus, quique progressus, adnotasse. Ut enim, in Physicis naturarum affinitates dum inquirimus, conjunctiones rerum heterogenearum varias ipsi tentamus; unde non delectamur tantum, sed

sed etiam, multa phænomena magna & mirabilia intelligimus; imo alia, tandem inventis, queis effici novi aliquid in vitæ commoda valeat, aut vetustas superari queat, ipsi præparamus.

Sic etiam non tantum volupe est diversos mirosque modos observasse, queis fors homines consociare, atque alios aliis conciliare soleat; sed etiam ex usu est, magnorum sæpe in societate humana eventuum causas, in paucorum hominum fortuito subin sibi innotescentium amicitia, & in unum consilium conspiratione; insignium adeo, quas subeunt integri populi, vicissitudinum, & in moribus mutationum causas, in eorum cum aliis gentibus quali demum cunque fine, & undecunque nato commercio, rationem detexisse.

Simili fere, quo mihi Henckius est conciliatus, modo, ego in alterius Viri, optimi sane, & eruditissimi, qua post plures annos adhuc integra utor fruorque, gratiam & amicitiam veni. Mihi Henckium Erasmus & Calixtus uterque proprius admoverunt. Me in Viri, quam dixi, optimi & eruditissimi gratiam & amicitiam idem Erasmus, & Plinius junior insinuarunt. Vidit iste in Museo quasi ad quotidianam lectionem paratas amborum epistolas; uti revera tunc nullam abire diem passus sum, quin Plinianum aliquid, aut Erasmicum, per intervalla legerem; quod in horum virorum lucubrationibus, epistolis præsertim, quæ au-

Etorem, quis qualisque fuerit, potius, quam quæcunque alia opera repræsentant, a feriis, quæ ad institutam vitæ rationem pertinent, studiis, me recreari sentirem, nec minus animo æque, ac eruditione proficerem. „Noscitur ex socio“ ---- dixit ille, cum miranti, viros me istos magnopere revereri, & familiares habere responderem ---- „qui non cognoscitur ex se.“ Dixit, & amare cœpit, quod & nunc haud mediocriter facit.

Quæ inter *Nos* est, mi *Bœnike*, amicitiam, communis patria, par ætas, longum in Cleri *Herbipolitani* Seminario contubernium, communia præsertim studia fundarunt: non illa quidem sola, quæ nolentes volentes, in pædagogio, & Academia sub iisdem præceptoribus & publicis Magistris tractavimus; sed quæ sponte elegimus, quæ philosophiæ, artibus liberalibus, atque elegantioribus litteris, theodiscis præprimis, consecravimus; quæ ---- hac quidem re, ut fieri absolet, amicitia vinculum arctius contrahebatur ---- quasi eleusynia sacra a profanis, ut tunc erat nostra conditio, abscondere oculis necesse fuit. Primi enim & fere soli inter multos ejusdem Collegii sodales fuimus & plura legere & ultra condiscipulorum --- arrogantius dico? --- vulgus sapere ausi; donec & pluribus hoc genus studiorum placere, saltem ab anathemate tutum fieri cœpit: & theologiæ studiosis licuit e scholasticorum librorum velut tetro quodam ergastulo  
dias

dias luminis auras respirare, atque inde luminis aliquid, & ornamenti illuc reportare.

Diu inter nos æqua ratione culta amicitia; partes utrinque in amoris mutui officiis pares; cum ecce fors facit, ut in amoris non quidem affectu, effectu tamen superarer ego a Te, Tuque testandæ illustriori, quam quod ego hætenus rependere potuerim, documento amicitia, occasionem nanciscerere. Temporis meministi, quo de me diu colluctato tandem scycophantia pene triumphasse videbatur? Alii me tunc pressum & superatum credere: alii, noxæ forem, me bene ceteroquin de se meritum fugere. Tu nullo alias a me beneficio obligatus, in paucis fidelis perstitisti: invidiam publicam non timuisti: solitariū in musæo secessum non declinasti, amici constantia delectatus, qui non cessit malis, sed contra audentior ivit.

Ex gratitudine tamen, cujus tu hic publicum testimonium accipis, mea in Te amicitia ad æquam nunc lancem redit & ab eo die, quo ista primum legeris, paribus iterum, si vis, certamus officiis!

Henckium nosti quis qualisque sit, quæ meæ cum illo amicitia origo, quis progressus; nec minus Tu, mi Bœnike, notus es Henckio. De Helmstadio nunc fave narranti!

Urbs ista, monasterii Verdenensis in Westphalia, supremæ olim potestati subjecta, post in abbatem Dominum suum, --- quem cæsum ad-

huc ruri lapis tegit, ignobile monumentum; -- rebellis, Brunsvicensium Duci pleno jure cessit, ita tamen, ut monasterii perpetuum feudum, Vasallo. Extat adhuc parva monachorum Verdensium colonia in cœnobio urbi contiguos, quod crederes esse tironum fratrum illic studiis vacantium -- ut locus opportunus & percommodus est -- seminarium, nisi aliud ipsi monachi edocerent.

Urbs, ipsa nihil habet, quo commendetur: quæ autem circum est, regio, varia, quæ æque ad inquilinorum delicias faciant, quam peregrinantium animos trahant. Nequid enim de ambulacris dicam; quæ tiliis utrinque septa, opaca, tranquillis æque meditationibus atque familiaribus confabulationibus amicissima, urbem circumdant; quam suavissimum Musis Helmstadiensibus diverticulum offert illustrissimæ gentis Velthemix prædium, Harbecca, cujus sylvæ arboribus, Americæ, quæ ad Septentrionem vergit, alias propriis, jam ad proceritatem educatis, consistæ per totam fere Germaniam, & latius adhuc celebrantur.

Auctor & parens amoenissimi simul & utilissimi nemoris; fuit vir egregius; rerum Brunsvicensium publicarum prius administer; qui, ut viri magni plerumque solent; post actos laudabiliter inter publica negotia annos, tandem rus secessit gentilitium, arbores conservit & coluit, sibi, familiæ, naturæ campestris, musis, amicis victurus.

Huic

Huic fati functo præclara panegyri in solemni academici theodiscæ litteraturæ colendæ, promovendæque sodalitiî Helmstadiensis confessu, ante annos sedecim parentavit, tum huic sodalitiio a secretis, Henckius meus.

Quod quidem prædium me non præteriisse, profecto mi Benike divinabis. Transegimus ibi inter jucundissimas confabulationes, integrum trium horarum spatium, Ego, Henckius, & ex omni Professorum ordine, viri lectissimi. Singulare sane fuit, inter hujus generis arbores, quas nullibi adhuc tam proceras vidi, obambulare. In Americam ipsam, incantamento translatus mihi videbar, sed in eam partem, quæ ab Anglis aut Germanis colonis habitatur; tam enim ex ordine consistæ sunt arbores, tam commodæ sunt viæ, ut industriam & artem hominum non desideres, cum primo intuitu ipsius naturæ opus esse dixeris.

Quantum dolui, præcipuum loci decus, Ferdinandum Velthemium, virum ingeniosissimum, naturæ curiosissimum & expertissimum, inter metallurgos Germaniæ facile principem, simul & humanissimum, ante biennium abfuisse, quem Helmstadienses prædicant, sibi suavissimam reddere sui secessus vicinitatem; tam largiter jacturam nuper factam, mihi compensatam altero meo illuc adventu gavisus sum; misso enim prædio jam mihi cognito, diem fere integram ita cum ejus Domino peregrinando, & utiliter, ut in torum octidu-



um prorogari, quam maxime optaverim; vo-  
verimque Penatibus Harbeccensibus, si Deus  
ita velit, & alterum illuc reditum, & moram  
longiorem.

Harbecca Helmstadium redeunti, osten-  
dunt socii cespitem, quasi agrorum terminum.  
Hic, dicunt, urbis quondam Dominus, Abbas  
Verdensis, si quos apud se habuit capitis reos,  
Goslariensibus iudicibus, ut in eos animadver-  
terent, tradidit.

In alia agri Helmstadiensis regione, quam  
propter via regia Brunosvicum ducitur, fere,  
ad iactum lapidis procul ab urbe, celebre su-  
perest vetustatis remotissimæ monumentum;  
quod tamen cuius rei vere sit, nemo adhuc,  
quin dubium manserit, rite explicavit, ut ut  
plures id tentaverint, nec improbabilia dixerint.

Clivus ex congesta terra, arte factus, nunc  
cespite obductus, quasi vallum aliquod, in li-  
nea non omnino recta, agrum fere medium  
fecat. Lapidēs sunt illi impositi tantæ molis,  
ut, qua arte illuc sint advecti, elevati, ac juxta  
se positi, capere nequeam. Hem, exclamo,  
ut primum jam de longe video, hoc Cherusco-  
rum olim mystæ vel templi loco habuerunt, vel  
illustri eventui, aut gentis suæ facto egregio,  
monumentum, aut Heroibus sepulchrum posue-  
runt!

Fessus circumeundo lustrandoque in lon-  
gum porrectum aggerem, recubui aliquan-  
tisper super lapidum horum unum, quem com-  
modio-

mōdiorem ceteris inveneram, multis altisque votis crepusculum, vel noctem plenilunio clarā advocans: o si nunc solitario, dixi, mihi, ut solent, si qua sexcentis infomniis, si qua vatum testimoniis fides, Manes noctu loca adsueta, amataque repetere, Cheruscorum veterum Ossianus aliquis, gesta majorum ad cytharam caneret? aut ipsi huc conventum redirent prisca Heroes populorumque Duces, ad loca suis factis famosa, quin conspectum fugerent aut conscientiam hominis adhuc quidem mortalis, non tamen ab omni cum mortuis consuetudine abhorrentis!

*Academia*, quæ in hac urbe floret, fundata est anno seculi XVI. septuagesimo septimo a forti, & magnanimo principe Julio, hinc schola Julia vocata æque ut Herbipolitana. Viros Conringio & Georgio Calixto majores, vix tulit. Post Calixtum hunc inter Theologos Helmstadienses eminuerunt Joannes Andreas Schmidius, magnum historię ecclesiasticę, quam Calixtus fere solus una cum Theologia morali in lucem revocarat, præsidium: & Joannes Fabricius, regii Lothariensis monasterii abbas, theologici responsi auctor, quo adducebatur Caroli VI. sponsa, princeps Quæstpherytana, ut ad Catholica sacra transiret, uterque Leibnizio amicissimus; postea Moshemius, vir maximi inter theologos nominis & meriti.

Alterius ordinis professores, qui quondam hanc Academiam illustrarunt, uti non tam prope

pe ad me pertinent, pace, suorum Manium, silentio prætereo, præter Eccardum, egregium historicum, postea nostrum; & Heisterum, quem ipsi etiam Helmstadiensibus invidebamus, magnis, uti ipse in Academix nostræ annalibus refert, promissis stipendiis huc invitatum, nec tamen, ut veniret permotum.

Florent non minus hodie in alma Helmstadiensium Julia magni nominis & meriti viri, quos inter duos tantum tibi nomino, ne omnem tibi, quotquot hic sunt, Professorum elencum recitare cogar, singulari titulo mihi memorandos: unum, Carpzovium, Henckii mei focerum, & ætate æque ac ordine inter reliquos Professores primum: alterum. Beyreisium, hominem, adeo doctum, & divitem, ut nihil supra possit addi.

Carpzovius, e gente ortus diu ab hinc a litteris & eruditionis fama illustri & inclita, avitos honores, ipse eorum hæres, magna accessione auxit; partem autem in Henckium suum generum transtulit; qui reciproco officio splendorem Carpzovianæ gentis auget, tantum reddens, quantum accepit. Doleo cum Helmstadiensibus Musis, omnique litterata civitate, virum illum, & senem esse, & cum adversa valetudine in diuturnam luctam commissum.

Portento similia visa sunt, quæ de Beyreisio, ejusque gazophylacio audivi. Præsens rem fama, & exspectatione majorem reperi!

Mühlhufæ in Thuringia natus est. Corpus habet statura justa, cetera tenerum & gracile. Facies animum humanum, ingenium mite, mentem alacrem, industriam, semper occupatam, intentamque prodit. Comiter excipit quemcumque hospitem, & tractat liberaliter. Nunquam fatigatus, ipse solus per diem noctemque integram -- quod sæpe fit, mihi que ipsi contigit -- gazophilacii sui curiosis spectatoribus non interpretem tantum agit, sed bajulum etiam; ut ipse ex aliis cubiculis apportet, quæ spectent. Plerumque ad cœnam invitat lautam, & elegantem, quos per totum diem habuit se strenue fatigantes. Extollit viri humanitatem, omnibusque gratificandi studium, quod non gravetur sæpius idem per hebdomadam facere, nec tantum rerum peritis, qui æstimare, qui in usum suum vertere, tam quæ viderint, quam quæ audierint, sciunt, indeque aliquo modo viri labores consolantur, & compensant; sed etiam plebeis, qui æque omnia mirantur, & circumforaneum funambulonem, & præstigias inanes, & grandia naturæ phænomena, & sapientem, naturam arte & industria imitantem; quos Flaccus ait, media inter carmina poscere aut ursum, aut pugiles. Omnium quæ ostendit, rationem reddit, totumque pandit statum, stupendæ vir memoriæ, eruditionis maximæ, studii indefessi, animi ad tam diversa pari modo intenti, stili etiam in scribendo & narrando sane venusti. Vitam vivit quotidie occupatissimam: tredécim quandoque horas

ras publicis varii argumenti, prælectionibus dicunt impendisse. Ægros invisit non negligenter, rusticanos etiam, subin paulum ab Helmi-  
stadio remotiores. Commmercium quoque litterarum colit diligenter. Ad respirandum, animamque recreandum & corpus, pauca sibi momenta velut decerpit; parum juris hocque raptim carptum & haustum totius prandii & cœnæ loco est; quam tamen sibi frugalitatem cum hospites ad cœnam vocat, compensare videtur; id sibi etiam tunc indulgens, quod hospitibus paravit dulce a laboribus otium, & cœnam lautio-  
rem. Virum liberaliorem vix inveneris, sicut vix ullum sui ordinis locupletio-  
rem; pauperibus enim non medici tantum opem impertit gratis, sed medicinam quoque, cui non raro pecuniam quoque addit, qua eorum egestas suble-  
veretur. Majus hoc liberalitatis, vel si mavis, ingenui candoris, bonæque fidei, documentum est, quod siquid venum expositum videt, quo delectatur, suumque augeri gazophylacium cupit, ipse primus licitatur, multo minoris emturus, si rei possidendæ desiderium dissimulasset, pretiumque prius a venditore statui expectasset.

Quidquid est, quidquid habet, sibi fere soli debet. Relicto consanguineis omni suo patrimonio, sola sua industria, uno suo studio, chemico præsertim, tantas sibi divitias comparavit. Singulare est, quod filius adhuc familias, pene puer, patri, sibi de novis a Vaucansonio  
in-

inventis effectisque machinis, ipsis illis, quas nunc possidet, narranti responderit tanta fiducia, quasi voti jam certus: "Ecce hæ aliquando in manus meas devenient!,, objurganti autem patri temeritatem, stolidamque præsumptionem, replicaverit: "Decretum mihi est, meo studio, mea industria tantum æris comparare, ut horum etiam automatum aliquando fieri compos possim.,, Eja, dixit pater, & filii votis, sanctoque proposito applausit.

Hæc viri imago! Gazophilacium ipsum ut perlustres paulo adtentius, dies non sufficient; nec unum illi describendo volumen par est. Quocunque demum in genere natura, aut ars rarum ac singulare quid habet, quidquid ad juvanda varia in academiis studia adjumenti esse potest, ejus certo specimina nec vulgaria in Beyreisiano gazophylacio deprehendes. Sunt libri rarissimi: sunt tabulæ pictæ & æri incisæ: est numophylacium copiosissimum: sunt lapides, atque hos inter pretiosissimi: sunt æra, plantæ, animalium rariores reliquiæ, arte anatomica præparatæ, atque has inter illæ, quas inimitabili industria & arte, impendioque sumtum maximo, Berolinas quondam Lieberkühnius præparavit. Sunt instrumenta imitandis explicandisque phænomenis naturæ, curandis corporibus læsis, juvandæ humanæ industriæ idonea: sunt automata illa Vaucansoniana, summum industriæ & solertiæ humanæ opus, quo viso stupuit natura æquari.

Præter Beyreifianum istum omnigenæ per-  
ne gazæ apparatus, quem possessor genero-  
sus, aliorum distrabi haud sinæ velim, hæbet  
Helmstadiensium academia non contemnenda  
scientiarum adjumenta; non ea tamen, quæ  
omnium desideriis sufficerent, atque cum foro-  
riæ Gœttingensis academix privilegiis compa-  
rari possent. Bibliotheca locuples est codici-  
bus Mscptis iisque pretiosis.

Deliberatum est diu, num Augustam Quel-  
pherbytanam, Helmstadium transferri expedi-  
ret, profuturam ibi tanto magis, quo plures  
hic sunt, qui eam in usum suum vertere vale-  
ant. Nunc alia versantur consilia, de tota Ju-  
lia Helmstadio Quelpherbytum translocanda.  
Magnæ utrobique difficultates: majores ipsi-  
us academix translocationi obstant. Cum ta-  
men hoc e re Musarum Brunsvicensium esse  
quam maxime videatur, providebit sapientissi-  
mus Musisque juvandis natus Princeps, ut ali-  
unde suppeditetur Helmstadiensibus quo ha-  
beant tantundem lucri, quantum ex academia  
in ipsos redundavit; cum quibus forsân jam  
tum bene actum puto, si ad majorem industriam,  
lucrumque, potius ex opere manuum atque  
hoc quidem certum captandum, adigantur, a  
dura, optima tamen magistra necessitate; quan-  
do spem sibi omnem lucri qualiscunque, sibi  
licet otiosis, ab academia proventuri præscisam  
sciverint.

Refero etiam inter Academiæ Juliæ com-  
moda, & simul ornamenta, quod singulari,  
quem cum solis Wurtembergensibus Theolo-  
gis communem habent, honore gaudeant Theo-  
logiæ hic Professores. Abbatialis enim digni-  
tas, atque in monasteria inspectio suprema, cum  
jure, ac privilegio crucem auream in veste,  
mitram vero & pedum, omniaque ipsius mo-  
nasterii arma, suo sigillo inserta gestandi, iis a  
Principe conceditur. Talem dignitatem, prin-  
cipum olim virorum privilegium, primus inter  
Helmstadienses Professores Theologos gessit  
Georgius Calixtus. Sane floreat necesse est  
bona studia, ubi tantis, qui illa profitentur, ho-  
noribus ornantur, & præmiis alliciuntur!

Nec prætereundum, quod Helmstadiensi  
Academiæ ex adjacenti monasterio & Catholicæ  
religionis, quæ ibi fit, confessione, commo-  
dum nascitur. Uti enim Monachos, si quæ co-  
lunt studia, juvat esse vicinos Academiæ, sic  
Academiæ Protestanticæ confessionis prodest,  
habere prope, qui possint de rebus ad Ecclesi-  
am Catholicam pertinentibus consuli, & ad  
quorum sacra possint venire, si qui ibi Catho-  
licæ confessionis juvenes studiorum causa com-  
morantur. Quod quidem memoratum mihi po-  
stremo loco commodum, scio alias Academi-  
as desiderasse, alias jam obtinuisse; alias in eo  
esse, ut sibi quamprimum procurent. Alma  
quidem salana Thuringiorum haud diu, forsân  
non ultra vernum tempus id sibi deesse patietur.



Totum optime Bœnike! Helmstadium & quidquid ad Academiam, quidquid ad viciniam visu dignum pertinet, perlustravimus. Quidsi nonnihil temporis, donec hinc migremus, causæ Calixtinæ demus, magnæ sane, illustri, & Donatisticæ haud parum affini. Hoc enim præcipue loco acta est: hic herois in hoc causa primi & acribus vexis exagitati, cineres in pace quiescunt.

Vis? media utut hyeme cum hæc scribo teneamur, nobis imaginemur, ætatem nos vivere, diemque in Musæo egisse calore et labore fessos, jamque vespertinis horis, quod domi solemus, sub Tiliarum umbra, quæ, ut sunt anno sæ, bonum quandoque recrearunt Calixtum, totum circum Helmstadium obambulare. Faciet amœnitas ambulacri, & cogitatio, te ipsa Herois, quo de tibi narraturus sum, vestigia premere, ut minus fastidii tibi causet, narratio rei jam notæ, forsitan paulo prolixior futura.

Calixto ex quo mihi, vir iste innotuit, inter Augustanæ confessionis theologos, qui superiori seculo inclaruerunt, summo, & ipso Bossueto teste, omnium ecclesiæ catholicæ adversariorum doctissimo, honorem & amorem detuli non vulgarem, & rerum ad ipsum pertinentium avidissimus evasi. Præter Walchii tamen de controversiis in Lutherana Ecclesia motis relationes, pauca viri scripta fors in meas manus detulerat.

Postquam autem illi scilicet Sionis luthera-  
næ custodes, tantos clamores excitarunt de ne-  
scio quo magno incendio, quod ipsi a Catho-  
licis immineret, qui uno fere communi consi-  
lio, uno facinoris auctore, variis machinatio-  
nibus usi, diversis larvis tecti; in ejus ruinam  
conspirarint, agantque: Hem, exclamavi, quam  
nihil sub sole novi! & causæ Calixtinæ recor-  
datus sum.

Indignatus incendium clamari, cum fatuos  
hinc inde ignes sane non metuendos cernere  
fuerit: magis autem contristatus, spes, quas  
magnas diu conceperam, fore tandem ut inter  
diversas in una communi patria Germania,  
Ecclesias, si non symbolorum, saltem animorum  
concordiam, & liberum controversorum dog-  
matum examen, elusas esse, saltem in longius  
tempus rejectas; solamen aliquod in eo quæsi-  
vi, ut causæ Calixtinæ documenta curatius scruta-  
rer; imo ipsas arenas visurus proficiscerer, ubi  
causa est decertata. Academias puto, Helm-  
stadiensem, ubi Calixtus: Wittenbergensem,  
ubi Calovius agebant: præcipue autem, quæ  
nullis, nisi veritatis, addicta partibus totum  
fere certamen in se convertit, almam Jenen-  
sium Salanam.

Multa ubique quæ hanc causam concer-  
nunt collocutus, multa momenta domum me-  
cum reportavi; Jenæ præsertim ingens hujus  
unius causæ monumentis dicarum, scrinium, e  
Bibliotheca viri amicissimi Griesbachii expilavi,

mecumque ut est viri optimi indulgentia --- in meum, quo commodius uterer, Musæum interim transtuli.

Summopere gavisus sum, magnam scenæ immutationem vidisse: Helmstadienses impune & in pace, pacifice sentire posse, quin a Wittenbergensibus petantur: potius pari cum Helmstadiensibus modo, idest docte & modeste, sentire nunc Wittenbergensem Reinhardum, Griesbachium & Dæderleinium Jenenses Theologos: & benevole ubivis receptum, ac amice ab his omnibus habitum me, qui hæc, amice Bœnike, tibi narro, Theologum Wirceburgensem.

Augurium inde cepi, dissipandas quoque fore nebulas istas spei meæ, & pulcherrimo in quasi jam proximam almæ pacis ætatem auream, prospectui interpositas: fore potius --- tanta est mihi in sensuum iudicium diffidentia, & in sapientissimi Numinis providentia posita fiducia --- ut medias has inter turbas, dum bella parari timemus: inter ipsas has densas nebulas, queis spes nostras suffocari dolemus, Deus interim contraria agat, simusque hoc magis miraturi, dum sopitis turbis, dissipatisque nebulis, ipsas oleas, pacis symbolum, simulque in pacis & amoris fraterni ipsiusque religionis christianæ triumphos, nobilem laurum interea succrevisse viderimus, ubi vastitatem inductam terris, anxie rebamur.

Audisti prologum, amice Bœnike! jam ipsam percipe compendio fabulam, sed utinam fabulam!

Georgius Calixtus ---- ut brevem Herois, cujus in fabula primæ sunt partes, vitæ curriculum noscas --- patria Hollstenus, post instituta per Germaniæ Academiæ, & florentissimas tunc cultissimasque Europæ regiones, per Italiam, francogalliam, Belliumque itinera, tandem Helmstadii Professor, post primus ex Professorio ordine Abbas, & monasterio quidem Regio-Lothariensi præfectus, vir doctissimus simul & modestissimus, ac mansuetissimus, vivere desit anno ætatis septuagesimo, Christi quinquagesimo sexto post millesimum & quingentesimum, professionis theologicæ quadragesimo secundo.

In virum hunc egregium, ob solum pacis & æquitatis, quo ferebatur, studium, acre & diuturnum bellum concitatur, nec cum ejus morte finitum. Christianorum Ecclesias, quantum fieri posset, componere voluisse, primum: Non esse tantum inter suæ, & aliarum ecclesiarum dogmata intervallum: multa verbis potius quam re differre, statuisse, alterum crimen Calixto impactum: utrumque syncretissimi & cryptopapismi invidioso nomine compellatum, movendi agendique belli acerrimi & causa, & tessera fuit.

Quanta cum viri optimi injuria, sui que infamia antagonistæ hanc illi dicam scripserint,

qui ejus scripta ipsa procul partium studio legerint, virumque in cute ut ajunt, noverint, quique simul altius in Theologiæ sacrarium penetraverint, sciverintque quantum distent æra lupinis, facile æstimabunt.

Etenim, quod alterum accusationis caput adinet, nemo hac nostra ætate dubitat, multa olim inter Doctores, sensu concordēs, verbis dissentientes, dogmata fuisse disputata, de quibus porro in academiis disputari, obsoletum est. Ejus generis sunt, quæ Justificationem, quæque bonorum operum necessitatem, meritæve spectant.

In primo autem accusationis capite, quid quantumque criminis, de iis quibuscum tibi non in omnibus dogmatibus convenit, honorifice sentire? ipsas differentias quantum fieri potest, imminutas velle? excusare & amare, cum quibus in concordiam dogmatum, & ecclesiasticæ communis venire nequeas?

Quod tot aliis majorum, nostraque etiam ætate mitioris atque humanioris animi viris in votis, multorumque moliminum scopus fuit, dissentientes Christianorum Ecclesias, quantum fieri posset, componere, id Calixtus quoque & optavit, & efficere adnissus est pro sua parte.

Qui quidem videtur mihi congenita primum naturæ bonitate, & nativo ingenio moderatissimo, ita ut sentiret, præparatus, postea peregrinando, humanitatis sensum acuisse: potissimum autem genuina studendi ratione confirmasse,

rmasse, atque in totius vitæ habitum convertisse.

Facit enim nihil magis ad justam ingeniorum & animorum moderationem, quam multarum diversarum ordinis, & diversarum etiam regionum hominibus, quæ peregrinationibus obtinetur, consuetudo. Et est genuinum, si quid iudicandi, æstimandique hominis literati, num vere doctus, num genuina utatur audiorum suorum ratione, præsertim num sinceritatis amore actus studia colat, & profectatur? criterium: si modeste illum de sua opinione sapere: si adversariis quæ sua sunt, tribuere: si varias quorumvis dogmatum, ex quibus illa intueri & liceat, & usuveniat, pars esse & nosse, & fateri, deprehenderis.

Syncretismi quidem ---- ut ad specialiora accusationis capita veniam ---- omnis si qua fuerit, suspicio, exempta mihi fuit, Calixtina scripta ipsa legenti: suæ enim Ecclesiæ, fideique ipsius, quantum ejus sibi ratio constitit, probaque fuit, tenacem inveni, etiam ubi modeste Catholicis dixit, scripsitque, & pacis cogitationes volutavit. Quæ aliarum Ecclesiarum si erronea sunt visa dogmata, errores vocare, eutiquam dubitavit.

Qua Una apologia omnis simul Indifferentismi, hoc tamen crimine auctorem, postquam ipsa scripta rite perlegerit, si quis notare potuerit, omnis accusatio percussa concidet.

Cryptopapismus demum temere profecto illi objicitur, quem nec Romana curia patronum, fautorem, vel asseclam optaverit, nec Catholicorum ullus talem cognitum judicaverit: multa quippe eaque gravia contra illam disputat.

Ecce tibi, amice Bœnike quædam ex scriptis Calixti fragmenta, ex quibus vel solis & totum qualis fuerit, virum noscas, & causæ ipsi motæ, quantum sit, pondus æstimes.

Duo sunt inter plurima alia Calixtina scripta, quæ auctoris totum animum manifestius produnt, ac propterea etiam sola mihi excerpenda visa. Primum, Programma, quod a Nihusio, suo quondam auditore & amico, postea acerrimo, religionis Catholicæ, quam amplexus fuerat, ut sibi videbatur, gratia, adversario, provocatus, ad omnes, qui in Germaniæ nostræ Academiis Pontificis partes sectantibus, publico docendi munere frunguntur, evulgavit, *Digressio de arte nova* ---- ita Nihusius suum libellum inscripserat ---- nominatum. Alterum: *Scripta facientia ad Colloquium Thorunense A. 1644. indictum, deinde autem usque in annum sequentem diemque 28 Augusti dilatatum cum Georgii Calixti consideratione & epicrisi.*

Commentarium verbis addere Calixtinis superfluum visum est mihi, ad Te mi Bœnike referenti, virum intelligentem & perspicacem. Sola igitur verba audi sine commentario!

Quo

"Quo potius --- alloquitur Theologiæ apud  
 Catholicos, Professores in Programmate anti-  
 Nihufiano Calixtus --- quam ad eos me con-  
 vertam, quos ut egregia eruditione, ita quo-  
 que humanitate & virtute excellere, pacisque  
 & concordia non minus, quam veritatis stu-  
 dio flagrare credo? Hoc, enim de vobis mihi  
 persuasi, nec de quoquam erudito viro aliter  
 ut statuam, inducor, nisi aliud evidenter appa-  
 ruerit. Persuasi sane mihi id quoque, errori-  
 bus nonnullis, & forte nec paucis nec levibus  
 adstipulari: sed quos a majoribus & magistris  
 acceptos nulla mala fide conscientia vos tue-  
 ri, itidem mihi persuasi. Ut de me, meisque  
 Collegis, & reliquis Confessionis nostræ sociis,  
 de quibus vos, quod nos de vobis, reciproce  
 statuitis, id ipsum pariter pro certo habeatis,  
 & oro & exspecto. Alteri alteros errare cre-  
 dimus; & hoc mutuum est. Sit id quoque  
 mutuum, ut alteri alteros nulla neque malitia  
 errores amplecti, neque pertinacia erroribus  
 inhæsurus esse credamus. Ita alii alios minus  
 averfabimur, & magis amabimus: benevolen-  
 tia quoque & commiseratione potius, quam  
 odio prosequemur, quos existimabimus, nulla  
 sua culpa, sed necessitate quadam & quasi na-  
 scendi lege erroribus, e quibus hactenus sese  
 expediri nequiverint, irretiri. Magna vis est  
 opinionis, quam parentes quasi ipso cum lacte  
 instillarint: primi pueritiæ informatores tenel-  
 lis animis ut ceræ impresserint: quam deinceps



diuturna adfuetudo, & omnium eorum, quibuscum verferis, consensus firmet. Tot funes præscindi, tot retinacula abrumpi, tantæ compedes excuti nonnisi summa cum difficultate possunt. Neque semper, qui diversa tuentur, ea vel mansuetudine, vel dexteritate, sua proponunt, ut non interdum magis abalienentur animi, quam alliciantur.,

“Equidem Manichæis neque vos ad similo, neque nos a vobis ad simulari spero. Utriusque tamen nostrum veritatem sententiarum nostrarum inter nos disceptaturis, magno usui fore censeo, si in mentem vobis veniant, quæ de illis S. Augustinus contr. Epist. fund. c. 11. scripsit, & in disquisitione mutuiter observari cupit. Permittatur sane cuique, ut de sententia suâ apud animum suum sibi certissimus esse videatur: ceterum, ubi ad disceptationem ventum fuerit, id saltem præse non ferat, sed in sua, tanquam non omnino certa, in quibus fieri queat, ut jure aliquid desideretur, inquiri patiatur. Ita enim, quæ vel contra suam, vel pro aliena sententia adferentur, animo quo minus commoto, eo magis adtento admittet, sive, ut Augustinus loquitur, veritas & diligenter, & concorditer quæri poterit.,

“Verborum autem nimis prodigus fuerit, qui ostendere conetur, quam nos, sive veri Christiani, sive boni cives audire velimus, deceat, quam communi quoque patriæ necessarium sit, ut tandem aliquando de igne dissidiorum

rum

rūm nostrorum, quæ totius Europæ incendio pabulum subministrare videntur, sopiendo, aut, si ea spes nimis vasta est, saltem minuendo cogitemus. Dubium enim nullum est, nos per mutuam illam vehementissimam & acerbissimam animorum abalienationem pristinam gentis nostræ decus, quin omnem prosperitatem paullatim amittere, & nobismetipsis, patriæque universæ perniciem, & πανολιθηριαν accersere. Internecinum istud odium mitigabitur, si palam fiat, alteris, qui alia credunt, quam alteri, causas, quare ea credant, non deesse. Extinguetur autem penitus, si quæ sufficientes causas, quare credantur, habere deprehenduntur, aut, quod eodem recidit, valide, & evidenter probari possunt, ab alteris quoque quamvis repudiata hæctenus, admittantur; alteri autem vicissim, quæ ad eum modum probare nequiverint, credere, vel saltem alteris credenda obtrudere desinant. Est vero non modo ingenui candoris, sed & proclivitatis, ad quam a natura facti sumus, ut quique quæ e principiis quæ sola ipse certa, & vera agnoscat, perspicue deduci viderit, lubenter admittat: quæ vero inde nulla efficaci ratione elici posse intellexerit, missa faciat, vel certe pari cum prioribus loco non habeat.,,

“Duo vero sunt principia, quæ tanquam certissima & extra omnem dubitationis aleam posita utrimque admittimus, quæ etiam sufficere credimus, ut nequidem de pluribus, e  
qui-

quibus articuli fidei, & quæ ad salutem necessaria sunt, solide evincantur, constet. De his in suo *Commonitorio* noster Vincentius --- Lirinensis, quem Calixtus ediderat, novum moderatissimi sui ingenii monumentum --- in hunc modum: *Qui in fide sana sanus, ac integer permanere vult, duplici modo munire fidem suam Domino adjuvante debet, primo scilicet, divinæ legis auctoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.,,*

Præclare posthac dislerit de *Scripturæ S.* in dijudicandis rebus fidei usu: de *Traditione* vero ita, uti Theologum decet philosophia in theologicis etiam studiis rite utentem, ita: ut Catholicorum nemo, melius.

De *Colloquiis* religionum componendarum gratia habitis, habendisque sapienter sane sentit, qui homines in cute norit.

“Colloquiorum --- ait --- quæ instituta olim sunt non fuisse fructum, quantum eorum auctores sibi promiserant, res ipsa clamat & paullo ante Imperatorem Ferdinandum testari audivimus. Quid vero, si non omnis propterea per Colloquia in melius proficiendi spes abjiciatur, sed ipsa potius colloquendi ratio parum immutetur? Quid si non coram committantur, qui colloquuntur, sed conclavibus separati scriptionis adminiculo utantur? In congressu, & sermone ultro, citroque habito nonnunquam præcipitantiâ peccatur, calescunt quandoque animi, aut etiam excandescunt, ut ho-

homines sumus omnes; nec singula ex æquo meditata proferri, certe ex consilio & consensu omnium proferri non possunt, ubi omnium sociorum nomine unus tantum, quod tamen omnino decet, loquitur. Segregari quoque oportet, ubi præter veritatem nihil quærendum est, *Φιλονεικίαν*, cavillandi libidinem, & gloriolæ e linguæ, ingeniique promptitudine aucupium. Hujusmodi incommoda vitari posse verosimile fit, si non voce inter congressos coram, sed scripto inter disjunctos, sive cœnaculis divisos, & utrimque idonea librorum supellectine instructos res agitur. Medio inter utroque loco seorsim subsistant arbitri utrimque delecti, viri boni, & eruditi, linguis inprimis periti & rationis disputandi, soluti juramentis quibus alterutri forte parti erant adstricti; quibus etiam agentes, si ita colloquentium vicem appellare libeat, solvi cupiam, & cum illis, tum hos uni soli veritati sacramentum dicere.,

In hoc quoque bene & commoda ad finiendas lites methodo, agit, quod fidei Lutheranæ typum Catholicis, cum quibus illi hoc in libello res est, Theologis exhibeat, ponatque ex adverso doctrinam Catholicam, quatenus est ab illo discreta, eo fine ac voto, ut vel illum refutent, hanc autem idoneis ad convincendum argumentis probent; vel secum consentiant. Fallitur vero in eo, quod crassiora quoque illa nonnullarum scholarum commenta pari ratione a Catholicis omnibus haberi, aut ut-

genui-

genuina fidei dogmata, habita fuisse supponat, saltem supponere videatur.

“Cur omnes eos ---- ait illa *ad scripta Thorunensia Epicrisi* ---- qui suscepto baptismo unum Deum creatorem cœli & terræ, P. F. & Spiritum S. venerantur &c. cur inquam hos omnes cives regni Dei, ac Christi habeam, nec eorum quempiam, nisi de ejus adversus conscientiam peccandi, & in peccatis perseverandi libidine certo constet, excludere ausim, alibi exposui. Ita vero credere eos, qui hodie Pontificii, Lutherani & Calviniani ---- utor tantisper receptis vocabulis ---- vocantur, notum est, & extra controversiam. Consequens igitur est, hanc fidem ad salutem eis sufficere, & modo non secundum carnem ambulent, sed secundum spiritum, salvos fore, nam si secundum carnem vixerint, morientur. Quo etiam pertinet, si quis verum, quod verum esse non ignorat, sui compendii & redditum sive acquirendorum, sive retinendorum, vel etiam existimationis conservandæ gratia, erroris insimulet, improbet, aut damnet.,,

“Etiam si itaque quæstio de articulo fidei proprie ita dicto directe non moveatur, nemini tamen licet decisionem amplecti, & profiteri, quam falsam esse persuasus fuerit, & rejicere ac damnare eam, quam noverit esse veram; non quidem, quod a tali decisione Deus salutem suspendarit, aut absque illa cognita & admissa neminem servari velit: sed quod homi-

nem

nem adeo improbum, ut reluctante conscientia falsa laudet, vera culpet, & explodat, ferre nequeat, gratia vero sua, & beatitudine dignari plane nolit. Ergo talis salute excidet non propter errorem intellectus, sed propter pravitatem voluntatis. Quamvis igitur fundamenta salutis, quatenus in articulis fidei ab intellectu apprehendentis sita sunt, apud quamvis trium illarum partium integra superesse videntur; non tamen perinde fuerit, quam ex eis sequaris, vel liberum pro libitu ab una ad alteram transire.,,

“Si degeremus inter paganos, vel vicini eis essemus, id nobis incumberet, ut e præcipitio in viam salutis eos traducere anniteremur. Nec aliter quod Muhamedanos adinet, vel Judæos, qui in medio Christianorum plurimis in locis versantur, agere oportebat. Ceterum si vel cum paganis res nobis esset, etiamsi dilectione fraterna, qualem inter Christianos mutuam esse decet, non prosequeremur; humanitatem tamen, quam homines hominibus debemus, exhiberi fas esset. Errores igitur ob oculos poneremus, convelleremusque; esse proponeremus præsentissimum animæ periculum, quod evitari non possit, nisi deserta erronea superstitione, & admissa Christiana veritate. Hæc inquam bono animo & benigne inculcavimus, eo etiam dubio procul felice successu, quo majore comitate, & majoribus benevolentiaë indiciis, quem certe odia & crudeles

inimicitia & acerba convicia non redderent secundum, sed interciperent potius, & everterent.,,

“Quomodo igitur eos tractabimus qui ita credant, ita se gerant, atque ita sint animati, quemadmodum ibi describebatur? Equidem si tales, quales ibi descripti sunt, fuerint, profiteor & testor coram Deo, & SS. Angelis me non posse alio loco habere, nec alio affectu prosequi, quam quem civibus regni cœlestis; & christi membris concorporibus; & conheredibus meis debeo. Eos odisse nec volo, nec possum; sed ut benevolentia & officiis, qua datur, prosequar; & si alicubi errare persuasus sum, ut comiter, & bonis rationibus errorem eximere coner, teneri me agnosco. Cum hoc animo & affectu ante tribunal Christi, ad quod omnes cum apparuerit, sistemur & Deo rationem reddemus, ipsius gratia me porro prosequente, comparebo.,,

“Dolendum profecto est, & magis, quam exprimi verbis potest, dolendum, Ss. Eucharistiæ sacramentum, quod tesseram mutuæ charitatis servator noster esse voluit, vâfritie Satanæ & hominum vecordia in materiam acerbissimæ litis, & asperrimi odii vertisse. Hinc, quod omnes de uno pane nec participamus, nec participare possumus, sive, quod actualis ut ita appellare liceat, unio & communitio inter partes sublata: Quo sane rem deductam esse, amaris lacrymis merito deploramus.,,

“Quid

“Quid igitur? num omnes hodie Christiani schismatibus inter se divisi, teterrimo schismatis crimini sunt obnoxii? Neque enim Orientales S. Eucharistiæ participes esse volunt una cum Occidentalibus; & hi ipsi in tres magnas partes distracti Communionem in singulis seorsim alii ab aliis separati, & sine reliquorum consortio celebrant.,”

“Respondeo: schismaticus strictè & proprie est ille, qui schismati causam præbet, aut fomentum, qui aboleri non desiderat, aut a pertinacia sua, ambitione, vel emolumentorum cupiditate, remoram & impedimenta, ne tollatur, objicit!.,”

“Absit, absit, ut quisquam nostrum eo sit animo. Qui primitus schismata operati, ut oquitur Irenæus, sive excitarint, hodie superiunt nulli. Dubium autem non est, qui fovent, alant, vel etiam augeant, plures esse, quam sit e re Christiana. Sociam hic operamingere, horret anima mea. Malo facere cum his, qui dolent, schismata esse facta, qui minui, vel potius plane tolli omnibus votis expent, omnem hoc sine lapidem movere, omnes vias & honestas rationes una cum moderatione fundamentali fidei non adversa, admittere parati. Hi, etiamsi citra suam culpam, temporum videlicet, & nascendi sorte in separationem, quam hodie evitare nemo potest, coniecti, in schismate degant, proprie tamen schif-



matici non sunt. Nec crimini vertet Deus, quod declinare non fuit in eorum manu:„

“Horum cum omnibus, qui unum Deum, P. F. & Sp. S. adorant, & unum redemptorem & servatorem & mediatorem Dei & hominum, unigenitum æterni P. filium, eundemque hominem J. C. agnoscunt, & colunt, & pie vivunt, si non actualis, virtualis tamen, ut ita loqui liceat, est communio, posita in serio desiderio, voto, affectu, & studio, unam eandemque communionem restaurandi, & frequentandi. Quod ut tandem fiat, a Deo auxilium supplicibus precibus pretendum, & ab hominibus opera, quanta potest, danda. Impediuntur interim actu, simul & una communicare per grandia obstacula, quamvis ut removeantur, serio desiderent, & sedulo laborent.„

“Si non obstantibus controversiis & erroribus quorum nos inter nos arguimus, alios ut Christiani Christianos habeamus, & tractemus, nec aliter, quam per humanam mentis difficultatibus superatæ imbecillitatem errare statuamus, atque ita depositis odiis, quos animos e statu suo dimovere & veri cognitionem vehementer impedire solent, placide inter nos conferamus, & in veritatem inquiramus: spes est non modica, eam utrinque adminiculante divina gratia, quæ mansuetis opem ferre amat, tandem inventum iri, & dissensiones tolli, ac componi, aut saltem minui posse. Si vero in mutuis odiis, & detestationibus, &

recreationibus pergimus, oculi mentis obnubilabuntur, & neque veritatem, neque concordiam cernere poterunt. Interim de rebus, uæ sciri nequeunt, sufficit novisse, quod sciri equeant.,,

His paucis puto lineis virum tibi repræsentavi ita ut vix aliud, quo melius eum noscās, desideraveris imagini addi. Placet potius & adverso nunc Calovium intueri, adversarium principem & contumacissimum, ipsis aduē defuncti Manibus infestum & injuriosum. revis est deambulatio condicta, & meta narrationi præfixa paullatim imminet: non ergo acat, nec etiam juvat virum ipsum, ut se exriptis suis ipse nobis, qualis sit prodat, velut iæ socium & collocutorem, qualem Calixtum ihuc habuimus nobis adjungere. Est mihi l manum panegyris Calovio die sua natali septagesima quarta habita, atque eo mortuo tyis data a Friderico Mayero, Herois hujus sui Collegio Theologorum Wittenbergensium cio. Intelligentibus ad vivum exhibuit panegyristes hominem bellicosum; nec opus erit ia imagine. Contra expectationem ceterorum boni hujus Mayeri eveniet, ut non omes Lectores applaudant Heroi tam artificiosa mque speciosa a se panegyri celebrato; omnique minime, qui sunt laudum homini ibutarum, qui meritorum, unde laudes repentur, justi & æqui, quorum judicia nemo cile spreverit, æstimatores.

Panegyrici hic est titulus, hoc argumen-  
tum, hæc loca extantiora & significantiora  
*Vitæ parallelæ Athanasiorum, alterius, Alexan-*  
*drinæ Urbis sec. IV. Episcopi, Arianorum mal-*  
*lei: alterius nostro seculo orthodoxiæ vindicis in-*  
*comparabilis, & assertoris summi, Abrahami*  
*Calovii &c.*

“Incidit Athanasii ætas in tristia illa Eccle-  
siæ tempora, quibus Christi sacer grex a tyran-  
nide animæ pariter atque corporis, Imperato-  
rum superstitioni & idololatriæ gentilium dedi-  
torum, modo liberatus erat. Istam autem te-  
træ, horrendæque dogmatum dissentiones &  
Ariani agminis furores, quæque inde proficif-  
cebantur, angustia excipiebant: quarum ipse  
non spectator modo fuit, sed varios ab illo fa-  
ctos impetus, & iteratas eorum incurfiones  
fortiter sustinuit, insidias plus vice simplici stru-  
ctas evasit, pericula evitavit, profligavit.”

“Non meliorem vobis rerum faciem per-  
suadeatis velim, cum Calovius primum offen-  
dit lucem hanc Morungæ, nobili admodum  
oppido. Affligebant circa hanc ætatem rem-  
publicam bella, quibus morum innocentia, le-  
gumque pietas vix superesse possunt. Jacent stu-  
dia, involutæ squallori litteræ; ingenuæ pro-  
scribuntur artes; truci illo vultu blande invita-  
tur, tenerrime fovetur barbaries.”

“Minor hæc videbatur miseria, quæ Calo-  
vium modo natum exerceret. Insequebatur il-  
lam lues admodum exitiosa, quæ exiguo tem-  
poris

poris spatio multa hominum millia prosternebat, ut sæpius mutare solum noster coactus fuerit, cum pestis hæc vicina Borufforum loca retigisset, & latius serpendo Thorunium atque Regiomontum petiisset, quorsum ille ingenii excolendi causa concesserat.,

“Dixeris mala hæc justissimi scelerum nostrorum vindicis indices: sic penetrantiora instare tela judicabant, quæ non intermissis criminum noxis animum, nobiliorem nostri partem afflicta erant, permittendo diaboli malitia dogmatum inferri discrimina; quibus autem medendis malis, prout summa est divinæ mentis justitia, sic non minoris virtutis clementia, voluit extemplo consuli, deditque Nostrum ---- quid enim obstat, quominus cœlitus delapsum hunc Heroa adseramus? ---- tranquillitatis, Ecclesiæ omnino conducentis, vindicem acerrimum, conjunctionis vero, qua ad impia præstanda in unum coalescunt hominum animi, discussorem, & veritatis evangelicæ perstrenuum propugnatores.,

“Non est, quod prisca Ecclesia Athanasio doctore adeo triumphet, nondum juveniles annos egresso, quod Aarii impietati, & blasphemix resistere sustinuerit. Hanc sane gloriam Calovius sibi quoque vindicavit, simul ac Ecclesiæ Christi se stiterat. Namque is ceterioris adhuc ætatis arma cum hostibus committere, & cominus congregari haud quaquam du-

bitabat, & fretus causæ bonitate victoriam sibi destinabat.,,

“Neque poterat evenire secus, cum Calovius nulla e pharetra spicula promeret, & vibraret que non velut Apollinis manu penetrarent & ostenderent jam tum, quam merito Calovius orthodoxæ fidei & sacræ militiæ Fabius olim esset cognominandus. Ita Movium cœgit, tela abjicere: Rathmannum profligavit: Bergium suis firmum columen, in sententiarum collatione septem horarum publica, præsentibus auctoritatis maximæ viris hujus proelii constitutis arbitris, funditus evertit, ac prostravit.,,

“Permoverunt tandem ingeminata toties suspiria; orbitasque Ecclesiæ Gedanensis sententiam mutavit --- qua soli suæ patriæ in servire decreverat --- cui adsurrexit, opera & consilio eidem adfuturus. Optime-persentificabat, fertilissimam se ibi messem Christo esse collecturum, quod conquassari eam cerneret nefariis Nicolai, Statiq̄ue machinationibus, quibus occurrendum ratus, ne dimotis ædificii cardinibus structuram universam everterent. Et illum pius Zelotes ex Ecclesia ejecit, hunc ad formam sanorum verborum reduxit. Adeo ergo in bellis Domini exercitatissimus evaderebat Calovius; hæreticorum perinde ac Athanasius, malleus futurus.,,

“Calovius Botfacco comes est datus ad Colloquium charitativum Thoruniense: sed ho-

hominum malevolorum in se iram & maledicendi libidinem concitavit, eandem cum Athanasio expertus sortem, quem resistentem Ario, eum atque ejus sectatores cepisse inimicos legimus. Calovius noster, ubicunque gloriæ Domini defendendæ propugnandæque intentus quæ per adversarios oppugnabatur, imprimis Calvinisequas, in quos quasi incitato equo immissus ferebatur, qui impetum non sustinentes cedebant, & cladem vindicare clandestinis obtrektionibus insidiisque conabantur. „

“Displicebat Calovio valde id genus hominum, quod in religione leve ac instabile, medium inter Deum & homines gressum figit, aut simulat, neutris satisfaciens, dum utrisque se approbare studet, quorum in numero habebat, qui periculosam pacem moliebantur. „

“Amabat Calovius pacem, sed ita, ut non posset non veritatem juxta amare. Quare fiebat, ut impendio magis detestaretur homines istos, in causa religionis tepidos, putantes capita Religionis se nexu commodo colligare posse per vias medias & opiniones ingeniosas, pro arbitris Deum inter & homines se gerentes. „

“De scriptis Athanasii Sixtus Senensis pronuntiat, quod pessime fuerint ab hæreticis tractata. Quantum in Calovii scripta debachati sint hæretici pariter & schismatici, notius est, quam ut hic exponi debeat. Quamvis vel ipsi eadem laudare cogantur, quod testimonio Ru-

ari constat; & adeo invicta illa persistit, ut merito dicere de iis possimus, quod de Basilio M. refutatione librorum Eunomii refert Photius, Calovium in iis Babylonios infantes ad firmam fidei petram allidendo contrivisse.,

“Quænam major foret Athanasii similitudo, quam quæ in Calovio apparet? Profecto in Socino Arium habemus, quem noster immortalis cum laude profligavit. Solus Crellio expugnando idoneus erat Calovius. Atque Hugonem Grotium magnum illum faciale prostrasse, nonnisi magni opus erat Calovii.,

“Athanasium Alexandrino populo, universo terrarum orbi, interpretatur Gregorius Naz. præfectum esse. Calovius Wittenbergæ sæcundissimæ emendatorum Christi sacrorum matri, impositus Episcopus est.,

“Neque verò avocarunt illum innumeræ molestiæ, & vix oculis emetienda negotiorum multitudo, quæ ex hoc Episcopatu in ipsum redundabant, magis magisque rebus Domini explicandis promovendisque intentus, & honoris divini acrior propugnator evadebat. Quas-cumque nugæ Papæ, Calvinii, Socini, Arminii, Bœhmii, falsorum fratrum proferebant scholæ, eas fortiter invadens Calovius in utraque cathedra felicissime elidebat.,

Dicamus io Pæan, felicissimo huic scilicet, si superis placet, Hæresium & schismatum Profligatori Calovio! jamque oppidum repetamus, & in sacram Divi Stephani ædem, ubi

si ossa Calixti quiescunt, secedamus, concor-  
 animo repetituri, atque piis viri optimi Ma-  
 cus inclamaturi, subscriptam imagini ejus,  
 epitaphio affabre elaborato, appensæ, nec  
 quam alibi aptius adcommodatam gnomen  
 angelicam:

*Beati pacifici!*

Reliqua causæ momenta, quæ omnia re-  
 nsere, longius foret, interim ex Walchio  
 es, de hoc & aliis inter Lutheranos motis  
 ntroversiis fideliter & copiose referente; nisi  
 nsultius mecum credas, Henckium rogare,  
 , ad quod nemo se est aptior, in se conscri-  
 ndæ suo modo, hoc est, gravi jucundoque  
 omnibus numeris absoluto, integræ causæ  
 alixtinæ negotium suscipiat. Næ ille præcla-  
 Calixtum, cujus ipse tam feliciter vestigia  
 emit, nobis depictum daturus est? Quæ ipse  
 t justa Calixto persolaturus, & nihilominus,  
 ia est modestia, & indulgentia adversario Ca-  
 vio parciturus? Quam ipse benigne, & hu-  
 ane, vehementi hominis animo, institutioni,  
 lo pro re, ut sibi visus est, Dei & veritatis  
 genda, pro munere, pugnantis, adscripturus  
 t, quod pro nostri temporis luce, quod pro  
 nimi sui bonitate, quod pro suo ingenio, sua  
 ientia, & prudentia nequiverit probare?  
 uam ipse acturus esset opus gratum omnibus,  
 nibus anteaacti temporis, bellorum præsertim  
 ter Theologos gestorum memoria, vel, quod



idem est, veritatis inter medias contentiones in hominum lucem, magna sua vi, opitulante Numinis providentia, eluctantis historia & curæ & voluptati est?

Non negabit Henckius, quod nunc quasi prehensa ejus dextra ipsi & Helmstadio valedicturi nostro, & totius litterariæ civitatis nomine junctis precibus & votis rogamus.

Si adhuc dubitaverit, tertium in ipsum impellam monitorem vel intercessorem, Kleinium meum, qui Manhemii res artium & scientiarum pro virili juvat. Petat, faciam, fieri sibi ab hoc egregio hominum, qui theologicis studiis inclaruerunt, delineandorum artifice Henckio, Calixti imaginem, quam Pinacothecæ suæ, egregio & splendido operi, viros, qui factis magnificis Germaniam illustrarunt, representanti novum exemplum & ornamentum inferat. Lubens certo patietur juxta se poni Leibnizium Calixtum, maximum Theologum, maximus Philosophus; nec dedignabuntur magni belli Imperatores, virum pacis artibus & studiis æque, ac præmultis sui ordinis viris clarum, magnumque, habere ejusdem secum honoris socium.

---

“Helmstadio Brunsvicum tendentibus, Bornum iter medium est. Pago jugis aquæ fons theodiscum nomen *Born*: nomini vero insolitum alias theodiscis nominibus exitum in *Um*,  
nescio

nescio cujus gentis Allemannæ dialectus, vel quis homo, quisve casus, dedit.

Dum equi --- quod semper hic fieri solet --- reficiuntur, fœminam græcæ adeo, arabice & latine doctam, illustrem Reiskiam salutandam accedo. Rusticatur illa in prædio, quod pago adjacet, & Brunosuicensium Duci censum annum ex condicito solvit, una cum generoso, suo quondam alumno, equite saxone, Ægidio, non minus a scriptis claro, qui filialem illi amorem, & reverentiam profitetur.

Notus tibi, amice Bœnike, fœminæ hujus in maritum amor, quo acta, ut græca & arabica lucubrantem juvaret, hisce se litteris --- rarum profecto exemplum --- addiscendis mancipavit, obsecundante, ut solet, amore, opus grave, & insolitum.

Quod nunquam alias probo, fœminam ultra sexus sui conditionem velle sapere: aut quemcunque, virum etiam, vias ingredi, non sibi a natura, & providentia signatas, hoc in Reiskia & admiratus sum, & probavi, quippe conjugalis in maritum pietatis opus. Adeo quidem & admiratus sum, & probavi generosum ausum fœminæ, ut illustre ejus nomen aliis splendidis originis theodiscæ nominibus inseruerim, quorum elenchum aliquem, ænea tabula juventuti patriæ in publicis scholis artigraphicæ incumbenti, proposui, ut exemplar haberet, quod calamo imitaretur.

Ea in instituenda juventute, pædagogiorum in urbe patria publicorum olim Director, in univèrsum usus sum methodo, ut uno solo medio, si fieri posset, plures simul assequeretur fines: ut dum in mechanicis corpus, simul mens animusque, in moralibus disciplinis exerceatur: ut dum prodessem, simul & delectarem. Ita, dum in graphica arte, instituenda juvenus, quod calamo imitaretur, exemplari indiguit, tale exhibui, quod pædagogis simul locuples esset, de quo cum discipulis colloquerentur, argumentum: mox carmina plena religionis sensu: mox fabulas, doctrinis utilissimis plenas: nunc nomina illustria virorum fœminarumque, in quibus omnigenam revereri, & imitari virtutem discerent. Hæc inter, ut dixi nomina illustria, splendet & Reiskizæ nomen.

Hanc litteris vacare, ut pietas in maritum jufferat, ita vitæ improlis conditio facilius patiebatur. Mutato rerum suarum statu, vidua facta, ad naturalem fœminæ conditionem lubens rediit: vitamque inter domestica & rustica negotia, veteresque sodales, Musas partitur; quod quidem eam, quam de illa concepì, opinionem: nonnisi domestico otio, & pietate in maritum permotam exoticis nec ita prope ad informandum ornandumque fœminæ animum facientibus studiis vacasse, valde confirmat.

Cum nuper Saxoniam superiorem perlustrarem, cœpi ad nominum quibus oppida distin-

stinguuntur, diversitatem, animum advertere, & in diversitatis hujus singulorumque nominum originem inquirere, vel verosimilia mecum conjecturare, ut sterilis alias per multas sepe horas, hujusque citatissimæ per equos publicos toties recentes veltationis, otium explerem; idque ipsum per inferiorem postea Saxoniam profectus, versari mecum argumentum non destiti. Multis unius ejusdemque provinciae oppidis & pagis diversa quibus distinguuntur nomina, primi diversæ originis gentisque coloni imposuerunt. Id multam cogitandi materiem suppeditavit. Videbar enim mihi magnum aliquod almæ naturæ opus videre, similia similibus, cognata cognatis de longinquo, & ex omni parte accersentis & consociantis. Mirabar divinam providentiam gentes gentibus, homines hominibus, ingenia ingeniis, animos animis, corporum formas formis intermiscentem, atque sic humanitatem curantem, promoventemque & dilatantem, non æquis tamen ubique & paribus motibus, nec iisdem ubique & semper modis: dum hos populos, mature humanitate imbuit, alios tardius ad nativam generis prærogativam vocat: in hoc uno sibi æquabilem, quod ad excolendum, perficiendumque hominem, aliorum semper hominum consortio, & ministerio utitur. Videre mihi videbar, divinam providentiam successivis motibus magnam, quam ab origine esse voluerat, hominum familiam restituentem, habituram unum  
Deum

Deum patrem, & fraterna ad invicem in omnibus membris jura, & vota una eademque.

Qui qualesque fuerint, quaque origine nati, primi cujusque pagi vel oppidi a suis conditoribus cognominati, coloni? difficile fuerit, conjecturare. Quæ in ƷZ. desinunt oppida, Slavos habuisse conditores extra dubium est, & in vulgus notum; id vero minus: Quando cognomina inveneris oppida, quorum unum *Magni*, alterum *Parvi* cognomine discriminetur, hoc slavos condidisse, ut illo pulsam a Saxonibus coloniam instaurarent: nec novam sedem, priscaeque coloniae nomen Saxones invidisse, *Parvi* tamen cognomine a prima distinxisse.

Subridendum mihi fuit, nescio ubi legenti: Lutherum credidisse, totam quæ Wittembergam ambit regionem, plurimis olim Judæis fuisse habitatam, idque manifestum esse ex nominibus quibus adhuc hodie pagi, oppida, homines rustici æque ac urbani utantur: indeque factum ut, quo in gentem perfidam suum odium testaretur, eamque in invidiam adduceret christiana plebs, exteriori primarii, quod Wittembergæ est, templi parieti insculptam lapidi turpem scenam affigeret, Hebræorum magistrum repræsentantem, qui ex suilli corporis postica parte velut oraculum aliquod sibi reddendum præstolari videtur.

Quales fuerint, qui placida multis oppidis nomina indiderint, quique tam placide finierint

sint in *A.* suis indida oppidis nomina, populi, nescio; mitioris certo ingenii, linguæ cultioris, expeditiorum loquendi organorum fuisse homines videntur, qui talia condiderunt & cognominarunt oppida; qualia sunt: Auma, Pausa, Gera, Weida &c.

Id in primis mirum mihi est visum, in media Germania, præsertim in inferiore Saxonia, & præcipue in terris Brunsvicensibus oppida vidisse, quorum nomina etiam a plebe, ex communi loquendi more, latine in *Um* terminantur. Tale est, quod mihi, hæc commemorandi ausam præbuit --- Bornum, Reiskizæ secessus: tale est Salzdalum nobile a pinacotheca, Ducis Brunsvicensis, prædium: tale est Loccum, unica, veteris formæ plurimum adhuc retinens in ducatu Hannoverano, Abbatia Augustanæ Confessioni addicta.

Pauca quidem hujus nominis oppida sunt, tot tamen, ut credere nequeas, solo casu, aut forsitan Curionis, vel Pædagogi, theodiscum nomen averfantis, & latinum græcumve præhabentis male sana sedulitate, latinum exitum theodiscis oppidorum nominibus impositum; quod olim nescio quo Pædantismo litterariæ præsertim professionis hominibus in mentem venit, ut patrium nomen latine aut græce verterent, saltem latina terminatione ornarent, vel corrumperent. Hoc problema si solveris mi eruditissime Bœnike, næ eris mihi magnus Apollo!

Hæc

Hæc de nominum oppidis pagisque a primis diversæ originis colonis impositorum diversitate me, cum perpendenti, alia cogitatio est nata: Liceatne in ipsis corporum exterioribus formis, ingeniisque & animis aliquam primæ originis rationem invenire, & in hodiernis diversorum oppidorum habitatoribus, primos conditores adhuc nosse?

Mihi quidem nec tantum temporis & otii, nec dexteritatis & solertiæ tantum fuit, ut in hanc quoque diversitatem, qualis quantaque sit, quamque cognitu facilis sit, & intelligi, certaue ab origine repeti possit? inquirerem.

Unum observare licuit: Sclavos, ubi puri nec Savonibus permixti habitant, multum distare ab egregia Saxonum aboriginum forma, multum a vultus corporisque totius habitu.

Discrimen istud vix credo alibi posse manifestius esse & spectatorum oculos acrius ferre, quam in Sclavorum, quæ Halæ Magdeburgicæ fontes salis colit, parva quidem adhuc colonia. Ego quidem, cum pulchriores, quam usquam alibi corporum formas, ac elegantiorum vestiendorum corporum modum, apud Saxones Hallenses me invenisse ratus, diuque miratus, tandem ad salinas visendas descendi, in novam Selandiam translatus mihi sum visus: adeo parum & ipse locus ab illius terræ barbarie, & terra facie distat; & qui salinis vacant, illiberali ut plurimum vultu ab ipsa natura distincti, seminudo, ac sordido corpore, haud  
mul-

multum illius terræ inhospitæ inquilinis barbaris dissimiles, incedunt.

Minus hoc quidem, non tamen omnino inutile, aut parum jucundum, inter peregrinandum advertisse: In diversis regionibus eadem ex iisdem causis nomina accepisse pagos & oppida, sed paulisper pro varietate dialectorum, quæ provinciarum ac provinciis differunt, variata. Sic, quod in terris Franconicis *Gereut* dicitur quasi recens subacta terra, apud Saxones *Rode* audit. Quod alias *Lauben* compellatur, quasi umbraculum primo colono dederit, hic *Leben* dicitur. His interim aliisque speciminibus licet dialectos cum dialectis conferre; & itineris moras ac fastidia tali studio fallere.

Priusquam Bornum Helmstadio perveherem, ad Lotharii Germanorum Regis, compellatum a conditore hoc, monasterium, mihi ad lævam situm, paulisper declinavi, ut vetustissimo & pro temporis illius ingenio, sane magnifico templo, ut Lotharii legis ibi conditis ossibus, ut Moshemii hic quondam Abbatris memoriæ honorem testarer: pro Carpzovio autem, Moshemii & in docendi munere & in abbatali ejusdem monasterii dignitate successori, vitam diu lætam inter suos agat, vota facerem.

Exiguo spatio Brunofuicum Helmstadio distat, cui strata & percommoda viæ beneficio jungitur.



=====

Amœnior est agri facies Brunosiuico Helm-  
stadium tendentibus, quam inde redeuntibus.  
Illis enim, cum summa collis attingere, val-  
panditur larga, cujus extrema Helmstadium  
occupat, visum jam e longinquo. His, cui  
longo tractu sursum in clivum feruntur, reli-  
quitur a tergo vallis, villis oppidis pagisque  
locuples; arctatur vero in summa clivi, que  
ascendunt, prospectus. Quocunque tamen ea  
redeasve, habebis quod cogites, & mireris.  
Totum ----- ut alia objecta desint quibus  
occupari malis ---- quem transis & undique  
vidēs, campum, sylvam quondam ingentem.  
Eltimum, puto, dixere veteres ---- olim fuisse  
tecum memorabis; cum autem ibidem oppida  
& agros villas, prata & prædia, & nemora modo  
obijci, tibi cernis; habebis, unde hominum  
industriam mireris, & temporis, rerum faciem  
mutantis, maximam vim.

Doleo multorum peregrinantium tristis-  
sortem, qui, dum per loca paulum aspera, ma-  
nusve læta, iter faciunt, itineris molesti longas  
moras incusant. Mihi quidem raro id accidi-  
t. Abundat enim meo sensu & judicio, natura  
rebus; & plenus spectaculi, omnis fere tellu-  
ris angulus est. Ubique quid in ea mireris, &  
quid de ea cogitem, facile invenio. Documentum  
est, quod, nuper admodum Hannoveram Ham-  
moniam, inde Lubecam rursusque Hamma-  
nia Bremam, Brema Cellam & Brunosiuicam  
petierim, quin longi per vastam planiciem, quæ

Hannoveram & Albim interjacet, a Luneburgo nomen adeptam (die Luneburger Hayde) atque ob fastidium, quod tot aliis peregrinantibus caussasse dicitur, fere infamem, itineris ulla molestias, quas accusarem, diu, nocturne senserim.

Ut enim taceam, longum terræ tractum pulcherrima, humili licet, herba (Heidenkraut) velut continuo aulæo tectum, non inæmnum oculis obtutum esse, & novitate sua, prima saltem vice transeuntium oculos, animumque occupare: delectavit non parum, apum hic dulcissima mella colligentium, operosa agmina circum volitantia advertisse: ibi cornigeras oviculas lepidissimum animal, ejusmodi regionum amans, illisque proprium, catervatim balantes, hinc inde etiã boves nunc singulos, nunc collectos pastum ire: vastam planitiem nunc arbuscula, nunc una plurium arborum pinigeri generis familia, intercipi: nunc tugurium in medio agri arboribus in custodiam circumdati, & aggere ex congesta gleba vallati, ex densa arborum umbra promicare vidisse, & varietatem rerum copiosam offendisse. Ut hæc inquam taceam, diu tenuit, animumque affecit una cogitatio hic nata: Naturam, etiam cum maxime quæta videtur, in novis continuo formis producendis sine intervallo laborare. Inde videbar mihi, tanta intervastæ regionis silentia, vel levissimis operantis in magna sua officina naturæ, motibus auscul-

tare, & speciatim quidem, prima terræ frugiferæ stamina parantis, rationem videre. Durissimam enim petram, hinc inde patulam deprehendi, levi adhuc terra, hacque arenosa tectam: herba, quam levis hæc terra sustinet, pluviam, rorem, & quidquid frugiferi feminis aer suppediat, in sinum suum recipit, maternæque terræ communicat: ipsa dein putrefacta cum primigenia terra miscetur, ut aliam nunc & recipiendis feminibus aptam reddat; unde lapsu temporis, veniente in naturæ subsidium hominum industria, ager frugifer nascitur, stantque tandem arbores proceræ nulli tempestatum ycedentes, ubi alias silices duræ, steriles arena, herba rara, & parum utilis.

Ut totam hic terræ frugiferæ veluti generis, & prima naturæ, tellurem colentis, ornantisque conamina vidisse mihi visus sum; ita in tuguriis hinc inde sparsis, solitariis, suo nemore valloque singulis clausis, vitæ humanæ socialis primordia, & aureæ quondam ætatis, patriarchalis ævi aliquid intueri credidi. Omnis familia uno tugurio continetur. Insigni spatio proximum distat aliud tugurium, alterius familiæ domicilium. Nulla hoc inter & illud civica aut quæcunque alia prior connexion: nulli hic adhuc pagi: nedum oppida. Fient tamen pagi, & oppida, cum labentibus annis vel numerosior familia, quam uno tugurio capi possit, proximum patrio solum occuparit, & domicilium fixerit: cum tuguria tuguriis, familia

miliæ familiis proprius accesserint; vel peregrini coloni adventarint, seque indigenis immiscuerint.

Multa porro suppeditat loci conditio, quæ verses, politica & œconomica consilia. Fieri non potest, quia tanti, ut ad Visurgin usque & Albim pertineat, tractus solitudinem doleas optesque tandem in melius mutari. Mihi quidem idem accidit. Mox varia, queis verti in melius terra solitudo posset, incidere consilia: sed nec matura, forsán jam a sapientissimis harum terrarum Administris perpensa, rejectaque vel dilata: sed ab homine peregrino, in terra incognita versanti, totius politicæ œconomix parum gnaro cogitata. Unum visum est non leve pondus habere, & dignum, quod curatius perpendatur: Quid si, omne, quod adhuc incultum est relictum spatium, Menonistis tradatur colonis? Novi horum hominum industriam & solertiam, cujus tam in terris Palatinis, quam Nassovicis, jam olim vidi præclara sane documenta. Poterunt ex vicino advocari agro Hammoniensi; nisi consultius videatur, ex remotioribus, iisque minus beatis terris accersere, quippe magis adsuetos laboribus durioribus, queis naturæ immitioris ingenium vincere didicerint.

Hæc interdiu peregrinantem occupaverant, & satis jucunde omne otium impleverant.

Venerat Hesperus, venerat Luna, tunc pleno disco conspicua; & a terris in altiores regiones me advocarunt amica hæc meditantibus

sidera, ut nec noctu peregrinanti, quod reputarem; unquam defuerit. Nunc prisca Teutoniarum gentium haud procul hinc agentium, historias in memoriam revocavi: subinde in memet descendi, & vitæ actæ rationem a me repetens, & futuræ proposita concipiens: quandoque somnus invito obrepfit. --- Sed video longius me a proposito itinere deflexisse.

---

Brunosuici me expansis receperunt brachiis quasi diu desideratum & expectatum hospitem, Ebertus, Arnoldus Schmidius, Eschenburgius, Jerusalemus, Bartelsius, litteratorum in hoc urbe principes, nec inferioris in magna litteratorum civitate subsellii proceres.

Ebertus & Schmidius --- quasi de superstitite loquor, erat etenim ante biennium; quo primum tempore Brunosuicum invisi --- id præcipuum habent, quod ætate provecti, ætatis molestias adeo non sentiant, ut juvenili adhuc audacia ac facilitate carmina, amabilis ingenii monumenta ludant; nec doceant tantum bonarum artium in Athenæo Carolino publici Magistri, sed adhuc delectent poetæ. Quis enim non legere amet ludicrum carmen a Schmidio, in alium summæ ædis Canonicorum recepto Gærtnero scriptum: *Visiones D. Blasii*, hujus ædis patroni? & quis lectum non credat a vate juvene, recens Apollinem experto, scriptum? Ceterum Viri animus simplex

plex & candidus, moresque in provecta jam-  
tate geniales, omnium illi amorem concilia-  
runt & manciparunt. Ebertum mirantur, do-  
mesticam hominis beati sortem, quam ipse ex-  
peritur, canentem, & uxoris dulcissimæ diem  
genitalem novo quovis anno carmine cele-  
brantem.

Eschenburgio est magis serium cum Mu-  
sis gratisque commercium. Cum socero Schmi-  
dio, & Collega Ebero in vorsa, cum genero  
Eschenburgio malis in prosa oratione philoso-  
phari, habiturus cum illis colloquens, Flaccum  
& Nasonem, cum hoc, Tullium & Quintilia-  
num collocutores.

Nestorem illum Theologorum, Jerusa-  
lemium, virum tam a scriptis religionem tanto-  
pere commendantibus, quam ab æquabili vitæ,  
& morum placidissimorum ratione omnibus  
charum, in medio filiarum Patri senecioni in-  
servientium ---- jucundum domesticæ pietatis,  
sortisque beatæ spectaculum ---- offendi.

Festivus mihi fuit in viri hujus amplexum  
occurfus. Salutationem vix mediam, intercipit  
sermone de morte, quam sibi jam octogenario  
proximam instare sciret, interjecto. Sermo  
ipse non sine emoti animi affectu profertur, eo  
tamen, qui Christianum, qui hominem sibi  
bene conscium decet, quique mortis potius  
desiderium, quam metum exprimit.

Protrahitur sermo utrique gravis gra-  
tusque de morte, quasi ad vitam meliorem

transitu: scrutamur legem naturæ omnia mirantis perficientisque, & hominem e morte revocantis: de futuræ vitæ gaudiis multa philosophamur: utrique incalescit animus, & ex oculis micant lacrimæ: Superveniunt talia philosophantibus virgines nobiles aulicæ, venustæ sane, & ingenii, quod sermonibus prodidere, non minus felicitis ac amœni. --- Cum ecce major octogenario senecio, sermonem, affectum, & lacrymas derepente abrumpere: Catonem se egisse de senectute, morte & fati posthumis philosophantem, oblivisci: ea urbanitate ac gratia novis hospitibus obviam ire: itaque cum illis agere, ut plus gratiæ & urbanitatis ab homine aulico, & hoc quidem juvene, non desideres.

Ego primum velut ad rem insolitam hæreo: mox animum colligo, & tacitus meum: Ecce, dico, luculentum, siquod aliud, & certissimum documentum animi, religione sincera rite imbuti, quæ Christianum & frui terrenis, & cœlestia vult expectare: quæ nec patitur morosum inter homines vel solitarium Timonem: jubet potius gaudere cum gaudentibus, & eam semper faciem præferre, quæ probet, quam bonum sit Deo servire. Ecce, luculentum, dico, testimonium animi sibi recte conficii, & vera nec e mentita cum tranquillitate, corporis jamjam caduci ac collabentis ruinas spectantis!

Reversus hoc anno Brunosvicum, duum viros Jerusalemium & Schmidium adhuc lugeri a civibus vidi, suis factis defunctos, terrisque ereptos. Quem Piis, eorum Manibus debui & potui, honorem, relictis ab utroque filiabus habui.

Bartelsio, viro comi, docto, populari gratia fruente, præclaro ex sacro pulpito, avidè que audito suis civibus oratori, nunc Jerusalemio in Riddagshufana Abbatia, aliisque muneribus publicis & aulicis successisse, sum toto animo gratulatus.

Innotuere mihi eadem hac altera vice Brunosvici moranti & alii præterea per urbem oratores sacri, & Curiones, quibus sui maximam habent reverentiam.

Sunthi, Wolffius summæ ædis ecclesiastes, alias in civitate, quæ regio Lothariensi monasterio adjacet, eodem munere functus, Henckil mei, affinis, Carpzovii gener. Quam & iste fit orator prudens & facundus, & populari qua fruitur, gratia dignus, ex parvis quidem, sed neutiquam contemnendis, quæ ephemerides nostræ litterariæ pro dignitate laudarunt, speciminibus, liquet: ex duobus sermonibus sacris, tam ab argumento tempori accommodo, quam scito ejusmodi argumentum tractandi modo, omnem laudem meritis. Primo reverentiam Magistratibus Principibusque debitam graviter inculcat. Altero, parum curari naturalem quo cives civibus, subditi Magistra-



tibus subjiciantur, ordinem; turbari ordinem, quocum omnis stetque cadatque respublica, commune nostri temporis vitium, & dedocet, & insequitur.

Sunt Welandus, & Kusterus ad Divi Andree Pastores. Brevior mihi quam ut de eo possum specialia referre, cum primo, consuetudo fuit. Alterum quem modestum prudentemque ex colloquio paululum protractiori, æstimari cœpi, charum quoque fecit insignis in Henckii mei fratrem, in eadem urbe pastorem meritissimum & desideratissimum pietas, qua ejus memoriam ad posteros propagavit.

Bruckmannum Archiatrum, illustris in arte Machaonica famæ virum, habui gazophilacii sui sane tam naturæ, quam artis prodigiis locupletissimi, interpretem indulgentissimum.

Bona forte etiam incidi in Mercatorem tum ob hoc mihi memorabilem, quod plurimum artificum ingenia manusque exercent, & familias alat; tum vel maxime, quod artium monumentis delectetur non ipse tantum, sed tota quanta est, numerosa domus; nec delectetur tantum peregrinæ manus artificii, sed domestica quoque possideat a conjuge Raspia, solertissima fœmina, natisque egregie efficta.

Ut vidit me non vulgariter his rebus delectari, in parvum, quo non obvium quemvis admittit, lararium, deducit. Egregiæ hic pendent tabulæ, nonnisi a suis vel pictæ, vel delineatæ, domesticæ pietatis pleræque monumenta.

menta. Dum enim natalem diem proles parentibus, parentes prolibus, uxor marito, vel vicissim gratulantur: artis sibi aliquod bellum opus offerunt; vel dum superstites defunctum familiarem lugent, ejus desiderium penicilla vel calamo exprimunt, & memoriæ tabulam dedicant, huic larario illatam. Wiedemanno viro huic nomen est.

Bellici quoque muneris virum, non minus tamen ab aliis ab hoc munere alienis ingenii sui momenti notum, Maubillonium accessi. Adeo omnium munerum, scientiarum & artium hominem credo esse oportere, qui se litteris mancipavit, qui humani nihil alienum a se putat, qui Cosmopolitam se gerit, qui exercendi ingenii & animi causa iter in alias terras frequens suscipere amat. Nec pœnituit, aliquot enim horas suaviter invicem protraximus: de bellicis parum, plura de rebus ad litterarum studia, ad pacem, & rerumpublicarum sortem beatam pertinentibus, collocti.

Innotuere mihi, sed pro tardius, quam voluerim, jam fere ad abitum accincto, duo sibi affines viri, summæ ædis alter Decanus, alter Canonicus: illi Duci ad Consiliis intimis, Biehus: iste Collegii monasteriorum, quæ in Ducatu Brunosvicensi sunt, relictibus administrandis assessor Voigrius, quibus uti malim & quam diutissime quamque familiarissime.

Hoc inter præcipuas peregrinationum molestias numero, quod raro non postremis, quæ  
alicubi

alicubi moraris momentis, viros convenias; qui tibi, si longior utriusque usus intercesserit, posse a te amari, & in mutuum amorem trahi videantur: quodque, ubi vix fenseris pectus in eorum occursum agi, submotos doleas. Quod quidem fatum, non semel cum expertus sim, ut solarer, dum licuit, iter illuc repetendum esse censeui, ubi memini, me reliquisse & amandos, & amatuos.

Habet præterea Brunosvicum varia, sane dignissima ad quæ non minus, quam ad cives ejus præcipuos, tibi, amicissime Boenike adhuc laudatos, aliosque, quos nosse casus prohibuit, omnis hospes oculos animumque advertat.

Ego quidem ut primum ab amicorum præcipuorum amplexibus me explicueram, mihi potius habui, quam ut Henrici Leonis sepulchrum, vetustam divi Blasii ædem; accederem. Nescio enim, qui factum sit, utra quo tempore primum patrii imperii historiam legeram, tam bene erga Heroem istum, totamque Principum Brunosvicensium gentem, cetera mihi nullo beneficio cognitam, fuerim affectus. Quæ quidem benevolentia mirum in modum est aucta, cum nuper licuit coram revereri Carolum Ferdinandum, aviti Ducatus habenas nunt feliciter moderantem, Principem & belli & pacis artibus clarissimum, Principem humanissimum, Principem a subditis summe amatum.

Piis Manibus summi Herois bene precatus, projectoque in tumulum quasi inferias

Sturus, quem forte manu teneram, flore, subjectam cryptam, tæda comitatis, ne defensus ad mortuos minus solemnis foret, defendi. Brunosuicensium Ducum funera huc nunquam in gentilitium sepulchrum inferuntur.

Præ omnibus aliis, quos inter multi, igitur sine nomine & laude funera promiscua uelphicæ gentis, condunt, duo me ad se traxerunt recentissimi sarcophagi, proxime cognata corpora, ambo posteritatis memoria & honore dignissima, includentes, unum avunculi, necis alterum.

Meruit ille, Ludovicus, cum Phocione comparari: hic, Leopoldus, dum vitam aliis salvandis magnanimus impendit, humanitatis ætina obire. Cujus cor generosum non sine magno animi affectu nudum in manibus tenui. recentioris moris est, principum dum hic deponuntur, corda, argenteæ thecæ inclusa sarcophago imponi. Casus nescio quis fecit, ut certam invenirem, quæ cor Leopoldi includit, thecam.

Dum reliquos circum lustro sarcophagos nominatos, forsitan, mihi dixi patriæ meior, inter tot, etiam ille Brunosuicensium lux hic quiescit, qui quondam a Melchiore obelio Wirceburgensium Episcopo, invocatus auxiliarem militem adversus Albertum Brandenburgensem, & contra Suinofurtum duxit; tamen infecta, quod urbem custoditam, suis armis superiorem, & inaccessibilem intelligeret, reverti post, domum reduxit. Ha-

Habet Brunosuicum celebre Athenæum a fundatore, Carolinum dictum, ubi liberales artes & humanitatis studia ea tractantur ratione, qua non in omnibus similibus Institutis.

Habet Orphanotrophium, parum ab aliis, internam œconomiam quod adinet, multum autem a multis externo fabricæ habitu distinctum.

Haberet etiam regundis studiis publicis & universæ per omnes terras Brunosuicenses rei pædagogicæ dirigendæ, magistratum, si Principi cum Provincialibus Statibus hac super re convenisset. Uti is est omnis boni studiosissimus, simul tamen sapientissimus, & indulgentissimus, vocavit quidem, quos in arte pædagogica excellere Magistros noverat, Campeum, Stuveum &c. ut negotio gravissimo cum auctoritate, qua alii magistratus publici pollent, præficeret; proposito tamen destitit, minime indignatus contradicentibus vel obnitentibus Statibus Provincialibus, quod rem hanc patriæ vel maxime publicam ad se quoque pertinere putarent, juraque avita, & pacta conventa, & mores patrios reclamantibus; ex quibus novum cum jurisdictione Magistratum se invitis introducere non liceat.

Interim, quod isti Pædagogica in arte principes re, & collegiali publica auctoritate adhuc nequeunt, scriptis saltem in hoc genere classicis rei pædagogicæ consulunt, vota que Principis optimi non sinunt esse omnino irrita.

Ha.

Habet porro Brunofuicum inſigne & celebre gazophylacium, multa, quæ ad naturæ, plura, quæ ad artis humanæ indiſtriæ & ſolertiæ, quandoque male in inutilibus ſedulæ, hiſtoriam pertinent, ſingularia continens. Pretioſi lapidis gemmæ inciſæ: celebre potiſſimum, quod a Principibus Mantuanis olim poſſeſſoribus, nomen habet, pretio vero tam ob lapidis, quo conſtat, indolem, quam ob inciſoris artificem manum maximo æſtimatur, vas: collectio præterea locupletiffima ænearum tabularum, diutius me, quam reliqua detinuerunt contemplantem.

Habet demum, ut ſimilia alia minoris momenti, præteream, indiſtriæ & ſolertiæ humanæ novi generis officinam, ubi Stockwaſſero auctore, directore, redemptore varia non tam ad quotidianum vitæ uſum, ſed ad ornatum etiam, ſecundum juſtas recti elegantisque guſtus regulas, utenſilia vel ex ligno, vel ex laminis metalli ductilis, vel ex chartæ maceratae maſſa, facta, affabre picta, vernice obducuntur, atque igne apto, recte ad hunc finem, & varie temperato, repetitoque cocta, cuius uſui aptantur, & contra læſiones multas firmantur.

Sodalitio fratrum Sinzendorſianorum, quod genus hominum quam maxime ab indiſtria & ſolertia commendatur --- adſcriptus eſt vir iſte, in omni laudum genere pari cum ſuis ſodalibus contendens paſſu. Religioſos aliorum

rum, qui porro Brunosuici degunt, fratrum conventus patitur suis in ædibus fieri. Miratus sum, hos inter etiam esse, & præcentoris munere fungi, qui criminali justitiæ executioni dandæ suam operam locavit; a qua quidem vitæ ratione putaram hujus sectæ ingenium summo opere abhorrere; tempestive tamen, ne nimium mirarer rem, ut videbatur, insolitam, memoriæ subvenit, disciplinam nonnullorum Monasteriorum satis severam, & fere, ut videtur normam inspicientibus, qua Franciscanorum, quaque Norbertinorum Nemesis in suos animadvertere solet --- capitalem, fratres laicos sive servientes, habuisse ministros & executores. Novi monasterium, e quo frater Laicus in hoc genere, in exequenda nimirum nemesi dexterimus, & in tota circum regione ob hanc prærogativam famosus, sæpius ad alia monasteria, ubi idem genus officii in fratres rebelles, & talis disciplinæ severioris reos præstaret fuit --- ut traditione satis probata doceor, vocatus.

Sed ut ad Stockwasserum redeam, placuit in viro modestia, & æquitatis studium, quo similem probavit laudavitque florentem apud nos officinam: ubi vernicem corio inducunt, ex quo varia dein fiunt utensilia, pilei præsertim. Similia se ait, etiam aliquando cogitasse & tentasse: consilium tamen abjecisse, & ab ulterioribus abstinuisse experimentis, ut primum viderit, quæ Wirceburgi fierent. Puto tamen, adjicit, qui Wirceburgensi officinæ præest, æque

æque parum æmulo mecum studio contendere posse, ac me cum illo; consultius proinde fore, sua quisque ut tractet, nec alter in alterius merces, messemque involet. Annui & valedixi.

Vellicat aurem Optati mei Genius, atque hæc omnia a se, suisque libris & tota Donatistarum causa aliena esse, & nimium distare monet, queriturque. Sed placandos mox mihi, si profana & allotria hic recensens, iratos habui, Optati Manes spero. Multa enim in recessu habeo causæ Donatisticæ affinia, saltem, quæ ecclesiastici argumenti & in suo quidem genere singularia sunt. Hæc posthac per intervalla, partesque proferam, prout nempe id iudogetici mei, vel argumenti in quo versatus ihero, ratio postulaverit.

Diu est, quo incidit, rem esse gravem, & jucundam, nec minus amplam, quid in terris Protestantium veteris adhuc ritus, religionisque Catholicæ supersit? Quæ sint rationes, cur hic plures, alibi pauciores, hi ista, ibi illæ veteris religionis, prisca ritus morisque reliquiæ supersint, & quædam adhuc sanctitatem publicam retineant? Quæ sit diversa in diversis regionibus Protestantium ad Catholicos, vel horum ad illos ratio? indagare, & recensere. Ab inde notavi mihi ista inter præcipua, ad quæ dum porro peregrinarer, animum adverterem.

Ipsam Brunsvicam singulare aliquid ipsius fere huic regioni soli proprium obtulit, a



quo ut ordinar, æquum, & toti meo consonum  
 fiidogetico fuerit.

Canonicorum collegia, & Virorum æque  
 ac Virginum cœnobia, omnia salva sunt: salve  
 omnes dignitates utrisque adnexæ; salvi utrin-  
 que omnes redditus: salva omnia, sed in mel-  
 lius mutata.

In Hannoverano Ducatu unum solum in-  
 ter multa, quæ Lutheri reformationem admisse-  
 runt, Virorum monasterium, Locumense, om-  
 nem fere veterem rationem retinuit. In vici-  
 nis terris Halberstadiensibus & Magdeburgicis  
 uti Misniæ, Merseburgi, Naumburgi in supe-  
 riori Saxonia, æque salva mansisse & Canoni-  
 corum collegia & cœnobia quondam Mon-  
 chorum omnia, minus est. Per pacta enim pu-  
 blica id provisum; & Episcopatum omnem  
 externam rationem, istæ Provinciæ eadem ma-  
 jorum providentia retinent, licet illa in Bren-  
 denburgici, ista in Saxonici Electoris, pleno cen-  
 troquin & perpetuo jure ditionem concesserint.

Capitula Canonicorum res suas omnes  
 ipsa administrant; parisque sunt fere per omnia  
 cum Halberstadiensibus & Magdeburgensibus  
 aliisque per superiorem Saxoniam Capitulis  
 conditionis. Quibus a Principe suis vicibus  
 alternis, Præbendæ conferuntur, publico tan-  
 esse muneri addicti, præsertim in illustri Aste-  
 næo, Carolino humaniores litteras proficiunt  
 lent, ita ut redditum qui vel meritis, vel do-  
 mesticis rationibus Præbendæ correspondat,

que.

quædam proportio inde quærat, & ærarium subleuetur, publicorum munerum solvendis stipendiis destinatum.

Ad cantandas quotidie horas adiguntur quidem, sed nec ad diuturnas, nec ad frequentes, nec stricta lege. Officiis publicis cantum suppleant utilius. Nec veste distinguuntur, quantum mihi constat, ab civibus: vidi saltem, qui choro intererant, iis vestibus induti, quibus communiter domi forisque utuntur.

Paulo aliter Magdeburgenses & quotquot in terris Saxonis, Misniæ, Merseburgi, Naumburgi sunt, Hammoniacique Canonici. Chorum enim nunquam cantaturi adeunt: ad capitulares autem consultationes nigris vestibus, ac palliis ex panno holoserico confectis, & capillis, circa caput in orbem more clericorum plicatis, distincti conveniunt.

Halberstadienses, antiquum ritum integrum servant. Etenim ad cantandas horas ter templum & chorum adeunt; vestiti talari tunica nigri coloris, cui superpelliceum ut vocant, linteum injiciunt. Vidi ego, qui solemnibus hisce induti vestimentis e templo redibant, cetera ocreati, & capillis in nodum collectis, ut fere recta ad campum Martium e templo prodire licuerit. Priorum ratio si in eo versatur, quod hic Protestantes sint Catholicis mixti, Canonici Canonicis, Vicarii Vicaricis? fallit ista in Lubecensi Ecclesia Cathedrali, Catholicos præter cum Protestantibus Canonicos alente. Præ-

ter certi temporis residentiam, enim & capitulares conventus nihil amplius statuta a Canonice exigunt. Nullus porro in templo Cathedrali Canonorum chorus, vel cantus; & Catholicis nequidem publice licet sua sacra agere: ad privatos conventus sacros ipsi etiam Catholici Præbendati conveniant necesse est. Paradoxum autem vestiendi se Canonici Halberstadiensis modum, quo Clericum idem militemque repræsentat, si mireris, meminisse oportet, obsoletum esse in Brandenburgensi Codice illos Canones, qui de Clerico milite disponunt, non raro autem utriusque militiæ clericalis & togatæ, vel sagatæ etiam stipendia licere Canonice simul mereri.

Alia Monasteriorum, quam Capitulorum in terris Brunsvicensibus est ratio. Illorum proventus a proprio, huic uni muneri destinato Collegio administrantur. Dignitates Abbatum, Præpositorum, Dominarum, & in cœnobiis Virginum etiam Præbendæ nonnisi a Principe dantur. Virorum monasteria, quod totidem sint, unde sacri aliquando Curiones petantur seminaria, ab Abbatibus replentur, inter candidatos quos volunt, eligentibus. Prioris & Directoris munus sustinet, qui vel eidem, si quem adjectum habet monasterium, pago præest Curio, vel qui vicino.

Tres Abbatæ Theologis Helmstadiensibus: una, Riddagshusana, supremo sacrorum, quæ in aula Ducis sunt, ministro: illa quæ ad  
fon-

fontem Amelungii sita est, Parochiarum quæ circa illam sunt, Superattendenti, ex consuetudine jam longa conferri solent.

Redituum certa portio Abbatibus cedit, ultra quam tamen alia non desunt emolumenta; qualia sunt: posse in Monasterium quandoque feriatum una cum suis secedere, ubi ex ærario victus præbetur. Imo tenentur certis vicibus ibi agere Abbates, ut præsentibus melius rationibus concrediti sibi monasterii, consulant, & Conventualium moribus ac studiis superattendant.

Alia & multo beatior est monasteriorum, quæ Halberstadii, Magdeburgi, & unici quod in terris Hannoveranis relictum est Protestantibus, cœnobii Loccumensis conditio. Non enim solum suos ipsa reditus administrant, sed etiam quos voluerint, Abbates eligunt.

Unum hoc inter & illa discrimen intercedit, quod horum eligendi liberum alias arbitrium, ab aula regia quandoque vel dirigatur, vel turbetur. Recens id Monasterio Bergensi contigit; ægre, ut audio, id ferentibus & Conventualibus & Statibus Provincialibus terræ Magdeburgicæ.

Loccumensem Abbatem scio nemini adhuc administrationis suæ rationem reddidisse: sed neque Conventuales suæ electionis. Quod quidem & Abbatis & Conventualium privilegium eo insignius est, quod ille inter Status

Provinciales Calembergici Ducatus primum locum occupat; & pingues redditus habet.

Qui, qualesque sint in hisce monasteriis Conventuales; & rerum suarum arbitrium habentes, & liberæ electionis jure gaudentes, quæris? Non iidem ubique. Seminaria Clericorum ad munus pastorale adspirantium sunt alia, alia scholæ, educandæ, & in studiis humanitatis erudiendæ juventuti dicatæ, alia, etiam viris solitariam vitam, & studia amantibus, quandoque secessus sunt.

Ubi electio Abbatis & bonorum administratio libera mansit, Conventualibus etiam quicunque sint, integrum est, vitam ibi agere perpetuam.

Monasterii ad Divæ Virginis quod Magdeburgi est, primæ Præmonstratensis Instituti sedis Conventuales, præcipuum aliquid habent, unde vitæ solitariæ & cœlibis, si quod illos cepit, tædium solentur. Cum enim in varias Parochias jus patronatus exercent, singulos singulis Conventualibus ex ordine ipsi conferunt. Parochiam nacti disciplina monasterii eximuntur, vitæque sociam, dum lubet, ducunt.

Abbatibus, qui a Conventualibus eliguntur, cœlibatus, uti ipsi Conventuales, lege tenentur, nisi aut jam conjugati eligantur, aut conjugium inire iis a Conventualibus, cetera nequitquam difficilibus, indulgeatur. Mariani tamen apud Magdeburgenses cœnobii Præposito

sito, ex more recepto, quin id sibi a Conventualibus permitti roget, inire matrimonium licet; qua propter etiam sejunctas a cœnobio, ædes proprias habitat.

Est in Ducatu Hannoverano ---- rem tibi ex autenticiis documentis narro, mi Bœnike, neutiquam vulgarem, & huc prope partinentem ---- haud procul Hildesio Cistericensis ordinis monasterium, ab omni alio, qualiscunque sive politicæ, sive ecclesiasticæ jurisdictionis superiore, nisi Hannoverano Electore, exemptum, Divæ Virgini dicatum, indeque Marienrode dictum; ubi dum Abbas moritur, novusque eligitur, scenam videas, nusquam alias iterum spectandam.

Abbate defuncto, Satrapia Calembergicæ præfectus, monasterium occupat, cui provincialis militis præsidium imponit, & summi Principis munere fungens imperat.

Ipsa die, quo successor eligendus est, veniunt Hannovera, qui Electoris nomine totum negotium dirigant: unus qui a politicis, alter qui ab ecclesiasticis ipsi consiliis est. Admittitur etiam, quasi rei agendæ testis, alter quidam, ut Cisterciensibus in more positum est, ejusdem ordinis Abbas.

Ad illos Electoris Commissarios, ut primum advenerint, & sigillum monasterii, & Abbatiale pedum mox defert claustrum Prior.

Ecclesiastici ordinis Commissarius, electionem auspiciatur inter Monachos hymnum into-

nando: *Veni creator spiritus*, subjctamque orationem recitando. Alter, laicus, sermonem habet ad Electores. Ambo vota Electorum -- singuli ad ea danda in conclave vocantur -- scrutantur, numerant, ponderant; atque electionem, canonica si fuerit, ratam habent, proclamantque; si controversa, decidunt; suspendunt, vel irritam faciunt, si Principi ingrata.

Electo Abbati, Commissarius laicus Principis nomine interioris claustris claves, sigillum, pedum, ipsamque cum hisce symbolis jurisdictionem tradit.

Sic electum, confirmatum, investitum, in templum deducunt. Præeunt bini & bini Monachi, sequuntur Consiliarii Hannoverani.

In templum ubi perventum, Commissarius laicus politicam Principis sui potestatem gerens, solium: Abbatialem sedem, Abbas occupant. Commissarius clericus, recta ad altare accedit, cui alte oranti Monachorum chorus respondet.

Prima oratione facta, & Commissarius laicus, & Satrapie Calembergensis Præfectus Abbatem ad altare deducunt, orantique Commissario clerico sistunt, manum ipsi imposituro, atque in abbatem consecraturus.

Lepidum jam aliquid audi, mi Bœnike, simul tamen temporum indolem variam, nostrique quod vivimus ævi, meliorem: hominum diversa opinantium animos, invicem quon-

quondam aversos, nunc sibi reconciliatos amicosque mirare & mecum gratulare.

Sexto adhuc seculi hujus decennio, subducere conabantur inaugurandi Abbates, quanta vi poterant, caput suum, ne profanis Clerici protestantis manibus tangeretur. Qui autem retro initiandum stare solent, Principis Commissarii laici, pari vi ut obniterentur, subdutumque manibus imponendis caput restituerent, in mandatis habuerunt; quibus neutiquam segnes ad amissim semper paruerunt.

Proponitur interea Abbati & Monachis, ut pacto inter se & Electorem Hannoveranum ineundo, ipsi jus Patronatus, quo in varias August. Conf. Parochias gaudent, eatenus Consistorio Hannoverano cederent, ut inter tres ab ipso sibi presentatos Ministerii sacri Candidatos, quem vellet, Abbas eligeret; quippe invaluisse constabat morem, simoniacis, & plus licitantibus Parochias conferri --- quod quidem etiam alias fieri a Patronis diversæ a Parochianorum fide Confessionis, atque ut licitum, saltem minus malum putari & scio, & doleo & erubesco --- Princeps vero Hannoveranus in vicem Abbati permetteret, subducere caput manibus Clerici Protestantis, ipsum initiantis; siquidem ægre videatur Abbas Catholicus ferre, se tali ceremoniæ esse subjectum.

Pactum sibi propositum, modumque transigendi suggestum, declinant Monachi astute sane, & perquam urbane. Quemvis suorum,



asseverabant, si quando Abbas iniciandus sit etiam honori sibi ducturum, ad hancce dignitatem ab illustri Consistorii Hannoverani socio inaugurari, tantum abesse, ut id ægre ferant, aut tali transactione lucri aliquid se capere sibi persuadeant.

Demum qui Abbatis adhuc Monasterii gubernacula moderantis, electioni Commissarii aderant, a Principe suo acceperant mandatum, ut conniverent, si leviter subtrahat caput Abbas iniciandus.

Vicit in hoc rursus Abbatis prudentia. Ne leviter enim quidem caput subtraxit, nihil dubitans caput subicere bene sibi precanti, quisquis is fuerit. Ecce tibi temporis quod vivimus, benignitatem, utramque partem sibi ex æquo conciliantis; præjudicatasque opiniones vel corrigentis, vel tolerantis.

Abbas hac ratione inauguratus in plenam suæ dignitatis, suorumque jurium & temporalium, ut dicuntur, & spiritualium possessionem a Commissariis immittitur, traditis exterioris etiam portæ clavibus, dimisso præsidio militari, & accepto ab hominibus sui monasterii mansi hommagio solemn.

Adnumeratur etiam Statibus terræ Calembergicæ Provincialibus, non tamen secretiori Delectui. Generalem inde tantum Convantum eorum adit, nec publicis ærarii, sed sui Monasterii ære privato, dum diætæ aguntur, sustentatur.

Geminum huic electioni ac inaugurationi Abbatis Catholici ab Augustanæ Confessionis Clerico, quæ in Ducatu Hannoverano fit, quodammodo est, quod Wezlaræ obtinet. Summi, quod ibi fori medium occupat, templi, summam partem ---- Chororum appellant ---- Canonorum Catholicæ Confessionis additorum collegium possidet, ubi & psalmos canit, & reliqua sui ritus sacra obit. Navem Protestantes sibi propriam & privam habent. Præmarium hujus templi, totiusque Augustanæ Confessionis cætus Pastorem, collegium Canonorum, simul & urbis Magistratus conjunctis suffragiis, certa, inæquali tamen rationa distributis eligunt. Electum collegii Canonorum Decanus manuum impositione, & hujusmodi solemnibus formula: *Ego te constituo in verum Pastorem A.C. &c.* suo muneri inaugurationem Protestantibus Pastorem præficit.

Sunt præter monasteria, & Canonorum collegia, multæ aliæ veteris ritus reliquiæ, quas non sine minori ceteroquin, quam qualis circa residua adhuc monasteria & Canonorum collegia, obtinet, varietate, inter peregrinandum in terris Protestantibus deprehendi, memoratu dignæ. Harum tibi aliquas hic adhuc loci, ne ceptum argumentum Donasticæ causæ tam affine, justo citius abrumpam, visum est, recensere: quaque de causa, vel quo quælibet fato aut casu sint servatæ? cur sint hac vel illa ratione servatæ? ubi id liquidum erit, vel con-

jectura

jectura attingi poterit, simul indicare. Magna autem talium causarum, rationum & modorum --- ut hoc prævie moneam --- varietas est, vel pro ipsa harum reliquiarum varietate, partim pro varietate ingenii, indolisque hominum, in abjiciendis retinendisve priscis moribus aut ritibus suas partes habentium: partim pro varietate circumstantiarum temporis, locorum, &c.

Quid, quantumque veterum vel dogmatum, vel rituum sibi singuli homines, quaque de causa servaverint: ecquis recensabit? cujuscunque enim hominis religio propria privaque, ab omnium aliorum hominum religione, subjectiva quandam differentia distat; nec idem in hoc, qui in illo est religiosarum opinionum numerus & modus.

Nunquam omnem religiosarum opinionum complexum simul & semel ab hominum aliquo abjici, totumque repente systema mutari, quin veteris sive religionis, sive superstitionis aliquid relinquatur, a frequenti constat experientia; & videtur communi naturæ, aut lege aut consuetudine fieri, quæ, quidquid mutat, per intervalla & successivis motibus ita mutat, ut non omnino difficile sit, adtento rerum quæ in mundo fiunt, spectatori, in quavis nova forma, veteris adhuc formæ saltem levia vestigia quædam deprehendere.

Retinere autem sapientiores etiam viros ex priscis aut opinionibus aut moribus quandoque leviores quasdam, & minoris momenti reli-

reliquias, tales etiam, ut superstitionis inde notam fere apud vulgus ineant: easque magna religione custodire: id quidem humanum est; id fatum commune nostri generis omnes habemus: ut suos quisque patiamur manes.

Reliquiæ istæ, domesticæ institutionis vi possunt a parentibus in posteros transire: qui illas deinde vel ex consuetudine, vel ex religione, vel communi illo, quod dixi, humanæ imbecillitatis fato, vel quocunque alia de causa, scientes prudentesque servant, custodiuntque.

Incidunt varia exempla, ex quibus, quod quidem puto non injucundum fore, extantiora hic proferam.

Socratem sapientissimum sui ævi mortali-um miratus sum sæpius, postremo adhuc vitæ suæ momento, fatali, ob neglectam patriam Atheniensium superstitionem, veneno, ex decreto judicum jam hausto, precari amicos, ut se fatis functo gallum Æsculapio immolatum irent. Hominem se esse hoc documento prodidit, vir alias vix non omni humana sorte major visus.

Theologiam cum profitear, non possum non meminisse primæ Christianorum Ecclesiæ in duas classes distinctæ, quarum una Judæos altera Gentiles ad nova sacra conversos complectitur. In illa Judaicæ religionis, in ista Gentilis philosophiæ & superstitionis multum permansit. Utraque apostolis magnum faceffivit negotium, ut puram servarent, vel redderent

ab adventu fermenti, quam ipsi tradiderant, religionem Christianam. Multa adiaphora, multa bene congrua, ex utraque regione mutuata est, vel adoptavit Christiana Ecclesia. --- Ut enim sensim desuescunt homines inveteratis & opinionibus & moribus, præsertim si quam a religione sanctitatem habuerint; ita prudentiæ fuit primorum Christianæ fidei Magistrorum: tolerasse toleranda, atque etiam adoptasse, quæ novæ suæ fidei vel congrua, vel adimacula futura ipsis sunt visa; ne vim inferrent mentibus animisque discipulorum; aut contrairent communibus legibus naturæ, nihil repente mutantis, sed veteres formas sensim & leniter in novas traducendis. Unum rectum criterium: præclarum exemplum, & monitum quibuscunque, vel mores vel opiniones hominum reformare conantibus!

Sed ut exempla recentioris ævi, atque diversæ paulisper originis proferam: memini in æde Divi Stephani, quæ Moguntiaë est, servari in secretario Hostiam ut ajunt, quæ consecrata olim, & ostensorio in nescio quo Norimbergensi templo custodita, a cive quodam in ipso reformationis, quæ templa expilabat, æstu, clam subrepta, domumque portata, ac religiose servata, diu per aliquot generationes domesticum toti familiæ numen mansit; cui & consuetas mane ac vesperi preces, & vota, quot vicibus novo se senserat præsidio indigere, & quisque privata, & tota familia communia fundebat;

debat; cui etiam soli longævam Domus incol-  
lunitatem, & prosperos non raro præter ex-  
spectationem, eventus in acceptis referabat.  
Conscijs hujus rei quidam ad D. Stephani Ca-  
nonicus, illi familiæ sanguine junctus, sibi, ut  
publico rursum templo & publico iterum cultui  
exponeretur, tradi hoc adhuc domesticum  
familiæ suæ numen, a primi acquirentis abne-  
pote, jam minus quam parentes fuerant, in  
illud religioso, & postulavit, & impetravit.

In Marchionatu Onoldino frequentes sunt  
adhuc ad Divum Vitum, cui sunt & oppida &  
templa adhuc sacra, supplicationes, non invitis  
illorum oppidorum Parochis, quod anathema-  
ta, vota que soluta in censu numerant.

Alibi votiva loca accolæ Protèstantes fre-  
quentes adeunt, auxilia sibi redempturi, soluto pro  
legendis missis stipendio, donisque sanctuarii  
custodibus Monachis largiter, ut ne a Catho-  
licis quidem dentur largius, datis; quod mihi  
ab ipsis Monachis est bona fide relatum. Nem-  
pe unde unde auxilium venerit, gratum est in-  
digenti; nec solent, qui angustiis premuntur,  
intentatum aliquid relinquere, unde alios au-  
xilia viderint expectare, vel quod sibi benefi-  
cium fore, audierint ab amicis commendari.

Narravit mihi vir Ministerio sacro Luthera-  
no addictus, sapiens doctus & bonus, se ma-  
tris moribundæ, jamque defunctæ jussu sup-  
plicationem ad Divi nescio Viti, an Ægidii sacel-  
lum, supplicationibus olim frequens & celeb-  
bre,

bre, nunc tamen derelictum, mox obiturum; nec deesse posse matris & moribundæ & filium adjurantis votis & jussibus supremis. Ecce hic filialem pietatem, ibi lucri cupidinem aliorum hominum, dicam? religioni an superstitioni obsecundantem!

Hanc, quam dixi lucri cupidinem scio varia alia, utut superstitione sint visa & habita, vel servasse, vel in usum revocasse. Ut unum dicam: Nosco, qui pueri cum essent, Sacerdoti Catholico ad aram facienti ministrarint, ut aliquod inde minerval reportarent, scientibus & parentibus & Magistris, beneque ex Catecheticis institutionibus suis gnari, superstitionem, imo abominationem haberi a suis hocce genus ritus sacri Catholicorum; & prompti ceteroquin ad eadem respondenda, cuicumque se de sua hoc super articulo fide interroganti.

Sed missis hominibus singulis, ad provincias potius, urbes & oppida convertamur; atque ad magnam quæ hic quoque occurrit in opinionibus, moribus & ritibus, varietatem, ad varietatisque hujus causas & rationes animum advertamus!

Jam in ipsis, queis extra templa & sacrum Ministerium utuntur, Mystæ Protestantici vestibus, diversos in diversis regionibus modos observavi, quorum alii propius alii remotius ad nostrorum Clericorum morem accedunt. Brunsvici & Hannoveræ talari veste aperta velut pallio, & pileo rotundo utuntur; subuculæ

vero

vero manicis, ea parte, qua manus ambiunt, circulum lineum albi coloris circumdant. Lubecæ & Hammonix vestem talarem, sed fibulatum, atque albo pariter circulo lineo in manicis distinctam adhibent, parum a Monachis discrepantes, eoque magis hospitis e terris Catholicorum advenientis oculos ad se trahentes, dum sic vestitos vitæ sociam manu per ambulacra publica, urbisque plateas ducentes viderit. Honor etiam his in terris, Lubecæ præsertim & Hammonix, Clericis præcipuus habetur; & maxima est Pastorum auctoritas. Bremæ, simplicior vestiendi se ratio placet Lutheranis Clericis, forsan quod Reformata ibi sacra prævaleant, in omnibus suis partibus, longe Lutheranis simpliciora.

Ubique fere ita vestiuntur Clerici Protestantes ut a Laicis in quotidiano etiam vitæ commercio distinguantur, hoc uno discrimine: quod hic præsci moris hoc quoque in capite tenaciores sint, alibi liberaliores, ac seculi labentis ingenio indulgentiores. Memineris, mi Bœnike, æneæ tabulæ, qua fabulæ, Nothackeri quondam Pastoris fata recensentis, auctor, varietates vestitus clericalis variis temporum periodis introductas, opitulante, manumque artificem commodante Daniele Chodoviechio, repræsentavit.

Nec est dum sacra faciunt, earundem ubique Ministris Protestantibus vestium usus.



Norimbergæ missam nostro omnino more celebrari vidi, Sacerdote Casula, ambobus Diaconibus, Dalmatica indutis. Henotici illius, quod, donec pax religiosa in Germania stabiliretur, *Interim* ab Imperatore propositum fuit, a Norimbergenfibus accepti, vestigium est veteris pompæ liturgicæ usus iste.

Martisburgi in Saxonia electorali, Eucharistiam qui distribuit, Casula induitur vetustissimæ formæ.

Hic superpelliceo linteo utuntur; ibi hoc rejecto, tantum talari tunica: alibi ne hoc quidem amplius delectantur, sed solo pallio, quotidianis nigri Coloris vestibus injecto, distinguuntur in negotiis sacris, vel dum Eucharistiam administrant. Vidi etiam, qui ocreatus sermonem sacrum ex insignis Ecclesiæ Cathedra ad frequentem populum habuit; nequid dicam de illo in terris Brandenburgicis Ministro rusticano, que capillis militari more in caudam collectis, non dubitasse, sacris negotiis fungi, in vulgus ex publicis relationibus notum est.

Etiam hic obversatur menti imago, qua Suiftius Anglus, Satyricorum Princeps, idem jucundus facilis & acerbus, tres fratres de paterna hæreditate disputantes & disponemes, Petrum, Joannem & Martinum in scenam producit, cum fabulam luderet, *ab Orca, vel Fontana* cognominatam.

Gravius est, & dignius, ad quod adtendamus objectum, opinionum & rituum in re  
sacra-

sacramentaria diversitas; quanquam nec parum  
 tam ipsius religionis, quæ, plebem præsertim  
 est docenda, quam rerum Ecclesiasticarum curiosi  
 hominis interfit, qua pompa exteriori, -- adquam  
 sacer Mystrarum vestitus pertinet ---- illa doceatur:  
 quo vehiculo hic, quove ibi utantur publici  
 religionis Magistri: quæ sit in minimis etiam, ---  
 quo procul dubio plures vestitum sacerdotalem  
 referunt ---- diversarum Ecclesiarum, qua ad scopum  
 suum tendunt, œconomia?

Hic inter Baptismi ceremonias Exorcismus  
 servatus: ibi rejectus. Hic ut supersticiosa  
 ceremonia damnatus, ibi ut pars religionis  
 sacrosancta, vix non armis, & civico bello defensus.

Privatæ & auricularis confessionis idem  
 fere, quod baptismalis Exorcismi fatum. Hic  
 religiose servatur, alibi in publicam transmutatur.  
 Non eadem vero ubique ex causa servatur,  
 nec uno eodemque illam omnes ubique modo  
 obeunt. Plerumque certum confessariis  
 minerval a pœnitentibus penditur; quod ad  
 illos sustentandos ---- quippe alias tenuiter  
 aluntur ---- necessarium est. Donec ergo  
 habeatur, unde istud compensetur, liberalis  
 istius census originem & fundum sollicite  
 custodiunt. Aliam, quæ hinc inde etiam  
 obtinet, atque cum ista non raro coindicit,  
 rationem magis splendidam, quod generalior  
 sit, pluresque, præter auricularem  
 confessionem, prisca ritus reliquias  
 servet, posthac indicabo.

Modum, quod adinet, vidi, qui singuli, vidi etiam, qui bini, &, qui terni, non raro qui numero adhuc majori, confessionale adirent. Qui singuli Uni in aurem confitentur peccata, panduntque statum ægri animi, viro prudenti, atque in hoc tanquam præcipuo suo studio versanti, ut bene consulere possit de re animæ suæ sollicitis: agunt sane prudenter, & fini quem intendunt, plane consentaneæ. Qui bini vel terni adeunt confessarium, atque ex præscripta formula, quin specialia, seque propius attingentia dicant, se peccatores esse confitentur: longius absunt a privatæ confessionis scopo & fructu: hunc forsân certius & majorem ex confessione omnino publica habituri, quam prævio ministri sermone ex ambone habito excitata, unanimi voce omnis simul in templo congregata plebis concio, tanquam concepti de peccatis doloris genuinum indicium, & interioris pœnitentiæ altum affectum, emittit. Qui sacrorum summus Antistes, utramque & publicam & privatam confessionem apte combinare sciverit, ita ut nonnisi illa excitati, ac præparati, vel potius provocati, singuli postea suum sibi, cui in aurem dicerent, quæ quisque commiserint, & a quo vicissim congrua sui animi pathematibus medicamina, simul & vitæ recte sancteque agendæ consilia & præsidia acciperent, confessarium quererent: næ ille controversiam bene, & ad utriusque partis beneplacitum composuerit; & efficaciorum reddiderit *utrumque ex æquo modum confitendi.* Vi-

Viget etiamnum quædam sacrorum ministrorum in terris Protestantibus ordinatio, quæ manuum impositione fit; adeo quidem, ut noscam, qui vocati ad munus pastorale, ad aliam profecti, aut missi sunt, civitatem, ut ab hujus Collegio Ministrorum, impositione manuum, ordinationem acciperent, licet Commystas apud se habuerint.

Quod quidem qua ratione cum Augustanæ Confessionis systemate combinarii possit, nescire me fateor; sicut nec quem sacrum effectum tali per impositionem manuum ordinationi, præsertim foris patriam Ecclesiam factæ, tribuant scio, quibus alias hæc placent dogmata: Ministros publicos vel a summi Principis Consistorio, vel ab ipso Ecclesiastico, cui præficiuntur, cætu, omnem, qua indigent, potestatem sacram accipere:---- Pastores alia quam docendi potestate, non gaudere: --- Administrandorum sacramentorum jus & facultatem, illius docendi potestatis partem esse, & communem cum illa originem habere: ---- Ordinationi sacramentalem vim non inesse ---- sacramentorum vim non ex opere operato derivari: ---- Rei sacræ Ministris nomen & potestatem Sacerdotis, sicut nec Eucharistiæ, rationem Sacrificii, competere &c.

Civilem quendam effectum hinc inde tali ordinationi tribuunt, & jura Clericorum adnectunt. Sic in terris Brandenburgicis sunt, ex veteri, ni fallor, Saxonica lege, præcipua

quædam summo Principi jura, in immobilia, si recte memini, eorum bona, qui intestati decedunt, nec habent necessarios hæredes.

Exceptio a regula est, si proximi agnati, & hæredes ab intestato Clerici fuerint.

Novi ego Theologiæ Doctorem, & publicum Professorem, qui dum ex proximæ cognitionis jure, & Clericorum privilegio, relictam nescio cujus cognati hæreditatem contra Regem sibi vindicare contendit, responsum tulit: Non ordinatum, nec nomine, nec privilegio Clericorum gaudere. Atque hæreditatem Rex sibi habuit.

Quis demum sit in diversis terris Protestantibus Catholicorum status, quæ conditio? quantum cum Catholicis hic Protestantes consentiant, quantum alibi ab illis sint abalienati, quam hic credatur esse dogmatum utriusque partis facilem combinationem: saltem quæ sit hic animorum prior nunc, ac olim conjunctio? qua vero alibi pertinacia, quo in dissentientes odio, qua contentione animorum, qua zelotypia avitam doctrinam, vel potius usu receptum, ac civitate donatum tropum pædias tueantur? Hoc quidem amplissimum & gravissimum argumentum nemo, puto, totum exhauriet. Nec invidia carebit, qui id in se susceperit. Ego pauca tantum, non ita obvia quæ huc pertinent, momenta afferam.

Ubi Sacerdotum major auctoritas, ibi & veteris liturgiæ, & symbolicorum librorum,

rum, & avitæ doctrinæ major, & sanctior religio.

Ubi utriusque confessionis homines & plures, & sibi propiores degunt, facilius sibi mutuo adfuescunt; atque amicis propinquisque semel in invicem animis, altera alterius placita vel trops, dum vera deprehendit, promptius, in regula saltem, vel ex naturali psychologiæ lege, adoptat.

Dum summus in republica Princeps, sacris minoris suorum subditorum partis, est addictus; tunc dominans, ut dicunt Ecclesia, & liturgiæ, & doctrinæ avitæ fit multo pertinacior. Tunc etiam pars parti est minus amica: majori potius invicem zelotypia, æmulatur ita, ut, quæ major est, & dominans, timeat, ne Princeps suæ, cui est addictus, Ecclesiæ, plura conferat, quam e re dominantis religionis sit, beneficia: altera vero, minor nempe, quod minus dederit, quam ipsa expectaverit, & doleat, & queratur. Hinc Princeps plerumque, ut invidiam utriusque Ecclesiæ devitet, res eo manere statu jubet, quo alias fuerint. In Electorali Saxonia hoc potissimum adverti.

Subinde Statuum Provincialium pro sua religione vel Ecclesia, zelus, Principem prohibet, ne alteri recens admittæ religioni non suæ, liberalius indulgeat. Hujus exemplum aliquod Thuringia præbet.

Alibi, suæ religionis socios in vicinis terris æque parum liberaliter haberi causantur, qui

alteri religioni vel civitatem donare, vel jam in civitatem receptæ privilegia ampliora concedere, gravantur.

Lubeccæ & Hammonia privatifimum religionis suæ exercitium habent Catholici, licet ibi quatuor, ni fallor, Canonici Cathedralis Ecclesiæ, Catholicæ religioni sint addicti: hic vero & Catholicorum inquilinorum non fit contemnendus numerus; & diffusum per tot alias regiones, Hammoniensium commercium, videatur majorem in dissentientes ab Hammoniaca Confessione Ecclesias, liberalitatem exigere. Hollitenorum prudentia politica Altonæ & Wansbeccæ, ubi publicum templum habent Catholici, dextre scivit in hoc politicorum Institutorum genere Hammoniacam superare; forsan in aliis --- nolo autem, utramque civitatem, invidia ut absit, inter se ulterius comparare --- Hammoniaca prudentia, & gubernandæ civitatis ratione, inferior.

Brunofuici, Quelpherbyti & Hannoveræ publicum habent Catholici suæ religionis exercitium, etiam usu campanarum distinctum. Nullus dubito aliquam hujus in subditos Catholicos beneficentiæ causam, ex generali illa & quasi gentilitia, qua gentis Quelphicæ principes præ multis eminere mihi semper sunt visi, humanitate, ac moderata, justa, benevolaque suos gubernandi ratione derivare; qua etiam monasteriorum & capitulorum pristinam, quantum mutatis circumstantiis fieri potuit, œconomiam

miam adhuc servatam credo; quanquam non fugiat, & privatam nonnullorum Principum, Joannis Friderici præsertim, religioni Catholice addictorum pietatem, & sollicitam pro suæ fidei fociis curam, & aulam Cæsaream, hocce de Catholica religione meritum, sibi commune vindicare. Hæc enim usæ tempore, Hannoverano Principi, Electoratum cum ambiret, publicum religionis Catholice in regia concedendi exercitium, conditionem adjecit; illa vero, ut etiam a cognatis Ducibus Brunsvicensibus, uno sacrarum, quas olim Henricus Leo ex Palestina reportaverat, lipsanarum pretio, totum suum in urbem Brunsvicensem jus venderet, effecit.

Id mirum videri potest, Lutheranos Hannoveræ Catholicis publicum, Reformatis vero, quos tamen sibi magis propinquos credunt, unoque secum Protestantium nomine & jure complectuntur, privatum tantum religionis exercitium concessisse: Gettingæ vero, in ejusdem ditionis & provinciæ urbe, Catholicis non nisi ædes privatas, & privatum religionis exercitium, Reformatis vero privatum quidem exercitium religionis: sacellum tamen, quod publici templi externam, imposita etiam, licet campanis vacua, turri, faciem præ se ferat, permisisse.

Sed leviora hæc. Audi singulare aliquid, mi Bone, cui geminum aliud non inveneris; quo demum relato, dabitis Tu, & Optatus me-



us, viam prosequi, atque rursus per aliquod saltem intervallum, animum ab ecclesiasticis rebus aliorum vertere.

In Goldenstett ex parte Monasteriensis Satripiæ Wechte, ex parte Hannoveranæ Præfecturæ Diepholz, in confiniis Hannoveranæ Ditionis, oppido, Protestantes ita cum Catholicis simultaneam religionem exercent, ut nullibi magis. Utriusque Confessionis cives, Pastorem unum, eundemque habent, Monasteriensis Ecclesiæ Presbyterum, ab ejusdem Ecclesiæ Episcopo datum: Ædituum vero Augustanæ Confessionis addictum, ab Hannoveranæ Satripiæ Diepholz Præfecto nominatum, suoque muneri, in ipso communi oppidi templo, die quodam dominico, finitis sacris, traditione clavium ædis sacræ, quanquam non sine Monasteriensium contradictione, immisum: templum item unum, idemque, & eadem sacra.

Dominicis & festis diebus ad Catholici Pastoris solemnem missam, & sermonem sacrum conveniunt Catholici & Protestantes, quo ipsos Ædituus Lutheranus campanarum sonitu convocat.

Cantum inter sacra idem Ædituus & inchoat, & dirigit. Catholicus Ludi-Magister a monasteriensi Episcopo missus, cantum organo comitatur. Idem etiam vasa sacra custodit.

Ad missæ introitum a sacerdote dictum, omnis populus ex utriusque Confessionis hominibus mixtus, præcinente Ædituo, vetustum canit

nit hymnum latinum: *Kyrie fons bonitatis, Pater ingenite, a quo bona cuncta procedunt, eleyson,* intercipiente organo alternis strophis cantum.

Hymnum, *gloria in Excelsis* eadem ratione, theotisce repetit populus: *Allein Gott in der Höhe &c.* itemque fidei publicam confessionem, *Credo &c. Wir glauben all an einem Gott &c.* quam mediam interrumpit Offeritorium.

Præfationem, ut vocant, solus Sacerdos cantat latino sermone.

Hac finita, solo organo canitur, quod tamen tacet, dum symbola sacra sacerdos consecrat.

Tempore Adventus, & Quadragesimæ Ædituus inde a Præfatione ad dominicam orationem usque, theodiscum tempori congruum hymnum cantat, nonnisi brevi intervallo, quo symbola consecrantur interruptum; cujus actionis sacræ mysterium alto præsentis concionis silentio & augetur, & honoratur.

Post orationem dominicam a Sacerdote recitatam, quem voluerit, hymnum theodiscum Ædituus præcinit.

Tantum sibi utrimque reverentiam & attentionem reciprocant ambæ partes, ut nec Sacerdos, prius quam hymni, se alia adhuc agente, inchoata strophæ sit finita, ad ulteriora progrediatur; nec Ædituus novam stropham inchoet, cum sacerdotem viderit ad prosequenda sacra jam prope esse expeditum.

Data

Data a Sacerdote benedictione ---- quam Protestantes sibi etiam hostiæ consecratæ elevatione impertiri lubentes patiuntur ---- inchoatum paulo ante hymnum prosequuntur. Postea sacrum sermonem Pastor habet. Hoc finito alium rursus, qui sibi videtur, Psalmum, suis præcinit Ædituus, quem soli plerumque Catholica plebe jam foras egressa, prosequuntur.

Tantam dicunt harmoniam inter utramque partem intercédere, ut non tantum nemo, qui forte hospes communibus sacris supervenerit, vel suspicari possit, diversarum Confessionum homines in unum templum convenisse; ut fuerint potius, qui majori religione & devotione hic sacra agi, se vidisse dicant, quam in vicinis pagis homogeneam fidem consistentibus; quod ipse mihi ita se habere persuadeo. Æmulatione enim partes utrimque cavent, ne altera alteri scandalo sit; contenduntque ut altera se alteri quam optime de religione commendet.

Diebus feriatis a templo, sicut a pomeridianis sacris; etiam dominicis ac festis diebus abstinent Goldstettenenses A. C. addicti: nec est tunc, quod ibi Ædituus agat. Paschalibus, Pentecostalibus, & Natalitiis tamen festis, ante sermonem sacrum vespertinum, ex eo, quo sui utuntur, psalterio, hymnum incinit Ædituus, continuatque sermone finito. Secundis etiam harum solemnitatum feriis, tenetur, postquam Catholici Vesperas pro suo more latinas cantaverint,

verint, theodiscum ex suo psalterio hymnum cantare, etsi solus adfuerit.

Ceterum id quoque Ædituo incumbit, ut non tantum festis ac dominicis diebus, ad quævis sacra solemnia matutina æque ac vespertina campanis populum convocet; sed etiam ter quovis die, uti non solum apud Catholicos, sed & in multis, a Protestantibus habitatis, urbibus oppidis & pagis moris est, eodem signo publico moneat, meminisse mysteriorum Incarnationis & mortis salvificæ filii Dei: ac gratiarum pro tanto beneficio agendarum; & funera Catholicorum æque ac Protestantium eadem honoris tertificatione, campanarum nempe sonitu, comitetur. Ad missam tamen, quæ feriatis, atque ad antelucanam, quæ dominicis & festis diebus habetur, non Ædituus sed Ludimagister catholicus, populum iisdem campanis publicis convocat.

Funera omnium nullo discrimine inquilinorum, ut campanarum pulsu, ita theodisco uno eodemque, nulla variatione concessa, hymno funebri, tam in ipso funeris ductu, quam in templo honorare tenetur; sicut Pastor communis eundem, quem suis, etiam Protestantibus publicæ parentationis honorem, sermone in defuncti memoriam recitato, defert.

Scholis etiam communibus utuntur Protestantes & Catholici Goldstettenses, sed ita, ut quisque oppidi condominorum suos subditos, cujuscunque Confessionis sint, ad ludum eum adigat,

quem ipse aperuit. *Æditus* enim ab Hannoverano Duce illuc missus, ludum quoque publicum regit, quo proles suas mittere ab anno ætatis sexto ad quartum decimum usque, subditi Hannoverani Catholici ac Protestantes ex lege tenentur.

Addo paucis, unum adhuc genus simultanei ab illo quidem Goldstettensium diversum, non minus tamen suo in genere paradoxum, & memorabile. In Lusatiz inferioris metropoli, --- Lubbenium vocant --- ubi, uti & alibi per Saxoniz provincias, mixti cum Saxonibus Sclavi vivunt, homiliz, quæ inter communia ceteroquin utriusque originis sacra, recitantur, non uno eodemque idiomate, sed partem unam Sclavico, partem alteram Theodisco, habentur. Unam quæ Theodisco sermone profertur, partem, Sclavi non audiunt; sed quasi fugientes, cum eo devenerit orator, templo exeunt; forisque ante portas quasi præstantur, tempus confabulationibus fallentes perdentesque, donec suo idiomate audito, se revocari sentiant; quod vicissim Saxones rependunt, partem alteram, quæ Sclavico sermone habetur, pariter fugientes. Neutra proinde unitus ejusdemque plebis pars, sermonem audit integrum, licet utraque utriusque idiomatis & Sclavici & Saxonici, bene sit gnara.

Quod sane non diversæ quidem religionis, sed diversi inter communia sacra idiomatis simultaneum, ejusdemque, qualemque descripsi,  
 usus

uis, non spernenda videtur esse accessio, ad historiam superbiæ illius, qua homines minus culti, nec priorum, queis glorientur, meritorum sibi confecti, ex gentis suæ prærogativa se super aliarum gentium homines efferre solent (Nationalstolze). Quem morem, quamquam non a vero abhorreat, ex veteris ævi odio, quo acerrimos suos persecutores Saxones, Sclavi olim persequebantur, quodque feri etiam nepotes, malefactorum parentibus illatorum adhuc memores, nutriunt, & cui vicem rependunt Saxones, funestum restare monumentum.

Brunosiuco Quelpherbytum excurri, gentis quelphicæ incunabula, & magnorum virorum, Leibnizii, Lessingiique vestigia ut vernerer.

Potissimam diei, qua ibi sum moratus, partem, lustrandæ bibliothecæ, quæ ibi est, Augustæ impendi, cuius thesauros, magnos sane, mihi reclusit vir doctissimus & humanissimus, Langerus, Lessingii in bibliothecarii munere dignissimus antea socius, nunc successor.

Curiosus, sed frustra, siquid codicis Josepho Flavio meo posset prodesse, inquisivi. Qui enim Flaviani codices ibi custodiuntur, latini omnes sunt, jam a Knittelio lustrati, excerptique. Frustrata tamen vota, nonnullæ, quas ibi deprehendere licuit, ad duumviros olim

olim in patria mea clarissimos, spectantes reliquæ librariæ, non leviter sunt consolatæ. Has inter primum, tum suo, tum possessoris nomine, miratus sum codicem quatuor Evangeliorum, rarum & antiquissimum, in Syriacâ lingua, caractere, quem vocant estranghelo, ante annos viginti & unum ultra septingentos conscriptum: quem, ut ex autographo testimonio constat, Brunosvicensium & Lunenburgensium Duci Augusto in celeberrimæ bibliothecæ suæ ornamentum, nec non ad gratitudinem pro tot in se collatis beneficiis contestandam, cordis intimo affectu obtulit, dicavit, consecravit, Athanasius Kircherus. Adglutinata est Codicis involucro, donatoris imago æri affabre a Blœmartio incisa, ita, ut viri bonam indolem ex physiognomia liceat divinare. Gratitude, quam Kircherus hoc documento Duci profitetur, annum respicit, stipendium, quo ex ejus liberalitate Romæ degens, gavisus est, quam primum Duci Romæ peregrinanti innotuerat. Per epistolas variæ eruditionis ac leporis plenas, Ducis benevolentiam post hæc sibi servavit & auxit Kircherus. Sunt prætera in hæc Augusta bibliotheca quædam alia non parvi momenti Kircheriana, de quibus, ne longior sim, apud Burckardum, hujus bibliothecæ historiographum, plura leges.

Quantopere pauca hæc Kircheri quondam nostri vestigia vidisse me delectarit: quantus mihi ex patria mea visus fuerim: quantoque  
cum

cum voluptate ingens & omni rerum rariorum genere locupletissimum, quod Romæ est, Museum Kircherianum perlustrarim, & quam frequenter illud adierim, facile conjicies. Hæc equidem semper ibi mecum cogitavi: *Ecce ex Franconia venit, qui tantos thesauros Romani detulit, & sedulitatis tantæ, ut parem vix in homine privato Urbs alma viderit, exemplum illustrissimum præbuit! &, hem, franconia tibi patria est!*

Librariarum reliquiarum altera, quæ ad res patrias referri posse visa est, saltem patriam rursum & insigne quondam illius decus, Joannem Tritthemium in memoriam revocavit, est Augusti Ducis, bibliothecæ hujus conditoris opus, quod Gustavi Selenii accito nomine, anno prioris seculi quarto post vicesimum, grandi volumine edidit: *Systema integrum cryptographiæ, in quo libris undecim, cum nihil non illius artificiosi argumenti, tum præcipue Steganographiæ a Joanne Tritthemio Abbate Sponheimensi & Herbipolensi, admirandi sane ingenii viro, magice & ænigmatice olim conscriptæ, enodatio traditur.*

Passim ante hac Tritthemiana illa Steganographia magicæ impietatis suspicione, post Caroli Bovilli insectationem laborabat, & solemnè romanæ Curiæ interdicto, legi erat prohibita. Cardinalis Bellarminus scribere non dubitavit: “opus illud prohibitum merito est, cum sit plenum perniciosis dogmatibus ad magiam pertinentibus, quod & ipse agnovit, & confessus



est., Franciscus Junius, Theologus profecto doctrina multiplici excellens, cum bibliothecam Heidelbergensem curaret, αυτογραφον ipsummet Tritthemii, Philippo Electori Palatino ab auctore oblatum, tanquam magica referatum δαιμονομανια, combusserat. Inter magicos libros & Joannes Wierus referre Steganographiam non est veritus, cum ipse præstigiarum suspitione sese vix liberaverit.

Quam feliciter Princeps purgaverit boni Tritthemii illud quidem opus, audi sodes judicium Gabrielis Naudæi, viri utique multa eruditione clarissimi, in bibliographia politica. "Quod ad Steganographica, inquit, pertinet, quæ Carolo Bovillo doctore parum nasuto, ac ipsius relatione, multorum credulitati, magica omnino visa fuerant, ea sic nuper illustravit nobilissimus auctor Cryptographiæ, Gustavus Selenus, ut quidquid in illis obscurum, involutumque tandem in summa omnium opinione ac veneratione delituerat, non amplius sui desiderium excitet, postquam ab illo resectum atque patefactum est., Ipsemet Gerardus Joannes Vossius, vir itidem longe doctissimus, lecto Seleniano opere, socii sui, Francisci Junii de Tritthemiana Steganographia judicium nonnisi trepide, & leviter ausus est suscipere, viri doctissimi præconio Gustavum nostrum profecutus. Liberavit Tritthemium fateor, & Joannes Caramuel Lobkowitzius ab infamia illa magica, sed volumine multum dispari, & ali-

quot

quot demum post Principem annis: quamvis inepte ausus sibi primo gloriam illam vindicare, Principis ingentibus meritis per *κακοζήλιαν* diffimulatis.

Bibliothecæ hujus originem non possum quin tibi ex Conringii ad Boineburgium epistola describam. Portento mihi fere simile est visum, Principem ejus conditorem, paucis primum redivis tantum potuisse opus moliri: postea vero ad reipublicæ gubernacula admotum, adhuc litteris & suæ bibliothecæ vacare, quin aliquid exinde detrimenti respublica pateretur. Quantum possunt homines, si uti suis viribus, si uti tempore didicerint! Quam velim trahat plurimos & divitiis & otio abundantes privatæ fortis viros, hoc illustrissimum Principis, qui & prius pro ratione dignitatis suæ, & magni animi non satis dives, quantam potuit æris summam, instruendæ bibliothecæ impendit; & postea negotiis publicis intentus, nec musas tamen & litteras prius amatas deseruit, sed quascunque vacuas horas illis consecravit, exemplum, ut dignum quid beata sua conditione audeant, & quantum possunt, de suis divitiis, & de suo otio litent musis & reipublicæ, indeque famæ sui nominis perennem, & gratam suorum beneficiorum memoriam sibi a posteris redimant.

“Thesaurum hunc librarium ---- scribit Conringius ---- regia profecto, siquod aliud vere magnificum opus, æmulatione Princeps

meus condidit. Nulla hic spolia, raptus nulli: nullæ manubiæ: a majoribus nihil apparati: dona perquam exigua, reapse igitur itidem nulla. Omnia nummis coemta: bona eorum pars, cum vestigalia perquam modica adhuc essent, imo propemodum infra modum.,

“Annus hujus seculi --- XVII. --- quartus agebatur, cum tanti operis facta sunt initia. Erat is annus sanctissimo Duci vitæ sextus vicissimus; quæ ætas voluptatibus aut ludicris intenta plerumque est, rarissime libris congerendis, in principum præsertim ordine, ut ille multo pluribus est obnoxius vitiorum illecebris. Potior amplissimi Ducatus Brunsvico-Luneburgici pars possidebatur ab agnatis. Paternæ hæreditatis potissimum cesserat fratri maximo. Nec ulla sese vel eminus ostendebat spes, fore, ut extincta fratris, multo minus agnatorum aliqua domo --- quarum quippe unaquælibet multa sobole mascula instructa, pene æternitatem pollicebatur suæ posteritati --- in pinguis alicujus provinciæ possessionem Princeps juvenis aliquando succederet.,

“In aulæ sedem acceperat optimus Princeps Hizkerium, ut vulgus contractim loquitur -- latronum olim confugium --- cui genuinum nomen Haiddesacker, quasi tu latine Hiddonis agrum appellites.,

“Illa ætate, illa vitæ conditione, illo loco erat Princeps, cum opus magnis duntaxat regibus, nec eorum nisi paucis, tentatum, moliri  
haud

haud dubitavit, idque nulla vicinorum quidem regum, Principumve invitatus æmulatione. Nec vero quisquam viciniæ simile quid vel conatus hæctenus fuerat, tametsi in amplissima positus fortuna: nisi quod inter cognatos Principes Julius Dux ut animo regio hanc nostram Juliam condiderat, ita & bibliothecam, quæ Nepotis Friderici Ulrici Ducis beneficio denique cessit nostræ huic Academiæ, sibi struere incepisset, eo tamen successu, ut quod de Cæsare Julio & Augusto in doctorum monumentis legimus, merito dicendum de nostris veniat: Julium bibliothecam *destinasse*, Augustum perfecisse.

“Ceterum non magno magis animo Princeps quam prudente consilio rem adgressus est. Itaque non ex Germania duntaxat nostra universa, sed Gallia, Hispania, Britannia, Belgio, quidquid melioris notæ librorum accipi potuit, magnis impensis, quantum annui proventus patiebantur, ab illo usque statim laudato anno fecit conquiri, & comparari. Commodum scilicet omnes illas terras in Siciliam & Maltam usque progressus, lustraverat jam tum studio inusitatae indolis princeps; conciliaratque sibi cum litteratissimis quibusque ut & aliis librariæ rei amatoribus, annos aliquot propiorum familiaritatem; quorum proinde opera passim terrarum, cum primis in Italia quidem Romæ, Neapoli, Venetiis ac Florentiæ, in Gallia Lutetiæ Parisiorum, in Anglia Londini & Oxonii ---- ut Belgii & Germaniæ loca ce-

lebriora nunc taceam---- in coemendis libris optimis feliciter usus est.,,

“Magnum vero operi incrementum accessit ex Germania nostra, locupletissimis tribus comparatis bibliothecis Marquardi Freheri, Curionum Patris ac filii, Cœlii inquam, & Cœlii Augustini, uti & Joachimi Clutenii, qui, cum viveret, Principi simul fuit a Consiliis, salario opimo. Ut enim hi fuere in omni litterarum genere versatissimi, laudemque nominis æternam sibi peperere plurimis ingenii editis monumentis, ita & instructissimam in studiorum usum supellectilem librariam quilibet instruxerat. Quæ omnes ab hæredibus eorum amplissimis impendiis comparatæ, nunc Augustæ partem, quamvis hodie perexiguam constituunt.,,

“Nec vero illo tempore urgere suum hoc opus desit Princeps, sed quamcunque datam occasionem non passus elabi, jam in annum usque a primordio cœpti operis quinquagesimum septimum, undequaque congestis perpetuis accessionibus, immane quantum thesaurum istum instruit, atque locupletat. Enim vero ne ingentes quidem illæ calamitates bellicæ, quæ ruinam universæ Germaniæ, & prope modum ipsimet Serenissimæ Ducum familiæ interitum annos complures minabantur, restinguere illum ardorem, imo ne minuere quidem valuerunt.,,

“Ex quo pax rediit, atque a morte Fridrici Ulrici Ducis, ut & fratris Julii Ernesti,  
am-

amplissimarum hujus Ducatus Brunsvico-Lüneburgici partium possessionem felicissimus Princeps nactus est, creveruntque adeo plurimum annua vectigalia; etiam solito plus bibliothecæ augendæ impensum est.,

“In emendis quoque libris ea fuit religione Princeps, ut cum Parlamenti Parisiensis Decreto illa Emi. Card. Mazarini omnium optima bibliotheca, vili pretio distraheretur, quamvis essent, quæ multum desideraret, vetuerit tamen Princeps, quidpiam ejus sibi emi, nequid ex illa in omne ævum haud temere excusanda venditione, quam boni publici amore aversabatur, quid adveniens sacra Augustæ suæ contaminaret. Quam generosam pietatem pristina post felicitati redditus Cardinalis actis grâtiis & agnovit, & admiratus est.,

“Volumina --- ita mihi dicitur omnis ejus generis liber, qui reapse distinctus subsistit --- habet Bibliotheca quasi vicesies octies mille.,

“Non sane destituitur etiam Mscptorum copia, ut quorum possis ibi numerare bis mille circiter græcos, latinos, hebraicos, arabicos, aliarumque linguarum, & quidem optimæ notæ omnes, complures hæctenus typis non excusos. In quorum conquisitione etiam illam felicitatem sibi contigisse impense lætatur Princeps optimus, quod dum ardua Serenissimæ domus negotia Rudolphum II. & Ferdinandum II. Imperatores Vindobonæ adire com-

pulissent, in Hungaria laciniam celeberrimæ quondam Bibliothecæ Mathiæ Corvini ibi comparare, quamvis magno ære concessum fuerit.,,

“Deprehendere vero in illo Mscptorum ordine licuerit tibi simul incomparabilem thesaurum, & in Germania quidem nusquam antehac visum, prope ducentorum, & quidem magnam partem spissorum, omnique pagina plenissimorum --- cujusmodi neutiquam sunt illa Lomeniana Gallica --- primæ magnitudinis voluminum, de arcanis negotiis ac rebus præcipuis, non duntaxat Germaniæ universæ, aut hujus incliti Ducatus, sed Galliæ etiam, aliarumque rerum publicarum Europæ.,,

Inter Mscpta forsân, mi Bœnike --- Conringio paucis interloquor --- totum fragmentorum a Lessingio editorum autographum volumen requisivisses? Migravit illud, ut audio, in secretius Ducis Chartophilacium, oculis curiosorum subductum.

Plura credibile est, alia quoque Musæa pervagari apographa fragmentorum, sive fuerint ista ab ipsomet auctore cum pluribus amicis communicata, sive a Lessingiano volumine transumpta.

Accessiones plures nactam esse inclitam Augustam inde a morte conditoris sponte divinabis. Nec enim id mihi operis sumsi, ut totam tibi bibliothecam describerem; de splendida quoque ædium quibus custoditur, facie ta-  
ceo.

ceo. Animus tantum fuit primæ ejus originis, pene dixerim, miraculum narrare, quod sic possim grande aliquod, in quod quam plurimi respiciant, & ex quo sumant, quod imitentur, exemplum proponere, viri magnanimi, provida sapientia, viribus licet primum exiguis, tempore deinde inter plura negotia diviso, opus maximum molientis. Conringium igitur rursus excito, ut quam adhuc delineavit, magnanimi Ducis imagini, tandem ultimam manum admoveat, totamque & omnibus numeris absolutam præfentet.

“Ut ex aliis ---- ait iterum Conringius ---- a Principe ipsomet confectis voluminibus, ita etiam ex hoc apparere omnibus potest ingens illa Principis eruditio, qua unus præ aliis Magnatum ordinis idoneus est redditus, ad Augustam Bibliothecam proprio, ut sic dicam, Marte, proprio consilio, condendam, disponendamque. Tanta vero eruditione præditus sit, necessum est, vastæ adeo Bibliothecæ, qualis Augusta est, idoneus quivis conditor. Ab ipsomet etiam Principe, nullo accedente eruditi Bibliothecarii vel consilio vel opera, illa admiranda Augusta a primis usque rudimentis instituta, congesta, disposita, & tam vastis indicibus est ordinata.,”

“Jam porro non minor eruditione, etiam industria requiritur in eo, qui Augustæ parem Bibliothecam velit condere. Multo certe opus est studio, ut undique terrarum congeras im-



mensam adeo librorum copiam, ut congestam justo ordine disponas: incredibilis vero est industriæ opus, *Indicis* adcurati confectio.,,

“Admotus est jam anno seculi XVII. trigésimo quarto per obitum Friderici Ulrici Ducis; regimini amplissimarum regionum; & exceperunt illum tempora maxime turbulenta, & difficilia, qualia totos octingentos annos, ex quo universa Germania unum sceptrum cœpit colere, Majores experti haud erant: quæ diu noctuque Principis animum indefessum exercuerunt. Jurare tamen tibi ausim, Boineburgi, nihil ab illo usque tempore in republica esse gestum, quantivis saltem usus, Principe inconsulto: imo neglectum nihil a Principe etiam eorum, quæ adtendere boni & gnavi est Patris familias. Est autem rerum ejusmodi multitudo propemodum infinita; concurrentibus scilicet ad opulenti patrimonii & hujus Ducatus curationem perquam gravem ac diffusam, negotiis cum saxonici, quem vocant, circuli, tum universi imperii Germanici pari industria exequendis. Interea tamen tantum abest, remissam esse ingentem illam Bibliothecæ curam, ut potius tanto ea creverit magis, quantum magis accessit facultatis. Merito optimo poterit gloriari noster, media inter ardua quæque & difficillima reipublicæ, ac domus negotia vacasse se hæctenus Augustæ suæ incremento, ut apud Lucanum Julius Cæsar Ægyptio sacerdoti sese jactitavit:

*Me.*

*Media inter prœlia semper,  
Stellarum cœlique plagis superisque vacavi.,,*

Brunosvicum rediens, interiora nemoris, quod medium via regia interfecat, ad lævam intravi, ut quod ibi sibi struit sepulchrum, adhuc superstes magni Friderici Borussorum quondam regis soror prædilecta, Ducis Brunosvicensis mater, viderem. Est ipsi nemus istud, cum adjacente prædio adeo in deliciis, ut quod amœniore anni parte diversorium habet, etiam sponte eligeret, quod mortua habitaret.

Vicinum Quelpherbytanæ Musarum Basilicæ, habet soror germana Musarum, Ars pictoria, sacrarium non ignobile, & multa artificum, aliorumque Divæ hujus cultorum religione frequens. Celebrem intelliges mecum mi Bœnike, quæ in Salzdalensi Principis prædio est, pinacothecam. Diem fere mediam contemplandis ibi artis amatissimæ monumentis dicavi. Tribus præcipue maximi artificii & pretii tabulis contemplandis immoratus, reliquas levi tantum oculo pertransii, imitatus insignis artium cultoris, civis quodammodo mei, equitis franci, Hutteni, haud ita pridem fati functi, cathedralis, quæ Spiræ est Ecclesiæ, dum viveret, Decani exemplum, qui, ut ut ingentem plus mille picturarum sane insignium thesaurum possideret, nonnisi unam quavis septimana suo cubiculo, aliis ceteroquin ornamentis experte, ne in diversa traheretur, quem unius

unius folius tabulæ spectaculo pascere decreverat, animus ---- inferri jubebat; nec aliam admittebat, nisi dum exacta septimana, una hac animum expleffet. Quantum gaudeo, tantum thesaurum nunc urbi patriæ meæ, & Huttenicæ gentis ædibus, jam tali ornamentorum genere locupletibus, in perpetuum inferri; excitæque dignum suo Numine, Arti pictoriæ sacrarium ab ædiis harum, & tanti thesauri hæredæ, egregio & vere generoso viro, Hutteno nostro; qui uti Majorum suorum virtutes omnes, ita hunc quoque in Musas & Artes amorem magno studio æmulatur. Præerit ipse, ut nemo est aptior & dignior, huic sacrario summus antistes; recluderque volens lubensque sancta penetralia cuicumque & civi & pregrino: Civi quidem tanto lubentius, quanto est in patriam amore, & zelo, quantoque est certior, maxime illi prodesse, Artes liberales una cum Musis a quamplurimis civibus coli!

Hoc igitur --- ut Salzdalium redeam -- exemplum imitatus, tribus tantum tabulis, quarum contemplatione animum explerem, fere omne illud, quo ibi ipsum moratus, tempus dicavi. Petrum primo vidi ex carcere medios inter captivos, ac custodes, alto sopore mersos, ab Angelo educi; & liberato, ac Evangelii divulgandi muneri restituto gratulatus sum. In artifice autem --- Henricus van Steenwinkel vocatur --- magnam, qua recte per omnes vasti  
car-

carceris partes, lumina distribuit, dexteritatem suspexi.

Deinde Christo condolui in Oliveto laboranti. Jacobus a ponte Bassano mira arte hanc mihi magni momenti scenam repræsentavit. Demum Abrahamo & Isaaco in gratitudinem tanto, ut parem non viderim, religionis sensu, erga summum Numen, quod Patri filium, filio vitam reddiderit, effusis, me socium adjunxi, miscuique magna sympathiæ vi tractus, & velut loco affixus, & preces, & gratitudinem & gaudia, & vota. Pictori Joannes Lievens nomen est.

Ne plura dicam, otium mihi fecit, qui dum viveret, huic thesauro custos præfuerat, Ch. Nicol. Eberlein. Indicem ille typis Brunosvicensibus dedit, ducem ejus rei curiosis tanquam per tot Artis monumenta ambulanti- bus futurum.

Locus minus videtur custodiendo tanto thesauro idoneus, tam quod paulo humidiores credam, quam picturis conveniat, quam quod paulo longius ab urbe absit. Sic enim qui picturas amant, minus possunt tantis deliciis frui: qui vero ipsi arti exercendæ vacant, quotidianis carent exemplis, nisi vel sumptuum, vel temporis, vel domesticæ aut urbanæ commoditatis impendio non levi, velint illuc aut quotidie urbe excurrere, aut per tempus aliquod velut procul ab hominum commercio inter mutas imagines exulatum secedere.

Spem esse dicunt, totam pinacothecam  
 Quelpherbytum transferendam, quando Helm-  
 stadienses Musæ illuc migraverint: transferen-  
 dum quoque una totum Brunosuicense quod  
 vocant Museum, ut perfectum omnibusque  
 numeris absolutum fiat urbs Quelpherbytana,  
 Athenæum, Musarum puta, & Artium domi-  
 cilium. --- Beatum tunc Quelpherbytum!

Cui chara est magni Friderici Borussorum  
 quondam regis memoria, etiam Salzdalensi in  
 prædio, quo illius moneatur, inveniet. Cubi-  
 culum enim ostendunt lectumque, queis usus  
 est septennalis ni fallor belli, nescio qua epocha.

Nec deest Arti, quæ lineis in ære pingit,  
 suum in agro Brunosuicensi, sacellum, Ferdi-  
 nandi, Ducis Brunosuicensis avunculi, magni  
 illius Herois prædium, Vechelde vocant, quod  
 Metropolim, & oppidum Peina, primam Han-  
 noveram cursu publico tendentibus, ubi equos  
 mutant, stationem, interjacet. Cum mihi  
 Hildesium Peina, potius esset, illuc iter Han-  
 noveranum direxi; nec sacellum hoc, nec  
 Magni Herois prædium, & post gesta illustra  
 fecessum tranquillum, beatique otii sedem vi-  
 dere licuit. Jucundo quidem tot picturarum  
 linearium aspectu frui non potuisse, æquius tu-  
 li: ipsam autem ejus possessoris, viri maximi  
 & belli & pacis studiis incliti, simul & huma-  
 nissimi faciem, bis licet Brunosuici præsentis, vi-  
 disse quod non contigerit, summopere dolui;  
 quavis enim vice Magdeburgi ille absens fuerat;  
 quo.

quo Cathedralis eum Ecclesiæ, cui Decanus præest, negotia frequenter avocant.

Nihil porro, quantum quidem memini, ager Brunosuicensis visu, & memoratu dignum habet, monasteria si forsan exceperis. Unum autem tantum eorum, urbi proximum, cui Jerusalemii filia natu maxima, Domina præest, videre, vel potius transire solum per tempus licuit.

Si totam, qualis circum est, regionem uno intuitu perlustrare lubuerit, prædium intrabis, Quelpherbyto Brunosuicum redeuntibus ad lævam situm, vix uno lapide ab urbe diffitum, quod Ducis conjux suo secessui ad eum, qui Angliæ, patriæ suæ, placet, modum, paravit. In summo ædium solario in largam planitiem prospectus porrigitur.

Brunosuico moestus, atque ut eo quietus, quæ ibi gustaveram, gaudia recolerem, noctu valedixi. Summo mane, orto tamen jam sole, ad mœnia Hildesensium substiti.

Mirum quam multa concurrerint, ut longior mihi in hac urbe mora molesta fieret, celeremque inde pedem referrem. A nocturno, & insomni itinere fatigato, horam fere mediam ante portam, donec recluderetur, manendum mihi fuit. Diversorium adeo: mitto, qui Brabeckio, qui Beroldingio adventum nuntiarent, & me ad colloquium admitti rogarent: neminem

nem offendit missus nuntius: omnes urbe aberant. Mitto, qui bibliothecarios rogarent, liceretne per ipsos bibliothecam Cathedralis Ecclesiæ videre? renuntiatur neminem adesse, qui id genus officii præstet: ab urbe abesse, penes quos esset rei librariæ custodia: --- Et talis nuntius cogita, mi Bœnicke, mihi venit curiosissimo, siquid forte rarioris chartæ ad Flavium meum aut ad Conradum nostrum Ravensburgium, olim Hildesensem Episcopum, cujus tu scribere vitam paras, spectantis, in vetustæ Ecclesiæ bibliotheca reconditum invenirem!

Quantum tunc indignabar & forti meæ funestæ & urbi! Parum abfuerat, quin excusso ex pedibus pulvere ex moenibus invisis me quam citissime proriperem, Hannoveræ hocce tædium depositurus. Interim jam tum ibi erat, qui mihi meisque studiis, quin rescirem, mire favet, & benevole, si invissem, me hospitem erat recepturus. Annus jam abierat, cum ex venerabili Riddagshufani monasterii Abbate primum intelligerem, rei sacræ A. C. apud Hildesenses summum Superattendentem Cludium, virum & doctum & bonum, non tantum omnibus votis meos in Flaviana scripta, quos dudum promiseram, commentarios expectare: sed etiam, si opus foret, operis redemptorem, qui suis impensis in lucem emitteret, omni cura conquisturum. De tanta viri optimi, in hominem sibi ignotum benevolentia, postea certior factus, non potuisse quam

quam maxime dolui, altera vice illuc viam car-  
pere, ut & Cludio gratias agerem, & urbi  
reconciliarer.

Ne primo indignationis impetu victus, sta-  
tim urbe excederem, bonus prohibuit Genius,  
qui tempestive adhuc monuit, posse me Bra-  
beckianam saltem pinacothecam in illa regione  
profecto celebrem, videre, si egregium virum,  
ejus possessorem non liceat. Licuit sane, ut  
per horam integram oculos animumque, has  
inter artis delicias recrearem & pascerem.

Sic recreatus, jamque ---- ut suos cultores  
Musæ Artesque feros esse non sinunt ---- placa-  
tior factus, urbem circumeo, ejus imaginem  
aliquam animo informaturus. Nec penituit.  
Primum urbis templum, ubi Episcopi ca-  
thedra est, sua me vetustate ad se alliciens cum  
intrassem, columna ostenditur marmorea, ante  
summam aram, Virginis Ss. nunc parvulam sta-  
tuam sustentans, veteris Saxonix necdum a Ca-  
rolo M. subactæ, & Christo mancipatæ monu-  
mentum, nomine Irminful (Irminsule) no-  
tum, re ignotissimum. Crucem quippe altam  
multis Theodiscæ antiquitatis interpretibus  
fixit: ut alii aliud, quid qualeque fuerit, sine  
commenti. Commune asylum fuisse, nuper  
legi, qui ex nominis, quod sibi fingebat, ety-  
mo, opinaretur, quasi Jedermansule. Ego  
quidem ---- cujus sane non est tantis compone-  
re lites ---- donec alii probabiliora statuunt,  
Mœsero adsentior, qui Lunæ, prisca Germa-



nis culti Numinis dicatum monumentum, vel rude pro temporis populique ingenio idolon fuisse credit, non procul a verisimilitudine. Si quid tamen, hac in re sapio, rectamque adhuc post biennium illius columnæ imaginem mente teneo, hoc quod Hildesienfes ostendunt, & jactant, neutiquam ipsum illud priscum Saxonicæ quondam gentis quaecumque monumentum esse videtur, tantum enim artis habet, ut illi temporis neutiquam putem convenire.

Progressus ad forum & Curiam, militem Hannoveranum offendo in præsidio locatum, excubiasque agentem. Quæ res fecit, ut de civitatis ratione singulari cogitarem, pluraque desuper Hannoveræ posthac quærerem. Episcopo nec est omnino subjecta, nec ab omni ejus jurisdictione exempta: utriusque aliquid, & civitatis liberæ, & mediatae habens, vel priscæ, quæ fere communis omnium ejusmodi civitatum fuit, formæ, plus adhuc, quam aliæ, retinens. Advocatum habet Hannoveranum Ducem, non tantum multo adhuc jure, ut militis in præsidium locandi; gaudentem; sed non raro in Magistratus urbici cum Episcopo; vel hujus cum illo de juribus conflictu, ab una vel altera parte, subinde ab utraque in auxilium vocari solitum. Quod, quam invidia non careat, quam molestum etiam sit rerum Hannoverensium Administris, facile æstimaverit, qui, quam sint viri boni & æqui perpenderit; quorum non est aviti advocatiæ muneris limites transilire, nec

gaudere inter duos litigantes: qui tamen ex altera parte natam inter diversos civitatis vicinæ, suæque quasi tutelæ concreditæ, ordines discordiam perinde habere nequeunt; bene autem ceteroquin gnari sunt, quam arduum sit & de-difficile, motas ejusmodi lites componere.

Eodem, quo Hildesum, etiam Hannoveram die attigi, alto adhuc sole; ut statim post primos amplexus ambulatum ab amicis, bene, quantum & aperto campo & libero aere frui amem, gnaris, foras educi potuerim. Percommoda totam urbem cingunt ambulacra, arboribus utrinque, hinc inde duplici etiam, ubi locus fuit, ordine confita. Solo enim fere æquata ab aliquot jam annis munimenta sunt, ut in ambulacra, & plateas converterentur, quæ ædes ex una, & liberum in campos prospectum ex altera haberent.

Cum munimentis dirutæ sunt etiam veteres, per longas tetrasque fornices ductæ portæ, ut fieret totius urbis facies liberalior.

Ita etiam tota circum regio partim viridariis, partim nemoribus in ambulacra aptatis, abundat, ut raro ullibi turbam hominum, qualem in rosea ut vocant, prope Liptiam valle, videre quandoque delectat, inter obambulandum offendas; quaquaversum enim & in omnes partes se diffundunt, qui ambulandi & animi recreandi causa foras exeunt. Inter omnia

mihî præplacuit Xistus, qui fere a porta urbis ad horæ dimidium & ultra protractus, Hernhusium usque pertingit; & quadruplici procerarum arborum ordine binas peditibus, unam mediam curru aut equo euntibus, vias præbet.

Urbs ipsa in paleopolin, & neapolin distinguitur: utraque suum magistratum habet. Lætior, ut sponte intelliges, est hujus, quam illius faciès. In eo tamen Ædiles Hannoverani toti nunc sunt, ut illam quoque quantum fieri potest, & salubriorem & amœniorem reddant. Facit huc quod dilatatis plateis, dirutisque mœnibus liberiori aeri viam patefaciant; præprimis autem, quod mundandis plateis & removendo qui ex faciibus oritur, exitiali fœtori, recens & magnorum sumtuum præclarum opus, cloacas in flumen se exonerantes, construxerint.

Dirigit operas hæc salubres egregius rei ædilitiæ nunc apud Gœttingenses publicus Magister, militari charactere, & munere auctus, Müllerus qui, quantum in hoc præsertim genere valeat, viis publicis, ambulacris, stratis per urbem plateis, cloacis, ponte recens Leinæ injecto, magno fundendis bellicis tormentis ædificio, Hannoveræ ostendit; & porro, si Superi voluerint, Gœttingæ etiam patefaciet, cujus valla & munimenta, in ambulacra & commodiora, & amœniora, ita convertet, ut submissiora, aerem liberiores purioresque, efficcatis præsertim, vel in arctiorem fossam, eamque ut aquas emittant; declivem, coactis, quæ

quæ urbem circumdant, paludibus, transmit-  
tant. Viam quæ mediam Gœttingam transit,  
atque a proximo Hannoveram versus oppido,  
Wenden, nomen habet --- primum hic artis  
& solertiæ suæ specimen --- jam ad exactiores  
physicæ regulas descripsit, & duriori lapide ---  
Basalte --- in tempus multo longius duraturam  
aptavit.

Inter urbis memorabilia primum quod vi-  
derem, quodque egomet ultro, omnium pri-  
mum petiissem, Leibnizii Genio dedicatum mo-  
numentum, casus obtulit. Cum enim extre-  
ma parte valli, qua in campum Martium desi-  
nit, sit exstructum: meta deambulationis fuit,  
primo adhuc vespere cum amicis instituta.

Sacram hanc, Genio Leibnizii ædem, ære  
collato cives nonnisi Hannoverani dedicarunt;  
neminem peregrinum in religionis & liberalita-  
tis societatem admittentes. Altissimis est su-  
perstructa fundamentis magna moles: rotunda  
est, totaque aperta: octo, si recte memini,  
justæ magnitudinis & diametri columnis tholus  
sustinetur: ad arcam ascenditur per gradus  
totam molem ambientes: in hujus medio stabit  
posthac aræ impositum Leibnizii simulacrum.  
Effinxit illud Romæ ex Carariensi marmore  
sculptor Scotus juvenis adhuc, ad eum, quo  
Consules suos, aut Philosophos antiqua Græcia,  
Romaque vetus repræsentarunt, modum, tanta  
arte & tam propitia Minerva, ut vultum viri  
simul & ingenium facile agnoscas; dicasque

in artificis laudem, illum dignum esse, qui maximorum virorum vultus plastica sua arte marmori communicet; suæque simul ac illorum æternæ memoriæ consulat. Tanto autem ars major, quo difficillius fuit, tale simulacrum marmore efformare, ad prototypon pictum, quod Leibnizium sui ævi more vestitum, magno præsertim capillitio caput involutum, exhibuit.

Cum facile, tam aeris undequaque pervii, quam profanorum hominum injuriis lædi posse egregium hocce artis opus, videant, qui hujus monumenti curam in se susceperunt: ei aliud ejusdem formæ ex ære fundendum, illic substituere, provide cogitant. Quo vero tunc alio loco sit illud marmoreum signum ponendum, necdum decreverunt.

Deliberant quoque, quo velint signo sepulchrum ipsum, ubi magni viri ossa & cineres quiescunt, in posterorum memoriam notare. Marmorea puto tabula, templi Joannei parieti prope sepulchrum appensa, & pauca hæc verba referens: *Leibnizii ossa hic jacent, suffecerit; siquidem & Romanis, ceteroquin in colenda egregiorum virorum memoria splendidis & magnificis, satis visum sit, sepulchri, quo Poetarum inter Italos maximus, in S. Onuphrii æde conditur, lapidi, eadem pauca verba inscribere: Torquati Tassi ossa hic jacent.* Solo vatis hic conditi nomine, quod unum omnia ejus merita in memoriam revocat, atque magnifici instar

stær mausolei est, allecti & Rōmani & Extēri huc frequentes peregrinantur, atque, *ut molliter hæc ossa quiescant*, ex voto precantur, gratesque pro hausta ex suavissimo & elegantissimo Carmine, voluptate, Piis Manibus reddunt.

Aufim rogare generosos illos Leibaiziani memoriæ vindices, ut, quo omni honorum genere meritissimum ornent, tanti viri qualis in hoc marmoreo signo est, vultum, etiam numismate, monumentum autem, in ejus averſa parte; & utrumque lineari quoque pictura repetendum curent: magis autem, ut collatis iterum ære & curis, novam Leibnizianorum operum, quorum varia adhuc anecdota in publica bibliotheca deliteſcunt, editionem, ſaltem novam auctoris biographiam parent, quam etiam poſt illam a Kleinio, datam a vide a Brandefio, vel Rhebergio, vel quocunque alio Hannoverano cive & ingenio & calamo potente, ſcribi deſideramus; & in tanta, quam ſola Hannovera poſſidet, reliquiarum Leibnizianarum copia, in tanto graviffimorum ad ejus vitam pertinentium monumentorum numero, jure merito exſpectamus. Quo quidem novo in Leibnizium merito prioribus addito, non tam viri ſummi Genio monumentum ſtatuiſſe, quam ipſum Genium in terras revocaſſe dicentur. Sed ne graviter ferant, rogo, viri jam ſatis de ſuo cive & patria meriti, ſi quo plus jam dedere, hoc plura ab eis fieri deſiderem. Theologus

cum sim, biblicæ semper gnomæ memini: Cui plus datum est, multum requiretur ab eo.

Leibniziano monumento viso, proximum fuit, publicam bibliothecam perlustrare; quam altero die, duce & interprete viro doctissimo & humanissimo, ejus custode, Jungio adii.)

Reclusum ista gozophylacium habet; cui soli, reliqua suppellectile obiter tantum perlustrata, diutius sum immoratus. In quotidianum enim virorum negotiis publicis mancipatorum, usum hæc est parata; hinc librorum ad historiam & omnis generis jurisprudentiam pertinentium magna copia est, quin tamen desint, quæ cetera studia juventur.

Intimius bibliothecæ sacrarium, illud, quod dixi, gazophilacium, maximam partem, Leibnizianas reliquias continet. Quidquid ille chartarum reliquit, totum, quo cum sui ævi eruditissimo quovis usus est, epistolarum commercium, ibi adservatur, ea quidem cl. Jungii cura, ut cum difficilius sit, viri doctissimi chirographa legere, plurima transcribi fecerit, rectoque ordine magnam rerum copiam digesserit. Multa sunt, quæ necdum publicum lucem viderunt, pergratum tamen edita, orbi literario, munus forent.

Sellam quoque ibi ostendunt, cui insidens mortem obiit Leibnizius, librumque ---- Epistetus est, ni fallor ---- quem moriens, ut chirographum Eckardi, postea nostri, testimoni-

um

um ipsi libello insertum, fidem facit, manu tenuit.

Custodiuntur hic præterea in cista publico sigillo munita, Heumanni quondam Theologi Gœttingensis suo ævo non illaudati, quæcunque reliquit scripta, epistolæ, aliaque ingenii sui momenta. Totum hunc qualemcunque thesaurum chartaceum testamento huc legaverat, ea lege, ne prius quam viginti post annos ab obitu elapsos referari & publicari posset. Elapsum est jam aliquamdiu legale hocce spatium; nihil ergo porro obstat, quo minus referetur & publicetur, si otium amorque ad id genus laboris custodi, veterano Jungio superfuerit.

Sacrarii hujus intimioris, quo cum reliqua bibliotheca connectitur, vestibulum, promtuarium quoddam est rerum & momentorum ad conscribendas virorum quondam in terris Hannoveranis quacunque demum prærogativa clarorum & illustrium vitas, servientium, ab eodem cl. Jungio, congestis undequaque, quæ huc pertinere videbantur, magna industria instructum.

A bibliotheca in secretarium ædis aulicæ, ubi thesaurus sacrarum reliquiarum reconditur, ab utriusque custode & Præfecto, cl. Jungio, ductus sum.

Cum ipsum, postquam commissam sibi habuit hujus thesauri curam, tam cives sui, quam homines longinqui & alienigenæ, atque

h 5

inter



inter hos, principes summo loco nati, multaque liberali doctrina politici, itendidem adierint, ut gazam illam referatet, conspiciendamque præberet; non tantum Lipsanographiam celebris quondam Luccensis Abbatis Gerhardi Molani, quantum edidit suis animadversionibus auctam, æneisque figuris ornatam; sed etiam præclaram de reliquiarum vetusto cultu disquisitionem antiquariam præmisit; quæ, in manus meos, vix edita ubi pervenit, per sane placuit. Præprimis auctoris modestum philosophandi genus mire admiravit, qui de famosa quondam inter dissentientes Christianos de reliquiarum cultu controversia, ita disputat, ut experiatur an non fundamentum aliquod natura dūce poni possit, quo posito præcipuæ de reliquiis controversiæ; cum bōssa utrinque gratia componantur? quod quidem mihi jam dudum visus fuerat feliciter affectus, ut neutri controuertentium parti, putō supersit, quod displiceat. Multum quoque suauitatis ac delectationis lectori tum ex rerum copia, tum ex sinceræ latinitatis stilo offert; non minus, ac ipse hocce ejusmodi argumentum de industria contemplandi & tractandi conatu, id se adeptum esse fatetur, ut rædium ex operosa & permolesta confectioe Indicis originum Guelficarum perceptum, minueret, & falleret.

Qui autem has in terras, qui in Hannoveranæ aulæ sacram ædem istæ reliquiæ pervenerint, Molanus Lipsanographiæ suæ præfatus docet

docet. "Ex antiquis, ait, fideque dignis scriptoribus constat, gl. m. Ducem Henricum Leonem cum A. 1172. Palæstina, & S. sepulchro Iulstratis Brunsvigam rediisset, eodem adhuc anno vetustum Ss. Petri & Pauli templum in Burgo, quod Danquarderoda isto tempore dicebatur, situm dirui curasse, & Ecclesiam Cathedralē honori S. Joannis Bapt. & S. Epis. & M. Blasii dicatam ædificare cœpisse; sacramque hanc ædem reliquiis auro, argento, ac gemmis quam splendidissime exornatis, quas Constantinopoli, alibique terrarum acceperat, quasque deinceps etiam comparaverat sibi, liberaliter ditasse. Pervenerunt autem hæ reliquię post deditionem urbis Brunsvicensis A. 1671. ad D. Joan. Fridericum b. m. Ducem, & Brunsviga, ubi a tempore reditus Henrici Leonis ex itinere Hierosolymitano, in templo S. Blasii custoditæ fuerunt, translatae sunt Hannoveram, inque æde sacra aulica adservatae, singulis qui illud desiderant, promptè lubenterque monstrantur.,"

Abundavit olim terra Brunsvulcensis ejusmodi gazis. Luneburgi enim in templo quodam --- nominis non memini --- altare vidi laminis aureis, iique affabre laboratis, gemmisque distinctis prius magnam partem obdutum; thecæque argentæ & aureæ plures omnis generis reliquias continebant, donec prædones majorem, qua pertingere poterant, sacri thesauri partem auferrent, relictis tantum, ex qui-

quibus prior adhuc æstimari magnificentia potest, tabulæ, ut vocabant, aureæ, paucis fragmentis, atque aliquot pretii minoris thecis.

Inter urbis memorabilia adhuc vulgo numerant stabulum regium, tum ipsa fabrica, tum magis generosissimorum eorundemque omnium indigenarum equorum numero conspicuum. Hos inter unus, quo Electoris Hannoverani pro eligendo Imperatore Francofurti legatus nuper inter solemnia vehebatur, omnium in se oculos, animumque rapuit: deinde palatium, quod Dux Eboracensis & Episcopus Osabrugensis e regione electoralis palatii recens extruxit. Rei architectonicæ peritis non omnino illud probatur, licet multa habeat, quæ placeant.

Qui magis animo, quam oculis pabula quærunt; quique magis utilia, & ad rempublicam pertinentia, quam jucunda inquirunt, potius de scholis, quales sint? qualis hic, vigeat disciplina publica? qualis administrandorum publicorum negotiorum ratio? quo litteræ & artes favore gaudeant? solliciti sunt, ut edoceantur.

Res quidem scholastica, a quo tempore Ven. Koppius, dulce inter amicos meos nomen, supremo ecclesiastico magistratui adnumeratus, & sacrorum, quæ in æde aulica fiunt, primus Minister est creatus, illiusque in se curam suscepit, perbelle floret. Vidi ego, prima vice Hannoveram cum invisissem, prima Seminarii

rīi pædagogici fundamenta a Koppio jaci, meaque pro operis felici successu cum suis vota miscui. Reversus post biennium eo jam perductum inveni, ut vix, quod porro desiderarem superesse deprehenderim. Scholæ adnexæ ultra trecentos utriusque sexus, a quarto, ad decimum quartum usque ætatis annum discipulos numerant, qui maximam partem a pædagogici muneris Candidatis, hujus seminarii alumni instituantur; ut hi pædagogiam discant non tantum audiendo præcepta, sed etiam exercendo, dirigente exercitium hoc, totius Instituti moderatore & quotidiano fere teste ac arbitro, Koppio.

Hoc præcipuum mihi habere visæ sunt scholæ hæ Koppianæ, quod non puellas tantum, sed etiam tenellæ ætatis pueros textura acuaria, data in hunc finem hujus opificii magistra, soleant occupare; ne si otiosi in scholis sedere cogantur, tædium moræ lasciviendō fallant, & ordinem turbent. Displicuit primum aliquot melioris conditionis parentibus, vili, ut ipsis videbatur, negotio filios suos subjici; quorum errorem suo exemplo prudenter ipse Koppius correxit, proprium suum filium manuali huic labori, totique suarum scholarum disciplinæ adhibendo, eo felici consilii successu, ut nunc lubentes quique hocce exemplum sequantur.

Utiliter credo, donec solers aliquod in pædagogica arte ingenium, aliud, quo tenellæ ætatis pueri in scholis publicis occupentur, opus manuale inveniatur, Koppiana ista, tenellos pue-

ros occupandi ratione, Pædagogi utentur. Ut enim humilioris conditionis pueris ad opificia destinatis plura aliquando daturum est commoda, tenera ætate dedicisse acu texere; ita quemcunque juverit digitis suis mature tali exercitio agilitatem comparasse, ut eos posthac instrumentis musicis applicare facilius sit. Magis autem proderit ut quavis vitæ periodo, præsertim cum ad dignitates in republica pervenerint, meminisse possint, æqualia esse hominum initia: forti & casui ut plurimum meliorem vitæ conditionem deberi: de vitæ conditione meliori, si quam nactus fuerit, illum solum jure sibi posse gratulari, qui invita etiam fortuna, proprio Marte, & merito illam sibi paraverit. Maxime demum valebit eo, ut discant, etiam Magistratus cum facti, cum ad altas dignitates evecti fuerint, concives suos, quibuscum prima vitæ tirocinia ad pares labores, ad æqualem disciplinam damnati egerint, revereri & amare.

Hunc Collegæ sui, Koppii pro recte educanda juventute patria zelum, æmulatur ven. Saalfeldius, alter sacrorum in æde aulica Minister; scholam enim educandis puellis publicam & ipse aperuit, dirigitque maximo cum fructu.

Administrandæ universæ, tam quæ est civitatis Hannoveranæ, quam quæ omnium terrarum electoralium, reipublicæ, ea est ratio, ut laudari satis nequeat, mereaturque quæ in exemplum multis aliarum terrarum rectoribus & ad.

administris proponatur: Noli tamen, mi Bœ-  
 nique, ab exigui temporis in terris Hannoveranis  
 hospite expectare, ut totum tibi Hannoverani  
 regiminis systema plenamque qua omnis admi-  
 nistratur respublica, rationem pandam. Audi  
 præcipua, quæ observare licuit.

Quæcunque aguntur negotia publica, ju-  
 sto ordine, cura ac diligentia maxima, & fide  
 bona aguntur. Hoc voce unanimi prædicat  
 tota Germania: quam vera loqui, quocunque  
 rem Hannoveranam publicam perscrutari licuit,  
 egomet comperi.

Aguntur hæc negotia publica a viris non  
 tantum ad munus quod quisque gerit, fictis  
 factisque, sed in nullo scientiarum genere pe-  
 regrinis, haud raro in aliquo præterea excel-  
 lentibus. Sic offendes, qui de causis civium  
 privatis judicant, non minus negotiis imperii  
 publicis tractandis idoneos. Cogita illustrem  
 Falkium! Hic olim visitandæ quæ Wezlariz  
 est, imperiali Cameræ cum maxima sui nomi-  
 nis famâ adhibitus, nunc Cancellariæ præest  
 director. Offendes inter eos, qui redditus electo-  
 ralis Cameræ curant, virum horis matutinis,  
 quando a negotiis publicis adhuc licet vacare, in  
 domestico viridario naturæ arcana rimantem,  
 animumque ad creatorem amandum colendum-  
 que hoc accerrimo stimulo excitantem: eun-  
 demque alias biblia originario sermone scripta  
 legentem; hebraica enim, ut ex ipso fonte sa-  
 lutares veritates hauriret, jam adultus, patiens  
 labo-

laboris ac fastidii edidicit. Nomen viri æstima-  
 tissimi taceo, ne solis amicis notam præro-  
 gativam, in vulgus prodens, ejus modestiam lædam. Offendes, qui suppellectilem librariam, ætate cum jam provectus timeret, ne dilectum multorum annorum opus se mortuo dilabatur, & domui suæ consulendum putaret, quadraginta thalerorum millium pretio haud dudum Oldenburgico Principi ea lege vendidit, ut illam non nisi post fata sua suprema a se velut manumissam sibi haberet. Qui præterea eodem æstimatum pretio æri incisarum imaginum, quo forsan nemo privatæ fortis hominum majorem possidet, thesaurum habet; atque sic otia sua inter omnis generis Musas, Artesque non minus jucunde quam utiliter transigit; recteque ex hoc suo in Musas Artesque amore, ex hoc omni-  
 ne felici electus est, ut præter alia publica negotia, res ad Gœttingensem Academiam pertinentes, una cum supremis ejus curatoribus referendarius administraret. Offendes qui Dicasteriis a secretis sunt, & subsecivas horas metaphysicis speculationibus, & politicis ac moralibus disciplinis rimandis juvandisque impendunt. Brandesios patrem & filium, atque Rbergium cogitabis, nota jam ex ephemeridibus litterariis nomina.

Qua possum maxima, animi cum voluptate symposii recordor vere Socratici, ab illustri Falkio mihi apparati: ubi omnes mox laudatos, aliosque ex omni ordine lectissimos viros

vīros convivas habui; ut fuerit sicut palato oppiparum, sic menti quoque & animo ob gravissimas varii generis sermocinationes, jucundum & utile.

Mite dicunt in electorales subditos imperium exerceri; idque inter alia vel ex hoc solo apparere, quod Procerum quis, nescio an quot annis, an certo annorum spatio elapso, provincias obeat, & oppidatim indaget, siquis, quo gravetur, habeat? det singulis loquendi ac querulandi liberam facultatem: & jubēat opem, gravaminum levamen sperare; speique satis faciat: quæ res & satrapas cautos modestosque: ipsos autem status Administros de sincera provinciarum ac oppidorum conditione certiores reddat.

Videntur mihi tamen vicini Brunosvicenses cum Hannoveranis, ultra terra sit altera beatior? contendere; non minus ac utrique cognati Principes inter se, ecquis suum beatius reddat patrimonium, præclaro certamine æmulantur. Mite, dicunt illi, Hannoverani Ducis imperium prædicatur: apud se tamen singula capita annuo censu non premi: levatos se potius haud ita pridem parte non contemnenda tributorum, atque adeo hæc porro minutum iri, spem sibi factam: mortis quoque pœna in maleficos scèpius Hannoveranam Nemesein, quam Brunosvicensem animadvertere &c.

De illa etiam a Procerum uno, Principis nomine per terras electorales oppidatim institui-



ta visitatione, rusticorum Brunſuicenſium aliquis, in confiniis utriusque ditionis habitans, mihi, quasi in animam vicinorum suorum loquens, in aurem dixit, illam videri magis, quam esse utilem; timere enim colonum, Danaos, ne contra quem ausus sit præsente regis amico querulari, hoc absente, habeat suæ licentiæ præsentem vindicem Satrapam. Sed quidquid sit: mihi non displicet talis contentio & æmulatio vicinorum populorum; nec tamen ausim certaminis arbiter intercedere, & de prærogativa, utri competat, decidere. Quidquid boni & utilis utrobique deprehendi, nullo partium, solius humanitatis & veritatis studio, bona fide refero.

Unum quidem, quod certissimum, lateque diffusum effectum habet, in terris Hannoveranis Institutum publicum vidi, cui par necdum alia terra ostendit.

Cum soleant plerisque in terris Hannoveranis agricolæ, quod serunt, metunt, parantque linum, ipsimet per hyemem texere; in aliquot urbibus publico stipendio sunt conducti, qui, quod quisque, per omnem circa regionem agricola, hyemali otio linteum confecerit, & mensurent, & æstiment, quantumque sit & valeat, certo signo indicent, atque bonæ fidei indicio, armis regiis muniant. Id hac Principis providentia lucri faciunt boni isti agricolæ, ut sine temporis impendio frequentes in ipsa una hujus Instituti sede inveniant, qui se

præstolentur emtores, quos alias ipsi per plateas & vicos & angiportus inquirebant, invitabant; atque ut majori in super pretio vendant hunc hyemalis suæ industriæ fructum emtoribus, jam ex publica fide, de vero mercium valore securis. Ultra decies centena thalerorum millia, dicunt quot annis pro linteis exportatis, in terras Hannoveranas inferri.

Habet etiam res militaris Hannoverana nonnulla singularia, quæ mihi etiam, homini in hoc vitæ & artis genere plane peregrino, homini ad pacis artes, & otium litterarium nato, nihil tamen humani a se alienum putanti, memoratu digna sunt visa. Ut paucis complectar: Milites Hannoverani Principis, aut cives sunt aut fiunt. Nam si certo annorum spatio signa fuerint rite secuti, honesto stipendio annuo, volentes manumittuntur, sedem in quacunque libuerit, terra Hannoverana fixuri; neque sine magno, ut puto, loci illius, ubi sedem figunt, commodo: ordini quippe, ex disciplina militari, nec minus industriæ, ut paulo post intelliges, adsueti, poterunt viri boni & industrii, ubicunque vel cives vel colonos egerint, præclara exempla præire. Non in urbibus solum & castellis præsidia agunt; nullibi domiciliis junctis recluduntur, sed distributi per urbes, castella, pagos & oppida immixti aliis civibus habitant. Cohortes non tam a Ducibus, quam a statione, quam perennem plerumque habent, nomen suum sunt sortitæ. In sua

quisque militum statione, aut lares focumque proprium possidet, aut in civis cujusdam familiam recipitur. Hi, cum rusticis rem agrariam: isti, cum opificibus opificia exercent, alii ad alia, queis sunt idonei, officia, suas concivibus operas locant. Qua quidem ratione omnes, dum bellatum educuntur, pro patria pugnant; certaque fidei suæ & fortitudinis pignora, Patriæ & Principi, domi deposita linquunt. Non minus tamen etiam pacis tempore continua defunt, queis armis tractandis adsuescant, bellica exercitia. Quævis equitum cohors suum hippodromum, & artis equitandi dexterrimum magistrum habet. In equitatus commodum, schola publica veterinaria Hannoveræ est erecta. Recipiunt tamen non minus oppida, suos ex hac schola peritos curandorum equorum veterinarios, suos fabros ferrarios. Ampliatur modo Principis liberalitate, schola ista veterinaria, ut omnibus suis numeris absoluta, non equorum tantum, sed quorumcunque domesticorum animalium, queis rustica œconomia utitur, possit rationem habere.

Dicunt etiam, qui œconomiaæ bellicæ, ut in Hannoverana ditione obtinet, rationes inierunt; minus sibi, quam aliis in Germania Regulis, minus militum habentibus, sumtuosum esse exercitum, & numerosum & bene omnibus necessariis æque, ac commodis rebus instructum.

**Etiã**

Eciam bonorum studiorum, & litterarum magna, ut tali convenit gubernio, in terris Hanroveranis est religio. Ipsa quidem metropolis paucos alit viros, qui solis litteris vacent, scholasticos si exceperis. Qui inter literatos eminent, omnes negotiis publicis vacent. Hi quidem, ut Hannoveram a recta, quæ ibi obtinet, negotia publica administrandi ratione, laudari faciunt, ita, si haud ita pridem dictorum memineras, in hoc quoque illustriorem reddunt, quod, qui rem publicam curant, ea temporis œconomia utantur, ut dum in negotiis habitant, simul, quibus apud Musas devertant, horas sibi sumere sciant.

Dum autem vitæ operosæ & publicis negotiis dicatæ, quæ ratio, quis modus esse debeat, Hannoveræ, si usquam alibi, discere licet; magnificum Minervæ quoque & Musis, quarum sub auspiciis ad gerenda aliquando negotia publica, æque ac ad docendas bonas litteras, juvenus & patria & extera primam institutionem, ex præceptis optimorum in quovis scientiarum genere Magistrorum accipiat, templum Hannoverani Principes Gœttingæ dedicarunt; vel totam potius urbem hanc, sacram esse iusserunt.

Parum abfuit, quin obrutus rerum dicendarum copia, de Zimmermanno magni nominis & Medico & Philosopho Helveto, nunc Hannoverano cive & Electoris Archiatro, siluiffem. Certo indignatus fuiffes, mi Bœnike, & jurò

quidem, si in salutatum aut præterissem, aut in-  
 nominatum ommitterem, cujus lucubrationi-  
 bus, tantopere jam olim sumus delectati. Quin  
 imo illum inter primos adii, quoties Hanno-  
 veræ fui; semper perhumaniter & comiter in  
 colloquium & longius & intimius acceptus,  
 ægre etiam, cum me tempus alio avocaret, di-  
 missus. Jucundius mihi nunc est hoc memi-  
 nisse, quod haud ita pridem resciverim, me  
 paulo ante, quam prima vice Hannoveram ve-  
 nissem, & Zimmermannum adissem, in alia,  
 quam non dico, urbe, a non vulgaris inter lit-  
 teratos nominis viro, cum honoris illi habendi  
 causâ inviserem, intercepta mutataque nominis  
 mei ultima syllaba, pro noto ex Zimmerman-  
 nianis investivis, altero Helveto Medico, Ober-  
 reithio, fuisse habitum, atque perquam frigi-  
 de propterea receptum. Gloriatum illum pos-  
 tea, se famosum Zimmermanni adversarium  
 Oberreithium, frigide, cum apud se inviseret,  
 tractasse, nec fuisse illum in conspectum admis-  
 surum, si mature, qualis ad se hospes veniret,  
 compertum habuisset: amici errorem dedo-  
 cuerunt; mihi vero jam tunc apud ipsos desu-  
 per querulato, excusarunt, tanquam cogniti  
 postliminio erroris penitentem. Ego quidem  
 bellam & lepidam risi fabulam; lubenter excu-  
 sationem mihi factam accipiens. Nec irascetur, ut  
 optimæ indolis novi hominem, Oberreithius;  
 veniam potius facilis dabit injuriæ, non suæ per-  
 sonæ sed nomini illatæ; præsertim, cum nec

virum prodam talis erroris reum; nec urbem, quam inhabitat.

Disciplinam publicam Hannoveræ dirigit Falkius, palæopolis consul; cetera aliis adhuc titulis clarus, & axiomate consilarii regii auctus, principis inter Hannoveranos Jurisconsultos filius, quem jam in priori itinerarii hujus parte, una cum Lipsiensi Consule Müllero, ut prisci moris, verique nominis Consulem, Henckio meo laudavi. Ita autem rem gravissimam dirigit, ut neminem credam posse melius. Neminem saltem adhuc vidi, qui sedulitate, qui vigili, atque ad omnia adtenta cura, qui gravitate, placida comitate, & humanitate rite temperata, Falkium superaret; ita, ut ipsa eum mihi videatur natura ad talia, quæ gerit, munera publica; singulari studio effinxisse. Fecit enim solertem, prudentem: voluptatem in negotiis quærentem: comem, facilem, humanum, affabilem, sibi semper constantem & æquabilem: dedit animum ad diversa se nullo pene labore applicantem, frontem vero, mentis animique indicem, semper serenam, paucis: fecit, ut quam muneris publici ratio exigit, gravitas, esset juste temperata, lubentesque & prompti pareant homines, semper alias duris justis & impositæ necessitati, quantum possunt, obstrepentes.

Maximam curam impendit ædibus publicis, quarum pars, occupandis labore manuali singulis congruo, omnis generis hominibus vel

sua sponte otiosis, aut nulla sua culpa, quovis alio, unde vitam sustentent, medio carentibus destinata, pars altera & præcipua, orphanotrophium est.

Orphani cubilia ampla, munda, sat aeris & lucis habentia incolunt. Vestitus decorus, mundus, simplex. Nudo capite etiam puellæ incedunt. Puellis, quo dum a schola vacant, occupentur, negotium imperatur: lanam, gossypium, bombycem, præparare, & nere. Pueri ad id genus opificii, quod cujusvis ingenio magis convenire videretur, si ratio domus id patitur, mature adplicantur; alias idem cum puellis opus agunt.

Magnam, domum circum, copiam moros plantavit sedulus & providus curator, unde materiæ, cui domesticam suorum orphanorum operam dicaret, aliquam partem sumeret. Omnis præterea generis machinas sane artificiosissimas, ad gossypium præsertim parandum, nendumque, queis opus hujusmodi & a paucioribus, & citius & melius expeditur, in domus hujus commoda, ex Anglia, præcipua harum rerum patria, comparavit, ut vel solum istas videndi gratia, domum hanc adiisse & perlustrasse, neminem penituerit.

Providit etiam, ut dierum festorum horis feriatis, ne otium tædium, & si quid pejus, pariat, jucunde non minus quam utiliter occupari possint. Delineandi artem pueri omnes addiscunt, exercentque hoc, quod dixi, tempore. Vidi

opera

opera reticulata at tessellata ex versicoloribus ramentis stramineis, affabre in varios usus, hoc feriato tempore facta. Vidi quoque varias imagines & ideas, a domus hujus alumnis iisdem feriatis diebus & horis ita delineatas, ut nemo, si ut est harum rerum peritus, ita etiam juvenilium ausum indulgentiorem & paulo æquiorrem operæ agere judicem velit, facile despexerit.

Speciali meretur elogio viri hujus cum suis orphanis agendi ratio prædicari, quæ sane humanior, & patris erga filios indulgentiæ, facilitati, amoris, similior esse nequit: ita ut, plus una vice illum huc comitatus, semper maxima sim affectus voluptate, cum viderem, quam læti suscipiant hunc suum patrem quancumque ad se invisentem, boni Orphani.

Beata sane civitatis fors, cui vir talis obtingit, quem publicæ disciplinæ, publicæ incolumitati, vel singularibus etiam civilibus Institutis præficiat! Et sibi & huic negotiorum suorum gestori, ipsisque negotiis quam optime tunc consulat, si soli illi commissi negotii habenas permittat, sinatque ipsum sibi, quos voluerit, coadjutores operis subalternos eligere. Sæpe vidi & dolui viros, & magna molientes, & sapientissima, qua possint ratione propositum exequi, animo provido & perspicaci mente, consilia volventes: viros propositi tenaces, constantes difficultatum proposito obstantium contemptores, omnis laboris patientes, colluctari cum tot impedimentis, sibi a collegis, si quos sui mu-



columna aquea, quot diebus festis in oblectamentum Hannoverensium civium salit, magno semper tunc numero se recreatum venientium. Aquæ copiam suppeditat Leina, qua parte ad lapidis fere jactum, villam præterfluit. Alveum ibi medium constrinxere, aquis divisis. Illas, quas in hunc finem segregarunt, eo usque in altum attollit machina magno artificio & sumtu maximo facta, conservataque, ut descendant, saliantque rursus ad eam altitudinem, qua merito totius villæ miraculum, fons ille efficitur, & dicitur.

Qui operi huic hydraulico director præest, Schröderus, alias servitiis militaribus addictus, mechanics peritissimus egregium, quo agitur, mechanismum dextre non explicat solum, sed picturis etiam, atque totius machinæ in exiguum modulum contractæ exemplari, clarius, quam in ipso magno opere videre sit, oculis exhibet.

Sed tempus est, ut rursus aliqua, quæ meus Optatus sub suis auspiciis dici malit, tibi, mi Bone, referam. Monasterii Luccensis ædes, ordinariam Abbatis sedem, præterire nefas duxit, tum, quod qui honore isto nunc gaudet, vir sit optimus, hac pingui sorte dignissimus, mihi que jam ab aliquot annis cognitus: tum etiam, quod Gerhardus Wolterus Molanus ejus quondam prædecessor, suo jure id a me exigere sit visus, ut recolendæ ejus memoriæ causâ huc venirem,

Fuit

Fuit vir iste egregius Calixtinæ quondam scholæ alumnus, & eruditionis modestiæque ac moderationis æmulus, Leibnizio aliisque suæ ætatis viris summis, laudatus & charus. Pacis inter tres in Germania dissidentes Ecclesias componendæ studiosissimus, varia, qua perfici magnum opus, ratione possit, consilia animo volvit; & non cum Leibnizio solum & Bossueto, sed cum ipso, etiam Cæsare communicavit; adeo quidem, ut a suis, quasi jam ad Catholica castra factus transfuga haberetur. Quam tamen suspicionem, fidei suæ confessione edita, scriptoque postremæ suæ voluntatis instrumento, a se amolitur; falsus interea, se multis aureisque, Episcopatus etiam obtinendi, promissis illuc fuisse plectum. Digna mihi videtur hæc illius instrumenti pericopa, quæ ex theodisco in latinum sermonem huc transferatur: “Jussus sum a Neostadiensium Episcopo, Cæsaris hac in re interprete, recensere, quotquot inter Ecclesias Catholicam & Protestantem controvertantur dogmata, re ipsa autem salva utrinque veritate, logomachia sint, & verborum diversæ utrinque acceptiones, saltem per commodam synodi Tridentinæ, & symbolico-  
rum nostrorum librorum interpretationem, componi possint? Quæ quidem res divinis auspiciis mihi tam prospere cessit, ut jam viginti controversias, queis pars parti hæreseos notam adhuc impegerat, conciliarim; audeamque todidem præterea, si Deus voluerit, eadem ratione componere.”

Obiit

Obiit vir egregius, modestus, facilis, sincerus, mulierum osor, ex lege sui monasterii celebs, anno hujus sæculi vigesimo secundo, ætatis octogesimo octavo.

Dum eo loco me stare, mecum cogitarem, quo vir optimus tam benevole de genere humano sentiens, aptissima ad illud, in re magnifane momenti, qualis est in religione dissensus, juvandum, consilia olimolvebat; sensi animum ita, iam ut prope æstualet, accendi: vos vero ignes cum adderet colloquium, quod de eodem argumento & grave, & longum, cum ejus nunc successore, Chapuiffonio mifcui; aucto ardori porro non sufficiens, sed auram capere liberiolem coactus, ambulacrum Abbatissædibus vicinum peto, totamque ab inde urbem circumeo. Cum ecce jam pene calmatus mihi que redditus, ad Leibnizii monumentum, nascio, an commode devenio! Commode quidem, quod totam rei ad reuniendas Ecclesias Hannoveræ actæ seriem, loco alias magis opportuno recolere nequissim: parum vero convenienter præsentis animi jam gravibus de eadem re cogitationibus commoti statui: quod ob solitudinem, & loci ingenium me cohibere non potuerim, quin rursus, & intensius quidem, rem eandem cogitarem & diutius prosequer. Potissimæ enim, in hoc reuniendarum Ecclesiarum consilio & negotio, Leibnizii partes fuere. Rem tibi, ut evenisse memini, paucis repetam. Visum fuerat Aulæ Cæsareæ,  
do-

domum Guelphicam, adtento, qualis tunc erat, rerum statu, facile Romanæ Ecclesiæ reconciliari posse: præsertim quod Joannes Fridericus hujus domus progenies, jam illuc sua sponte accesserit; maxime autem, quod ipsa electoralem dignitatem ambiret, atque propterea Cæsareæ Aulæ favores aucuparetur. Primum igitur Neostadiensium Episcopus Molanum epistola convenit. Deinde, quod opus moliretur ad totam Ecclesiam pertinens, hominem Francogallum in partes negotii trahi debere judicavit, & hunc quidem, Bossuetum, virum & eruditione clarissimum, & ab expositione fidei Catholicæ a se edita, celeberrimum, atque in omni Aula, apud Regem præprimis, perquam gratiosum.

Dum hæc aguntur & magnum opus paratur, jam Elisabetha Hollandina Caroli Angliæ Regis neptis, & Friderici Palatini filia, monasterii Montbiussaviensis in Francogallia, Abbatissa, Cartesii amica, Leibnizium cum Pelissonio, viro tunc celeberrimo, & pro religione, quam recens fuerat amplexus, zelosissime, commiserat, ut amoebæis epistolis de rebus ad religionem spectantibus disputarenti, & experirentur, si qua fieri posset, dissidentium Ecclesiarum compositio; seque sorori suæ Sophiæ, Hannoverani Ducis conjugii, novo, communis etiam religionis vinculo, arctius conjungerentur. — sorori quippe ambo amicissimi.

Cessarunt posthac privatæ, & clam factæ Leibnizii ac Pelissonii consultationes, dicam, an disputationes, dum ille cum Molano communi velut consilio & voto, Nostadiensium Episcopo, Aulæ Cæsareæ interpreti, de eodem negotio, nunc fere publico, responderet.

Summa Leibniziani de hac re consilii eo redit: "Rursum coeant in unam cum Catholicis Ecclesiam Protestantes, Romani Pontificis primatui se cum illis subjicientes. Catholici vicissim tollant abusus manifestos. Ceterum Protestantibus integrum permittant, aliter ab ipsis sentire, contenti uno fraterno ejusdem externæ communionis consortio. Quæ autem ipse & Molanus de reuniendis Ecclesiis consilia suggererent, necdum posse rem conficere, potius ut singularia privatorum hominum cogitata esse habenda, demum ab œcumenica synodo probanda, accipienda, munienda.,,

Toto decennio hac de re consultatum & disputatum fuit maxima utrinque eruditione, & sagacitate; imo & constantia; nec enim, utut, quantæ obstitent difficultates, bene ambæ partes adverterint, a cœpto opere tam facile destitit. Tandem tamen cœpit languescere, hinc inde interruptum rursusque adsumtum negotium; dum Leibnizius & Molanus a Catholicis cum Protestantibus reconciliandis, ad ipsos Protestantes uniendos, ad uniendas Ecclesias Lutheranam & Reformatam avocantur: successu non minus felici; qui tamen majori jure expectari

spectari poterat, cum ab Aula Borussica, cujus sceptro pari fere numero & Lutherani subsunt, & Reformati, res mota fuerit.

Actum fuit hoc negotium inter Leibnizium, Molanum, Jablonskium & Spenerum, viros illi, ob eruditionem amplam & solidam, ob modestiam præcipue & mansuetudinem singularem, si qui alii, sane aptissimos.

Ejusmodi negotio, quod --- ut erat perspicacia maxima --- cariturum effectu, prævidere debuit, tanta constantia, tanto temporis impendio, qui potuerit inhærere Leibnizius, nemo sibi facile explicaverit, nisi ex hac satis verisimili conjectura: virum hunc sui semper memorem, hanc de reuniendis Ecclesiis ideam, quam primum ipsi natam, vel suggestam; statim cum politico suo de *jure suprematus* philosophemate consociaffe. Beatam enim fore Europam ipsi visum est, si duobus subjecta capitibus, uni civili, alteri ecclesiastico, bellum illud optimi viri Abbatis a s. Petro dicti, de una omnium Europæarum civitatum, ad pacem æviternam habendam, conservandamque, republica commentum, ut in re & veritate consisteret, efficeretur feliciter; ad quod quidem, talem de qua agebatur, unionem, recte judicavit, esse necessariam.

Fuisse alias quoque multa de reuniendis Ecclesiis consilia ab aliis agitata, ab aliis derisa, a pluribus ut vana habita: paucis, tota simul irenicorum consiliorum & Institutorum histo-

ria, in montem venit. Quam dum tacitus mecum volvo, revoloque, ad Me ipse sentim mentis oculos animumque adverto; atque, quid mihi de magno hoc humanitatis, forsan primo & maximo momento, de hominum, de civium in Religione dissensu, de variis variorum ad eos reconciliandos conatibus, de diverso dissentientium ad invicem habitu, unquam visum fuerit, recogitare incipio. Audi, mi Bone, ingenuam --- nec enim, quem pene in cute nosti, amicus, fallere te potero; aut veritate simulata, Genio Leibnizii, cujus in sacro luco eam primum edidi; mentiri ausim --- hac de re confessionem meam!

Ego quidem, qui publico stipendio in id sum conductus, ut Theologum polemicum in Academia patria agerem, hoc nomen semper abhorruī. Retinui quidem nomen invisum, quippe publica auctoritate impositum, omen tamen delere, aliamque rem substituere, omni adhuc studio sum conatus. Jam a prima adolescentia, ut primum mihi innotuit, esse inter unius ejusdemque Christiani nominis confessores Schisma, & tale quidem, quale tunc adhuc magnam partem fuerat, ut pars partem odio hoc majori prosequeretur, sibi que altera ab altera majori sollicitudine caveret, quo reciproci odii, mutuæque suspicionis fundamentum, sanctius, religio: summopere id dolui; nec unquam animum inducere potui, ut invidiosis illis, qualia ut plurimum aliter sentienti-

bus

bus impingebantur, nominibus fidem haberem. Potius injuriam esse credidi, de fide bona, rectis moribus, & justo animo hominum dubitare, de quibus id ad summum constare poterat, non recte opinari.

Ne Judæos quidem --- quos prima ætate mea multo adhuc quam nunc durius haberi, ludibriis etiam, & gravioribus injuriis impune peti vidi --- ullo modo ut læderem, ut durius, quam ullum alium hominum aut verbo, aut opere haberem, mihi unquam vel puer indulgere potui. Imo memini, me puerum septennem --- Adeo in me benefica natura fuit, ut tam mollia daret præcordia --- pro Judæo, quem suspendisse se laqueo audieram, ad Deum orasse, ut propitium haberet anima, ex statione sua transfuga, judicem, cujus solius esset de illa judicare. Sed clam etiam me orasse memini, ne rescirent, qui preces temerarias damnare, & precantem male multare poterant; quippe orare me scivi ingratis duorum quæ tunc vulgaria, & pene extra dubium erant posita, dogmatum, religiosi unius: Periisse animam Judæi, & ex religione perfidam, & suicidii ream; politici alterius: Carere sepultura honesta debere cadaver suicidæ, ut animam beatitudine. Parentes tamen, quos noveram esse ipsos etiam mitissimi ingenii, nec in puerum misericordem stomachaturos; qualecunque hoc puerile facinus non celavi.



Abfit precor, dum talia de me prædico, invidia: abfit omnis jaçantia suspicio! naturam laudo in me summe beneficam, non propria jacto merita, bene memor, rationem me redditurum auctori naturæ, de beneficiorum ejusmodi in me collatorum recto usu, & propitium illum habere judicem me velle.

Theologica studia, queis posthac sum applicatus, ut summopere amavi, sic nunquam levi, aut remisso animo tractavi. Verba & formulas memoria tenere non contentus, rem ipsam & sensum semper intento, & pertinaci studio inquisivi. Sic experientia didici, quam grave sit, abdita fidei mysteria rimari: quam varias in vias singuli abducamur, dum unum idemque omnes, dum veritatem inquirimus: quam sæpe contingat, ut, metam dum adigisse credimus, paulo post ex angiportu in longum adhuc spatium prospectus aperiatur; ut cum idem argumentum, quod jam exhaustisse nobis videbatur, iterum novo studio lustrandum sumimus, alias novasque ejus partes adtingamus; ut hodie rejiciamus, quod heri probavimus &c. Hoc animo modestiam in sentiendo, & indulgentiam in aliter sentientes indidit, quotidie majorem, quo studia longius continuabam, & intensius persequebar. Utraque in me est ad eum modum aucta, quo major mihi cum dissentientibus consuetudo est nata: partim enim cum iis colloquendo, partim eorum scripta evolvendo, didici quantum eorum plu-

plurimi in investiganda veritate laborarint; quamque bona fide egerint, etiam cum nubem pro Junone, errorem pro veritate, amplectebantur.

Ut hæc me modeste de me sentire, & aliter sentientibus indulgere docuerunt, ita amor veritatis junctus studiis humanitatis, eo me impulit, ut illam ubique ab omnibus pariter teneri, summopere semper optarim. Non tantum amavi, qui pacis studiosi de uniendis christianis unquam cogitarunt, aut aliquid sunt moliti, quos inter etiam pium illum, æternæ pacis inter Europæas gentes auctorem, Abbatem a S. Petro dictum numeravi; sed etiam admodum juvenis, generoso vel, si mavis, audaci, & temerario pectore --- cui multos igniculos iniecit & martyrologiorum lectio, & frequens magistrorum meorum, de recentiorum missionariorum pro propagando Evangelio laboribus institutus sermo --- religionem Christianorum ad Garamantas usque, vel quousque demum aliquando liceret, nihil labores, nihil martyrium veritus, propagare decreveram.

Deferbuit quidem maturescente ætate iste male consultus zelus, prorogandi istud ad Garamantas & sanguine obfirmandi Evangelii studium & desiderium, cum de æternæ providentiæ, suam cuivis hominum, in terris hisce, qua opus præscriptum ageret, stationem adsignantis, consiliis rectius edoctus, patriæ me esse genitum intelligerem; sed ita, ut non tam

deferbuisse, quam alio se convertisse, & intra Europæ limites retractum constitisse dixisses. Jam enim in limine theologiæ studii spem non minimam conceperam, votumque emiseram, saltem velle me & posse aliquid ad reuniendos Christianos, & ad pacem Ecclesiasticam restituendam aliquando conferre. Votum quidem illud tanto ardentiori cum religione emisi, quanto spes, meæque fortis fiducia, mihi major fuerat, me adhuc in terris superstitem, insignes quosdam meorum ad hunc finem conatum, vel potius, ut modestius dicam, meæ cum tot aliis aliorum in eodem genere studiis ac laboribus consociatæ operæ, effectus visurum.

Publice vero aliquid hunc in finem unquam agere, aut quasi misso præcone notum facere cunctis, quorum interest, me hoc illudve opus moliri: me ita agere, ut dissidia religionis componerem, ne somniavi quidem; multo minus violenta suggerere consilia, bella & lites movere, debachari in adversarios, aut cum quodam impetu rem aggredi, unquam cogitavi. Dum alii ita se hoc in negotio gesserunt, bonam voluntatem laudavi quidem, agendi vero rationem utpote nec satis prudentem, animi, famam laudesque aucupantis non raro indicem, & proposito fini potius adversantem, quam congruentem, nunquam probavi. Satis enim mature didici, solius divinæ providentiæ esse, res humanas regere, & ad finem quo ipsa voluerit, adducere: statim quoque, quod  
alias

alias nescio ubi, audieram legeramve, huc applicui, magnas rerum conversiones raro subitas esse, sed lente fieri: tantum etiam jam tum sapui, ut dum de reuniendis Ecclesiis agitur, non tantum de externa pacis communione, sed etiam de una eademque religione tenenda agi, hanc autem omnibus hominibus nec derepente, nec una eademque ratione --- nisi hypocritas velimus --- insinuari posse, probe intelligerem.

Postea ut primum theologicæ cathedræ sacra dogmata interpretaturus, sum applicatus, nihil potius habui, quam ut voti olim emissi memor, ad illud rite solvendum me pararem. Ante omnia igitur, quid Theologia ipsa quid ejus Professores ad Schisma tale introducendum fecerint? quidque vicissim possint ad illud iterum tollendum? mecum perpensi: illud evitare, hoc curare, hoc tota vita prosequi, hoc promoverè, inviolabili animi decreto proposui: nempe absque omni partium studio ex ipsis authenticis documentis dogmata eruere: illa eo modo tradere, quo ipsis hominum animi concilientur: ea in illis interpretandis methodo uti, quæ nostri temporis ingenio conveniret. Decrevi diligenter perspicere, qua parte adversariis displicuerint dogmata controversa: & ex ea partes illa magis roborare, firmare, ornare. Decrevi honorem & amorem, quisquis eo dignus, Tros, Rutilusve fuerit, non adtentâ opinionum & dogmatum diversitate habere: non ex libris solum, quid, quaque ratione ali-

ter sentiant, quæ quaque de causa nostræ Ecclesiæ placita aliis displiceant, sed, quantum fieri posset, ex familiaribus colloquiis, & epistolarum commercio discere. Inde iter frequens in terras ubi aliæ vigent Ecclesiæ, instituire cœpi. Quidquid ubique boni inveni, id in rem meam, meæque Theologiæ vertere non recusavi. Modeste semper disputavi, & qua uti inter viros graves & eruditos decet, urbanitate, rem meæ Ecclesiæ fideique sustinui. Procul a meo acroaterio omnes logomachias abesse iussi, & quantum licuit, consultumque fuit, omnem logomachiarum causam, sustuli, ab illo, quo scholastici olim sunt usi, sermone tecnico, abstracto, & ambiguo, religiose abstinendo.

Dum talia propono agoque, sæpius inter Musæi secreta tacitus mecum sapientissimam æternæ providentiæ œconomiam considero; omnesque eventus humanitatem, religionem, Ecclesiam concernentes, probe noto, combinoque; atque, quid quisque ad restituendam, Christianorum Ecclesiasticam unionem contribuerit, sedulo computo; quam aliquando restitutum iri, uti humanitatis ergo, ardentissime opto, ita constanti fide, illam a divina Providentia curari, & per vias etiam occultas promoveri, nunquam non credidi; etsi multa viderim spei meæ, optatoque effectui fieri contraria. Vanas has esse nubes ratus sum, quæ solem oculis subducunt aliquamdiu, neutiquam vero, ne ire pergat & prodesse, impediunt.

Solis

Solis instar cœptum profequitur opus suum divina Providentia, atque ipse etiam, quæ --- ut lufci sumus homines --- contraria videntur, in rem suam vertit sapienter æque ac feliciter; & inanes ridet hominum sollicitudines. Tota quidem revelatæ, religionis œconomia eo tendit, ut hoc saltem vinculo unirentur homines, licet aliunde in diversissimas partes trahantur.

Nunc tamen, cum spes juveniles eæque audaciores ad justos modestiæ virilis terminos rediere, jamque animus annis & experientia subactior res humanas rectius æstimare didicit, longe absum, ut putem, posse me adhuc in terris superstitem, insignem quandam rerum humanarum hoc in genere conversionem, nedum totum hocce reuniendorum Christianorum opus perfectum omnibusque numeris suis absolutum, videre. Erit hæc pars beatitudinis meæ, quam post fata suprema in æthereis regionibus exspecto: videre, quam propius suo fini genus humanum admoveatur; iisdemque fere gradibus meam tunc beatitatem metiar, quot profecisse, humanitatem videro.

Habes mi Bœnike ingenuam, de humanitatis primo & maximo momento, de hominum, de civium in religione dissensu, de recto dissentientium Christianorum ad invicem habitu, confessionem: habes, quæ in sacro hoc luco, quæ in vicini monumento Leibniziano, arbusculi umbra, sum meditatus, quæque eo me adduxere, ut partem vitæ meæ simul recolerem.

Quantum hæc tam longa & serâ meditatio; quantumque variis hisce magnisque imaginibus occupata phantasia, intenderit animum, & facram flammam per omne corpus egerit, ipse æstimabis, mi Bone. Ego quidem sensi remittendum esse tandem, atque alio trahendum animum: traxi autem ad partes amicitiae, ita ut remitteretur quidem, rursus tamen, sin minus, innoxie certe, tum ob studii objectique varietatem, tum ob specialem, quæ est in usu amicitiae, jucunditatem, intenderetur.

Viget Hannoveræ gens Bœhmeriana duplici propagine e Gœttinga huc translata, mascula una, fœminina altera. Utraque, Bœhmeriana, & Nieperiana domus videntur mihi cum parentibus, summæ in me benevolentiae studio certare. In societatem optimorum sane hujus gentis hominum quotidie, cum a scrutandis urbis memorabilibus fatigato, quiete opus esset, confugere solitus, hoc præprimis die, festinus in extenta amicissimæ gentis brachia irrupi, quo amplum & grave illud de reuniendis Christianorum Ecclesiis, rebusque hoc fine gestis argumentum, animo versaram: nec unquam alias tanto mihi videbar desiderio, expectatus venire; uti enim ego majori tunc impetu ad amicos visendos impellebar, qui animum recrearent commotiorem; sic Bœhmeriana gens avidius expectabat hospitem, quo sciebat neminem aut lubentius aut majori cum sympathiæ sentu

sensu in communis gentilitiæ, quam illa dies adtuleraſt, lætitiæ partem venire.

Illam enim ipſam diem, decimam ſeptimam ſeptembris labentis anni, gentis Bœhmerianæ Pater, vir optimus, annis & meritis gravis, illuſtris Georgius Ludov. Bœhmerus, muneris academici ſacrum ſemiſeculare Gœttingæ agebat. Omnis Georgia Augusta quæ Gœttingæ eſt, Academia, venerabili & optime merito ſeni hanc fortem raram & beatam, publico magnæ lætitiæ teſtificatione eſt gratulata, atque domesticum, quod ſui eum domi paraverant feſtum, quo majori fieret cum pompa, ſuum fecit, cumulavitque cum ipſa natalitiæ diei ſuæ feſtivitàte; quam viciffim in Bœhmeriani nominis feſtigue honorem & augmentum, multo quam alias ſplendidiorem eſſe voluit!

Hoc ego Bœhmerianæ gentis feſtum, quaſi familiaris inter filios, filias, nepotes, conſanguineos affinesque ſeni venerandi, Hannoveræ egi, lætitia quidem minus, quam Gœttingæ fuerat, clamorosa, hoc tamen majori, quo ſic magis ſentire cum iudicio poteram, me lætari.

Ante paucos ab hinc annos Hannoveram etiam --- ne Metropolim putes in hoc a Gœttingenſi municipio vinci --- quanti Bœhmerum de tota patria, omnique Germania immortaliter meritum æſtimet, non vulgari ſolemmitate, utut parum publica, eſt teſtata. Præſentem enim tunc, qua nescio de cauſa, Hannoveræ invitatur ſuo & totius Collegii nomine Director,

ut



---

ut juris dicundi tribunal secum adscendat, quod ex Confiliarii in judicialibus intimi, quo gauderet, axiometate, jure suo posset. Paret invitanti: advenientem summo juxta se loco sedere Director jubet, ac sermone salutatur, qui & ipse ad quem directus est, senis venerabilis, & omnium quotquot aderant, præcordia ita movit, ut etiam lacrimas eliceret. Ecce, ait, quotquot hic præsentibus intueris, Te communem suum Magistrum omnes reverentur; tuumque magnam partem est meritum, quidquid isti ex hoc loco boni in patriam contulerint. Respondere conatur motus inexpectato honore & sermone senex venerandus: Sed lacrimæ loqui conantem intercipiunt. Pauca tantum verba post aliquam moram tandem reddidit, sed plena sensu & pondere.

Ego sane nescio, an pulchrius spectaculum possit mihi unquam contingere, aut majus proemium publico in Academia Professori? Det mihi ---- siquid ejusmodi mereor ---- hoc Deus, ut nemo discipulorum, quos unquam habui, aut habiturus sum, sine ullo insigni in patriam, & in humanitatem, merito, ex his terris ad plures abeat; utque, dum tuba ad Judicis tribunal vocaverit, meminisse possim, me auctore multos bene fuisse de patria, & de humanitate meritos. Amen!

---

Hammoniam me euntem indeque in patriam redeuntem, non præteriisse Gættingam; & quamdiu potuerim, ibi substitisse, recte mi Bœnike nuper divinaſti; nec qui hæc tibi in aurem revelaret, Oedipo aut Apolline opus erat. Scis enim me dudum jam ab Alma Georgia Augusta velut civitate apud se donatum, illam fere quasi alteram patriam amare.

Et quidni velut alteram patriam amem Almam Georgiam Augustam, quæ meis æque ac suorum civium & alumnorum studiis ita favet, ut quos volo libros ex penu libraria --- quam nullam in suo genere abundantiori copia, nullam majori selectu, nullam meliori ordine instructam, & ordinatam, Europa habet --- in domesticum etiam usum, donec e re fuerit, rarâ liberalitate, commodare non gravetur. Proceres ejus, quotiescunque illuc veni --- veni autem repetitis non semel vicibus, & moram quousque potui, fere semper longius protraxi --- summe in me benevolos sum expertus. Quidam inter illos intima etiam amicitia & familiaritate me complectuntur. Paucis: ita Gættingæ mihi placeo, ut aliter in urbe patria a civibus haberi, aliter domesticis laribus, ac amicorum hospitio, uti, nisi impudens, desiderare nequeam.

Viros qui hanc Academiam ornant, non tibi recenseo, nec laudo. Nihil illorum laudum meis elogiis adjicerem; nec tibi nova referrem; cum in luce & laude publica omnes versentur.

Aliud

Aliud potius audi, mi Bone, quod nec ego tacere possum, nec tu ignorare velis. Eam morum integritatem mihi in hac urbe invenisse videor, quam tanto magis sum miratus, quod omnis fere flos juventutis Teutonicæ, imo Europææ, illuc confluat: quod magna ex Academiarum more, imo tanta, quanta vix alibi, libertas indulta legibus & Institutis regnet: quod alterum a comitate, ab elegantia morum, ab urbano vitæ socialis commercio, meritum habeat, & præ variis academiis aliis, insignem prærogativam.

Vitæ socialis apud Gœttingenses commercium, dum laudo, nullus dubito, urbem hanc non tantum litterarum addiscendarum Academiæ, sed humanitatis etiam sibi comparandæ, addiscendique recti, quo vita utaris fruarisque, modi, Athenæum vocare; quo ut se conferant, non cesso juvenes cives meos, & apud quoscunque mea consilia aliquid ponderis habent, sedulo adhortari.

Si qua tamen aliæ in Germania Academiæ, similia vitæ socialis liberalioris & urbanioris magisteria habeant, atque æquo se putant jure, quantum ad hanc prærogativam cum Gœttinga posse contendere, non invidio, nec litem moveo; jucundissimæ imo, gratus semper recolam memoriam consuetudinis, qua alibi quoque cum viris non minus ab humanitate, quam litteris, commendatis, sum usus. Pace tamen reliquarum in Germania Academiarum liceat mihi

mihî hanc Gœttingæ prærogativam afferere, quod ibi usu & longiori & copiosiori collecta invenirim, quæ alibi sparsa, & parcius tantum li-  
bare est datum; saltem quod Gœttingam hoc laudum genere ornandi, opportunam occasio-  
nem ista scriptio suppeditavit.

Utinam liceret mihi per modestiam familia-  
rum, quas in hoc genere principes esse scio,  
exempla singularia referre. Utinam liceret  
mihi commemorare, qualia, & qua pietate,  
quaque arte, conjuges conjugibus, proles pa-  
rentibus, prolibus parentes, amicis amici, qua-  
vis memorabili vitæ periodo, sibi soleant mutuo  
gaudia parare, & creare quasi; quaque præ-  
clara æmulatione alii alios studeant superare.

Habent hæc, quæ sibi mutuo parant fe-  
sta, quæ dant, redduntque gaudia, peculiare  
aliquot suum meritum, quod sine multo æris  
dispendio ac qualicumque demum molestia, pa-  
rentur; quod ex improvise nihil tale suspican-  
tibus parentur, vel superveniant, habeantque,  
quotiescunque repetuntur, gratiam novitatis;  
demum quod plerumque tantum ingenuæ,  
quam natura amat, simplicitatis præferant, ut  
fieri in Arcadia, sed culta, & urbana, crederes.

Favet etiam ingeniis Gœttingensium ad  
invenienda parandaque sibi ejusmodi festa &  
gaudia, sua jam sponte fertilibus, omnis, quæ  
circum urbem est, amoenissima regio, ut na-  
tura velut studio quodam, nonnulla illis ad simi-  
lia festa instituenda percommoda theatra præ-  
parata

parata destinasse videatur. Tale est molendinum chartæ parandæ haud longe ab urbe constructum. Angusto istud est nemori inclusum; cujus parte aliqua fons aquæ surgit pellucidus, largus, musco circum vestitus. Huc .... exemplum aliquod audi .... Te ambulatum deducunt amici, nihil tale operientem: monstrant fontem: Et ecce ad ipsum, quo e terra scaturit, fontis ostium, lapidem quadratum hac scriptura insignitum: *Fons amicitiae sacer*. Circumspicis? Vides ferta florum arbores, quæ fons circumdatur, arboribus nectere: vides pendere ex arboribus anathemata, vota pro tua incolumitate, & carmina mnemosyna: juberis sub umbra arboris considerare? miraberis nomen tuum cortici incisum. Reliquas talis spectaculi scenas ipse tibi imaginando repræsentabis. Cogita, in quos affectus sis erupturus, cum senseris ab Amicis tali honore, tali lætitia affectum! & quos recipiaturi, quantum lætaturi sint talium gaudiorum artifices, cum tam bene sibi successisse viderint opus susceptum; cum viderint, lubenti illum animo accepisse gaudia, cui fuerant parata. Proemium enim benevolentibus primum, & maximum est, ut benevolentes agnosci; & in vicem recipere signa indubia amicitiae, & gratitudinis.

Alias Te paulo longius, eadem tamen via, in locum ducunt, cui aquarum e monte leniter descendentium, & varia molendina agentium  
 copia

copia ac strepitus, nomen dedit, (Rauschenwasser). Ibi sub umbra arboris frugale, sed suavissimis confabulationibus, subinde etiam communibus cantibus conditum, prandium parant.

Iterum, ut scena varietur, ad simile te convivium, inter ingentia arcis quondam Plestiacæ rudera habendum vocant. Dextræ sciunt, ut agreste convivium condiant, famem obsonare: nec enim solum sub dio sumitur; sed ab ipsis quotquot adsunt, convivis partita per singulos opera, paratur. Hi ligna congerere: hi ignem instruere; illi sedilia ex congestis lapidibus, alii mensam, dicam? an aram, ubi amicitiae Genio libetur, excitare: hic plenos cibis canistros adferre: alii alia facere: omnes alacres esse, & lætitiâ, bonumque animum nunc tripudiis, nunc cantibus testari.

Ad radicem montis, cui hæc rudera insident, fons sub ingentis molis saxo, larga limpidissimæ aquæ copia nascitur, hunc quercus annosa ex eodem velut saxo prognata, ramis late patentibus a solis caloribus defendit; & velut sacro antro includit, quo nec Arcadia, nec Ægeria in agro Romano pulchrius & amœnius habuit, nec ullus Vatum, ubi carmina inspiciantur, elegerit aptius, aut invenerit Apollinis Numine plenius. Frequentes hæc veniunt verno & æstivo tempore exiguae numero catervæ amicorum, ut aura placida frigidiorè,

scenæ campestris amœnissimæ aspectu, merenda, & suavibus colloquiis reficiantur.

Hiems est? sciunt etiam cœnaculum aliquod in luci vel horti speciem vertere, sicujus domestici, aut amici diem natalem festum agere, vel si quando de quocunque alio prospero eventu cum familiaribus & necessariis lætari decreverunt. Tunc enim frondes arborum illuc transferunt, ex quibus ferta & carmina suspendant; flores quoque & arbuta per interstitia disponunt.

Flores communia sunt, quæ, dum sibi diem natalem gratulantur, in benevolentia signum mittunt, munuscula; adeo quidem, ut singulari cura nonnulli quasdam florum species, insolito etiam tempore nutriant & educant, ne hyeme etiam amicus, dum diem natalem agit, consueto munere, simplicitatis & sinceritatis symbolo, floribus careat; semperque in domesticorum & familiarium festorum partem, quo sint auspiciatiora, alma mater Tellus vocatur.

Nunquam Academiam hanc aut adeo aut relinquo, quin Have, dicam beata anima Münchhusii! Vir iste de terris Hannoveranis, & tota Germania summe meritis, maxima prudentia, arte, uti simplicissima ita maxima, atque intentum effectum certissime præstitura, usus, iisdem

dem quibus fundavit, etiam stabilem atque omni --- quantum fieri in rebus humanis potest --- sinistra forte superiorem reddidit Academiam legibus; sunt autem: Bibliotheca instructor, nullo termino, aut erogandi æris summa, limitanda: Hujus usus liberalissime cuicumque conceditor: Libertas sentiendi, scribendique Professoribus nullis terminis circumscriptor: quisquis in quocumque studiorum genere excelluerit, ubicumque moretur, quovis pretio Academiæ conciliator, & huc, ut illa publice profiteatur, accersitor.

Cum ampliorem de his legibus commentarium adjici, institutiæ scriptionis ratio non patiatur, paucis saltem verbis faustum liceat Academiæ omen dicere, & perennem ejus florem fore, ex his legibus vaticinari. Enim vero nemo virorum doctissimorum posthac invitatem ad se, dubitabit Academiam audire, atque ibi sedem figere, & cathedram. Nec periculum, in licentiã degeneraturam, quæ conceditur, sentiendi scribendique libertatem; cum viris prudentibus, viris ea dignis, eam patientibus, concessa, quo minus est circumscripta, hoc minus etiam abufui sit subjecta; e contrario si quis generosioris indolis & ferventioris paulisper ingenii, necdum philosophia illa, quæ necessitati cedere docet, rite subactus, froena sibi injici sentit arctiora; indignetur: rumpat



vincula non se digna: & in licentiam effusus aut palam pervertat, aut clam eludat leges, quas non sua sibi modestia & prudentia, sed aliena vel dominandi libido, vel superstitio imposuit.

Præterea, quo eminentiores viri litteras in Academia profitentur, hoc fræquentiores ad illam non ex omni Germania tantum, sed Europa etiam, juvenes convolabunt, sub illustri magisterio bonis studiis vacaturi. Nec tantum bonorum studiorum tirones, puto, sed jam pene consummatæ scientiæ viros frequentes illic venturos, partim, ut ex locupletissima libraria penu hic hauriant, quod domi non inveniunt; partim, ut pulcherrimo, quod una ex diversissimarum terrarum civibus composita respublica offert, nullibi alias tam facile obvio spectaculo fruantur; acuantque illius intuitu, sensum humanitatis, & Cosmopolitismi, quo animari & agi vel maxime hominem litteris deditum oportet; nec certius, aut felicius, quam talis virorum undequaque in unam civitatem, ut unam omnes dispartitis studiis rem scientiarum & humanitatis curent, collectorum, rei publicæ, frequenti & longiori intuitu, usuque contingit.

Hoc etiam Gœttingensis Academia præmultis aliis præcipuum habet, quod providentia

tia & cura Urbis Consulium, Pastorum, Wagemanni præsertim, Senatorumque, præclarum disciplinæ totiusque rei publicæ, qua potissimum ratione educari juvenus plebeja, & nutriri pauperes possint, ac debeant, exemplum, Musarum alumnis continuo ob oculos versetur; unde non tantum ipsi mature adsuescant disciplinæ civicæ, religiosius servandæ, sed etiam in foro, & compitis, æque ac in scholis, & audiendo, & videndo, discant, quid juvet rempublicam, quid, ut salva sit ac prospera civitas, requiratur; sumantque sibi domum, quod patriæ inferant, si quid horum illi deesse viderint.

Minus arrisit natura a Cheruscis in terram Cattorum delato. Minus hic læta, minus fertilis, non arbitrario limite utrumque populum ab invicem disternit. Gubernii quoque utrinque ratio multum ab invicem diversâ, naturam, terrarumque ingenium utrinque imitatur. Minus liberaliter a principibus suis Belgis Cattos, quam a Quelphis Cheruscos adhuc fuisse habitos, videtur historia docere. Dignum sane est, ad quod animum prope advertat, quisquis ea philosophia imbutus, ut nihil humani a se alienum putet, ad diversos populos iter instituit, objectum: Gubernii publici, quæ qualisque ubique sit ratio, & for-

ma. Grave quoque peregrinanti sed jucundum opus, ipsam gubernii publici rationem formamque cum climate, cum ingenio populi, cum gentis principis indole, cum origine Civitatis, cum Ecclesiæ dominantis conditione &c. & gubernia cum guberniis vicinarum terrarum comparare. Quod, si usquam alibi, sane per Germaniam iter facientibus, & facile & jucundum erit, quippe ubi non raro plura uno die territoria adtingunt.

Ego quidem, cum rem Ecclesiasticam qualis ubique sit, præcipue ob oculos habere solem, inter alia ex veteri Hassiacarum terrarum historia, queis earum gubernium ab illo Cheruscorum distinguitur, momenta, id unum ad me magis pertinere & hic memoratu dignum credidi, quo monasteriorum, aliorumque similium piarum foundationum, quæ hic olim fuerant, vix ulla adhuc extent vestigia; unam ordinis Teutonici, quæ salva adhuc Marburgi est, commendam si exceperis; nec enim licuit cum rebus illustribus potentisque, ac inter status Imperii connumerati ordinis, agere pro lubitu & arbitrio.

Religio quæ in terris Hassiacis, Castellano Principi subjectis dominatur, Reformata dicitur; quam tamen, cave, ne cum illa confundas, quæ in terris Palatinis, quæ in provinciis  
Bel-

Belgicis, quæque in Helvetia obtinet. Augu-  
staam enim adhuc illibatam Confessionem se  
profiteri, atque uno de S. Cœna, de cujus  
virtute, quid quisque velit, sentire illa libe-  
rum reliquerit, articulo, a Lutheranis differre  
dicunt. Publice Lutherani suam religionem,  
privatim tantum Catholici suam exercent.  
Alternis etiam vicibus Commendæ Marburgi-  
cæ, trium Confessionum Equites Teutonici præ-  
ficiuntur. Ut contra veterem normam, atque  
Lutheranorum jura priva reformatis id privile-  
gium daretur; effecit qui tunc erat, Princeps,  
Reformatæ Religionis addictissimus, ut Catholi-  
cis quoque liceret Equitibus ea commenda uti.

Qua ratione Cassellis Catholicæ religionis  
exercitium fuerit introductum, ex commenta-  
riis publicis, qui de Landgravii nuper defuncti  
ad sacra Catholica transitu: de limitibus novæ  
religioni aulicæ positis: de pactis non tantum  
cum terrarum Hassiacarum ordinibus, sed  
cum Germaniæ Principibus aliquot, quasi Pro-  
testanticæ religionis, horumque pactorum cu-  
stodibus, de super initis, copiose refertunt, jam  
memori mente tenes, mi Bœnike, quo nemo  
est historiæ patriæ studiosior & peritior.

Ad unum tamen animum ut advertas, sine,  
ut te moneam: quam nimirum melior sit no-  
strorum temporum conditio; si cum illis confe-

ras, ubi hæc in aula Hassiaca contigere. Tunc enim, ne patris aut exemplo, aut hortatu ad Catholica sacra pellici possent, filiis adeo alio abductis, patrem orbem facerunt; illos vero a patre abalienarunt, donec paucis tantum ante Patris obitum annis, huic illi reconciliarentur. Quod cum eo anno contigerit, quo primum Cassellas inviseram, fecit recens rei toti terræ Hassiacæ, metropoli præsertim, gratissimæ memoria, ut quoquo venirem, de ea sermo fieret. Variarum adhuc quæ in toto hoc reconciliationis actu Patrem inter, & nunc hunc, nunc illum filiorum, intervenire, scenarum memini, quas videns nemo sibi a lacrymis temperasset. Vix enim narrando tibi repræsentari poterunt, quin uni aut alteri, Patri, aut filio, subin utrique compatiaris, & collacrimeris. Tum enim, inquam, paterna etiam jura violare non dubitarunt, ne quod timebatur, posthac etiam gens Principum Hassiacorum, eadem sacra Catholica profiteretur. Nunc vero qui Patri in avito Principatu successit, Reformatæ Religionis addictus filius, non tantum quæ Cassellis fuerant, sacra Catholica tuetur, & fovet; sed etiam, ut eadem semper, sine intervallis & interstitiis legalibus, non eo solum quo Eques Catholicus Commendæ præest, tempore, Marburgi fierent, sponte sua jussit.

Ceterum nolim credas, omnino displicuisse mihi Cassellas, & reliquas terras Hassiacas, quod naturam, gubernationem incusarim, minus esse hic, quam in terris, quas recens reliqueram, Cheruscis, liberalem; aut nihil porro tibi meum ad se traxisse animum, quod de Ecclesiasticis rebus primo statim, contra ac alias sum solitus, loco, egerim. Imò multa Cassellis, multa Marburgi animum ad se meum traxerunt, ac mora longiore eaque perjucunda, circa se detinuerunt:

Cassellis quidem tot Artis, magnique animi monumenta, queis Principes ipsam naturam quasi corrigere conati, urbem, & omnem quæ circum est, regionem, & amoenissimam, & splendidiissimam reddidere; ita quidem ut aliqui eorum temerario quodam, & giganteo ausu, ultra patrimonialis terræ vires moles ingentes moliti esse videantur. Cogita, ne singula recenseam notissima, vel unum prædium, Weissenstein dictum, in quod non tantum transtulerunt quidquid æditum, facellorum, cryptarum, rivulorum &c. Ars unquam ad ornanda Magnatum viridaria adhibere est solita; sed ubi in summi, qui toti late regioni dominatur, montis cacumine, tantam copiam aquarum, maximo & stupendo mechanismo adtollunt, & rursus ad ima revocant, ut vix alibi simile videas. Illuc adsurgitur per commodos gradus, utrinque ad cata-

raetas ruentium aquarum positos. Dum ad-  
 veneris, tantæ magnitudinis Herculem ex ære  
 factum offendis, cujus una clava, viris aliquot  
 recipiendis par est; ut mirari satis non possis,  
 tibi statuam illam de longe ad pedem montis  
 intuenti, justam habere viri proceri staturam,  
 fuisse visam. Aptum sane ausus gigantei &  
 temerarii symbolum, hunc Herculem!

Nec hoc adhucdum satis. Novam enim  
 quæ Cassellas integræ horæ spatio distitas, cum  
 ipso prædio, perpetua Principis sede futuro,  
 conjungeret, urbem condere in animo habue-  
 rat, primus ingentis operis auctor, Carolus,  
 magni sane animi princeps.

Totum quidem, quale est mente primum  
 conceptum, & modulis expressum, executioni  
 nec datum est, nec forsân dabitur. Ipsum ta-  
 men prædium insignes subit mutationes, quæ  
 illi faciem inducunt novam longe, quam fuerat,  
 cum primum duce & interprete, ornamento-  
 rumque veterum magnam partem auctore, ho-  
 mine francogallo, Lüchetio viderem, nunc splen-  
 didiorem simul & amœniorem. Ingenue pro-  
 fiteor Principem regnantem, quidquid hoc in  
 genere suscipit --- suscipit autem multa --- pro-  
 pitia Minerva, propitiis quoque Gratiis suscipe-  
 re, & exequi; quod cum ex primo jam ejus  
 opere, ex thermis Wilhelminis, quas in agro  
 Han-

Hannonienſi condidit, ſatis conſtat; ita hæc nova Herculanæ ſui transformatio, immortalis momento teſtatum faciet.

Etiam, ſi quando huc in terram Catto- rum delatus ingens hoc Landgravii Hercula- neum videris, cave ne amœnum vaſalli ejus, viri maximi, Schlieſenii Pompejanum præte- reas. Placebit certo non minus tum ſua amœ- nitate, & ſtructura, tum poſſeſſoris, digna, quæ colatur, & in honore habeatur, memoria.

Aliud magnificentiæ Principum Caſſella- norum monumentum, de quo, quod varias quotieſcunque illam mihi repræſento, ideas il- lius imagini ſociare ſoleam, tacere omnino ne- queo, Muſæum eſt. Elyſium illud --- pars Muſæi, ubi demortui per plures retro generatio- nes, Haſſorum Principes cera efficti, ſuis, queis quiſque cum viveret, eſt uſus, veſtibus induti, cum uxoribus eodem modo effictis veſtitisque, ſibi ex adverſo ſedent, ſed eo modo, quo pi- ctor aut ſculptor de trivio Deos Deasque, Semideos Semideasque in Olympo omnino iner- tes, & velut longævæ beatitatis aut homoge- næ ſocietatis tædio captos, collocaverit; aut quo ipſi ſæpius, cum viverent, ad rigorofum aulicæ liturgiæ præſcriptum, vel Majoris domus ſuæ, & Ceremoniarum in aula magiſtri ſupre- mi, conſilia, etiam cum ſuæ ſortis homini- bus,



bus, cum tagnatis etiam, nescio quid adfectatæ Majestatis semper præferentes sustinentesque fuerint conversati --- Hoc inquam, qualecunque Hassiacorum Principum Elysium, præ aliis Musæi Cassellani partibus & sæpius & fortius me ad se adtraxit, & diutius, quot vicibus, detinuit. Nunc enim quis qualisque quisque dum viveret, fuerit, quid in bonum gentis & humanitatis egerit peccaveritve, tam ex facie & toto corporis habitu, quam ex animalibus exquisivi; judiciumque tuli posthumum, non meo solum, sed totius posteritatis nomine. Alias videbar mihi singulis naturalem, qui ipsorum ingenio, vel societatis, quam illi assignaram, indoli, convenerit, corporis habitum; atque aliquod simulacrum vitæ dare; & in exemplo Principes, qui necdum id didicerint, docere, communi hominum potius, quam Principum singulari modo, inter homines agere, & socialibus gaudiis rite frui, procul molestis ceremoniis, quas alias aulicæ liturgiæ duræ leges solent imperare. Præcipue autem eo hic loci longius occupabar, ut novi & singularis alicujus Musæi, cujus istud Elysium vel centrum, vel initium, vel finis, vel quæcunque demum alia pars esset; ideam mecum tacitus delinearem: Ideam Musæi, in quo prisco- rum temporum nostræ Germaniæ, & aliarum nationum res & mores liceret intueri. Habet jam ipsum hoc Cassellanum Musæum, multa quæ

quæ huc pertinent: atrium enim, quo Elyfium hocce aditur, varii generis arma continet, olim ab Hassiacis Principibus gesta: alibi amplum cœnaculum plenum varii generis antiquitatibus est, partim Romanis Græcisque partim Theodiscis. Imo societas litteraria uni antiquitatum studio dicata, ipso Landgravio nuper defuncto Præsidente, hic frequentes, ut disquisitionum suarum materiem prope haberet, conventus egit. Multo majorem harum rerum copiam Dresdæ \*) vidi, sed confusam, & ita abundantem, ut uno cujuscunque generis exemplari retento, aliis divenditis, tantum pecuniæ redundaret, quantum condendo ejusmodi Musæo sufficeret, cui, quod vel ad copiam rerum, vel ad ornatum ædium ac cubiculorum & commoditatem spectatorum pertineret, plane nihil deesset.

Illam tamen palatii quod Dresdæ est, Japanensis partem, qua antiquitates Romanæ custodiuntur, qualis nunc est, ad novum hocce meum Musæum transferrem; atque exemplum esse juberem, ad cujus imitationem reliqua suo quæque modo cubacula ornarentur, & res ibi contentæ disponerentur. Quæ enim ad rem funerariam veterum pertinent, uno omnia  
cubi-

---

\*) in der Rüstkammer und im grünem Gewölbe.

cubiculo sunt conclusa; quod ut sepulchri speciem jam per se, utpote concameratum, facile refert, ita custodis providentia ita est depictum, ut sepulchralium locorum, qualibus veteres ad condenda suorum corpora sunt usi, varias species in variis parietibus exhibeat.

Musæum quoque Herculaneum quod prope Neapolim in Porticea urbe est, huc transferrem. Foret illud non pars tantum insignis novi operis, sed norma, etiam non minus, atque Japanense illud, ut ajunt, Dresdensium palatium.

Incidit aliud exemplum: Naturam in mineris agentem repræsentare Friburgensis Academiae Directores dum voluere: geographiam secuti, quæ fossilia quæque regio profert, distinctis loculis collegerunt; quæ si singula perlustraris, habebis in fine ipsius almæ Naturæ in subterraneis locis agentis imaginem. Eodem si mihi modo, in singulis cubiculis res & mores singulorum populorum repræsententur; erit profecto omnibus ex ordine perlustratis, unde ipsius humanitatis idea, meo quam facillime animo informetur.

Dignum puto foret magnanimo Principe quodam, talem ideam exequi, atque sic historiae patriæ non tantum sed quarumcumque nationum

tionum, imo totius humanitatis studio optime consulere. Cui tamen operi nisi virum præficiat, qui historia humanitatis probe fuerit tinctus, vereor, ne ad eam quam mente teneo, ideam unquam formetur, multo licet ære susceptum; vel rectum habeant, qui illud spectatum peregrinantur, harum rerum interpretem; quo opus est, ut, dum singula singulis nationibus, vel unius ejusdemque populi diverso quavis periodo insigni, Genio dicata cubicula perlustrarint; posthac in limine constituti, se nativas humani generis varietates vidisse: se gradus culturæ, quibus Europa vel Germania ad hoc usque ævum progressa sit, vel quibus gentem gens superet, mensurasse: se mores resque multorum hominum perspexisse, & invicem comparasse: se quoddam humanitatis historiae compendium ex hoc Musæo secum reportasse, lætari possint; ut retrospectivè laudent Principem magni operis auctorem: & interpretem ejus, ducem suum; ut Genio humanitatis votum aliquod suum, talis Musæi limini appendant, spondeantque: Humani posthac nihil a se alienum putare: & velle, si non liceat ad gentes humani universi, vel ad patriæ bonum multa conferre, saltem mentem propriam animumque summo studio colere & perficere.

Pinacothecam quoque; & Artium plasticarum Academiam, suorum Principum erga Artes

tes liberales amori Cassellæ debent. Magna cum voluptate adhuc memini Tischbeinium, inter patriæ nostræ pictores principes jure suo numerandum, tunc cum primum huc veneram, adhuc inter vivos superstitem, hujusque Academiæ Directorem vidisse. Ad eas, quas ipse pinxerat, tabulas, diutius, quam ad alias constiti, ut totum, quo animatus tot præclara artis opera ediderat, Genium, penitus noscerem. Id præprimis gratum, & jucundum tunc mihi accidit, quod intra paucorum dierum spatium duas extremas studii, quod vir iste Arti pictoriæ consecraverat, epochas attigerim; atque viri suo in genere certo magni initia, cum consummatis, omnibusque numeris absolutis operibus conferre licuerit. Recta enim tunc Moguntia veneram, ubi in ædibus Stadionianis prima sui studii pericula Tischbeinius in perenne gratitudinis monumentum, Comiti a Stadion, supremi terrarum Moguntinensium quondam Administro, magni & artificum & litteratorum Mecænati, suo velut Apollini, ob beneficia collata ex voto suspenderat: quippe ipse etiam puer adhuc, hujus viri munificentia educatus, & Arti pictoriæ adplicatus. Cassellis vero, quem tironem Moguntia videram, jam primi subsellii Pictorem, jam operum æternitate dignorum auctorem sum veneratus, & ingenium hominis a parvis initiis ad tantam virtutem eluctatum miratus. Multum sane hoc  
fa-

facit ad recte æstimandam magni quocunque demum in genere viri virtutem, quando prima cum postremis uno velut obtutu intueri, & conferre potueris.

Ad Confluentes Rheni Mosæque simile mihi, sed, quod de cive nostro, quod de patria nostra agebatur, multo adhuc jucundius spectaculum obtrigit. Quidam enim ibi ad D. Florini Canonicus -- Umbescheid illi nomen est -- qui reditus otiumque a pia matre Ecclesia largiter ipsi concessa, in colligendis, considerandisque Naturæ & Artis gazis, ad multorum Collegarum & Confratrum invidiam, generose impendit; in cœnaculo ædium suarum uno, congestum ostendit, quidquid pictum a Zickio, Trevirensi aulæ adscripto Pictore, obtinere potuit; sic enim diversas unius ejusdemque artificis, diversis temporibus a se adoptatas pingendi rationes, simul videre licuit, & invicem comparare, ac dijudicare per commodum fuit. Est autem Zickius iste non infimi subsellii pictor, civis noster, Wirceburgi natus, atque ab ipso patre, non in una arte autodidacto, in primis artis pingendi rudimentis institutus.

Audisti, mi Bone, quæ præcipue me Cas-  
fellis detinuerint. Marburgi varia animum  
potius meum, quam oculos occuparunt. Non

enim erat ea anni tempestas, ut montana regio delectare potuerit; autumno quippe jam adulto, & pluvio ut plurimum cælo, huc sum delatus. Nec aliis memorabilibus, quæ peregrinantium oculos possint allicere & diu pascere, Marburgum gaudet, unum Ordinis Teutonici templum, & quod ibi custoditur, divæ Elisabethæ olim hic tumulata, nunc nescio quo, Romam forsân translata, Cenotaphium & materiæ pretio, & qua constructum est, arte, magnificentum si exceperis. Tanto autem magis animum recreavi inter viros optimos & doctissimos, Robertum præprimis, Jungium, Tiedemanum, Michaelis, aliosque conversatus. Roberti quidem favorem mihi Academia patria, cum inter festa secularia hospitem haberet, ita conciliavit, ut domum reversus, omni quoque familiæ suæ non vulgarem in me amorem instillaverit; quem non tantum frequentes & peramanter scriptæ litteræ mihi absenti testantur, sed potissimum quotquot vicibus præsens, ac in hospitium receptus, largiter quoquo modo experior. Quod liberalius senserit, ac proinde ipsi cum collegis convenire non potuerit, ut est pacis amantissimus, a Theologorum ordine ad Jurisconsultos transit, felici utrobique Marte agens. Tanto etiam fuit facilius & jucundius, cum viro hoc ab omni partium studio nunc libero, de varii Theologorum placitis philosophari.

Tiedemanno singularem a me esse defendendum honorem & gratum animum ratus sum, quod theologorum dogmatum studium suis in veteres Philosophiam disquisitionibus summo opere juvet. Omni modo, ut etiam quid de theologis rebus senserint Patres, & scholarum principes pari, qua eorum Philosophiam repræsentare novit, sagacitate ex eorum scriptis eliceret, suadere sum admissus; sed irritato conatu. Nunquid timet Danaos?

In Jungio Stillingium ipsum, & quam in humanis ludat divina potentia rebus, illustre exemplum vidisse per jucundum fuit; potuisse cum illo de amicis, quos Bremæ habet, atque haud ita pridem Marburgi hospitio exceperat, de Emporii illius Senatore, & legum Doctore Denickeo, viro integerrimo ejusque conjuge, fœmina ornatissima, & laudatissima, loqui, non minus mihi gratum acceptumque contigit. Videbar enim mihi hoc colloquio Marburgensi compensare quodammodo unicum tantum, quo Bremæ eorum consuetudine frui licuit, diei, moram brevissimam; de qua communes utriusque, illi & ego, cum postremum nobis vale diximus, querelas miscuimus, sortem incusantes iniquam terrigenarum; quæ non raro duos, dum se eodem vitæ mortalis tramite peregrinantes, sibi obvios factos lætantur, eodem fere quo junxit, momento, etiam per omnem por-



ro vitam solet disjungere, acre utrinque relinquens sui desiderium, & unicum, quo illud solentur, medium, spem immortalitatis, ac communis aliquando in æternis sedibus beatorum, obtinendæ patriæ.

Michaelis, Medicus, Patris Avique, illustrium inter Philologos Orientales nominum, queis nemo Theologorum non affurgit, memoriam excitavit; honoremque quem filio sum professus, tam propriis, queis in Hippocraticorum ordine claret, quam insignibus Patris Avique, de theologica, philologica præsertim disciplina, meritis, habui. Majores enim in posteris revereri, ut pium & æquum, ita solemne semper habui. Illud præprimis jucundum fuit, Marburgi etiam, postrema, ubi aliquam moram trahere constitueram, urbe, Bœhmerianæ gentis partem invenisse, clarissimi hujus Medici sororem, illustris Bœhmeri nurum viduam, fœminam honestissimam ornatissimamque. Singulare enim mihi id nupero hoc itinere contigit, ut in omni fere, quam ad mare Balticum usque pertransii, urbe nobiliori, Gœttingæ, Hannoveræ, Lüneburgi, Hammonix, & Marburgi, apud aliquos hujus gentis laudatissimæ quoddam diversorium sim nactus, amicissime ubique receptus, & perquam liberaliter habitus: ita, ut totam, quam peregi viam, aliquo jure, si quam ejus mappam itinerariam conficerem, possim Bœhmerianam vocare. Sum-

Summum montis, cui arx est imposita, cacumen semel matutina deambulatione solus per ambages petii, fata hujus Academiæ, resque hic gestas, inter alias vitam divæ Elisabethæ, fœminæ beneficentissimæ, hujusque confessarii, Conradi Marburgici e Dominicanorum familia hæreticæ pravitatis in terris Teutonicis Inquisitoris generalis, morte violenta zelum imprudentem & temerarium luentis, mecum reputans: interdum etiam Lotichium, seculi decimi sexti non vulgarem Poetam, in confiniis patriæ meæ, in monasterio Solitariensi (Schlüchtern) natum, hic bonis studiis imbutum, Wirceburgi aliquamdiu moratum, Stibarorum, viri tunc apud nos & externos celebris Danielis Stibari, nepotum, moderatorem, & in Europæo itinere comitem, nunc contra sua merita meaque vota pene neglectum, vel omnimodæ oblivioni traditum cogitans: præprimis autem grande, quod nonnullis in nobile oppidum, Marburgum, illustremque quæ ibi floret Academiam, commississe visus sum, peccatum deprecans & excusans.

Quale peccatum in Marburgenses commississe visus sim, quæris, optime Bœnicke? Stolidam male consulti quondam in terris Hassiacis e Societate Jesu Missionarii, ad Ulrichii nostri amicum, ultimæ voluntatis executorem Reibeltium de sui negotii successu referentis verba:

a festo St. Martini iter ingressi sumus satis asperum, tres dies, & medium consumsumus; usque dum in primam sedem Missionis, scilicet in pagum Schrick devenimus: locus iste Marburgo, sede Satanae, distat una hora &c. in appendice ad Ulrichii, quam edidi, biographiam, repetii. Repetiisse autem opus fuit, ingenium illorum temporum quale fuerit, extantioribus lineamentis descripturo; quod quidem etiam & tibi, & quibuscunque æquioribus Ulrichianæ biographiæ meæ lectoribus, sic se habere est visum.

Miraris, qui libri scopum nonminus, quam sensa animi mei, urbanamque, qua utor, de adversariis etiam loquendi rationem noscis, nec in Ulrichiana biographia, unde accusationis hujusmodi momenta desumi possint, quidquam detexisti: miraris, qui recte judicas, me piam Herois mei mentem, qua quidquid ipsi bonum & utile est visum, agere decrevit: non omnia, quæ ex hoc motivo egit, facta, laudanda suscepisse: quique probe scis, historiarum scriptores, quæ ab aliis dicta factaque referunt, sua non facere: Miraris inquam, potuisse me publica a nonnullis apud litterariæ civitatis Magistratus actione, de his criminari, & quasi cum Missionario consenserim Marburgo maledicenti, aut nunc quoque, quod Ulrichio

richo ejusque æqualibus & amicis placuit, reuniendorum cum Catholicis Protestantium medium: Missionariorum scilicet Jesuitarum sermones circumforaneos, & de controversis dogmatibus publicas & strepitosas disputationes probem, accusari.

Credo, qui de primo capite accusarunt, amore patriæ stimulatos, innocuum ceteros quin historiæ scriptorem in jus vocasse; suum vero pro patriæ honore zelum in Annalibus testatum, & posteritati commendatum esse voluisse.

Qui de altero mihi crimine dicam scribere, nescio quo fatuo igne decepti, agi de rebus protestanticis, iisque fata postrema instare sunt rati; inde, ut timidi solent, turbati mente animoque omnia miscere, & confundere: omnia tuta timere: & machinationes videre, nunc violentas, nunc subdolas, si quando offenderint, qui forte temporis fallendi vel quacunque alia innocua causa, bona certo fide, inter secreta musæi sui, veteris Prolemices imaginem aliquam describat, monstretque talium rerum curiosis tabulam, quam pace artificis, quisque spectatorum possit pro suo lubitu aut ingenio, ridere, flere, mirari, vel contemnere.

Siquis tamen & quantuscunque in me læsi Marburgensium Musarum Numinis reatus fuerit, certo mihi illas placatas credo, dum solemniter voto, toti nunc meis oculis subjectæ urbi, earum sædi illustri, fausta omnia, & Academiae florem perennem sum apprecatus, protestatusque, invitum me post brevem vix trium dierum moram, hinc avocari. Omen saltem, signumque expiati vel potius nunquam imputati hujusmodi reatus, propitiique Musarum Marburgensium Numinis accepi, quod majori, ut mihi visum est, lætitiæ & benevolentiae testificatione ab hac matutina peregrinatione reducem exceperint Amici earum sacri mystæ; quod valedicentem ægre admodum, & nonnisi accepta, me quam primum licuerit, rediturum, sponsione, a se dimiserint; atque absente mille votis sint persecuti.

Marburgo recta, diurno nocturnoque itinere, nec ulla in interjacentibus utpote mihi jam alias perlustratis, satisque cognitis urbibus, Gießæ, Francofurti, aut Hannoveriæ interposita mora, in patriam cursum direxi. Nihil aliud porro postquam auram patriam trans montana Hassiæ me adflantem haurire cœperam, ad me pertinere ratus, Solos cogitavi, quos mox amplexurus eram, domesticos lares; domestica studia in annum futurum mecum interim disposui; atque de-

libe.

liberavi, quas Deo, quod tanta mihi toties peregrinanti gaudia fecerit, dignas grates referrem, & qua ratione mereri possim, ut, quando elapso iterum anno rursus ferari datur, salvus sim, ut ad externos rursus proficisci liceat, ut inveniam qui benevole me recipiant, qui doceant, qui animum ad altiora provocent consilia, qui ostendant, quæ vertenda in patriæ bonum, domum mecum reportem; ut novum, quo magis semper prosum patriæ, humanitatique, robur accipiam. Nihil igitur, quod de gemina hac peregrinatione ad te referam, mi Optime Bœnike, adhuc superest, nisi ut valere te jubeam, rogemque, ne spernas munus litterarium levidense. Si quæ inter legendum tanquam leviora, minusque, quæ typis edantur, digna obelo ceu stigmatibus notanda tibi videbuntur; indulge precor amici amico, quæ meminisse delectat, communicantis verbositati. Iterum iterumque vale.

*Dedi ex Museo*

XXIII. DECEMBRIS  
MDCCLXXX.

ipsa die qua Henckius meus nova prole, filia secundo genita, mihi cognomine, *Francisca* est auctus feliciter.



## II.

# M O N I T U M

## AD LECTOREM.

**P**romisi nuper, compendium aliquod *dogmatici de Ecclesia* *Commentarii* alteri huic rerum Donatisticarum collectioni adjungere, unde constet, qualem *de Ecclesia* ideam animo informatam habere oporteat, qui de controversiis: *An unam solam Christianorum Ecclesiam esse Deus voluerit? Quanam inter dissidentes Christianorum Ecclesias vera sit? &c.* legere, & dijudicare voluerit.

Promissis stare nec licuit, nec expedit. Primum quidem, quod tanta sit rerum huic alteri volumini inferendarum copia, ut ultra justam molem hac adhuc accessione facta, excrevisset.

Nec expedire posthac visum fuit, siquod spatium superesset, dogmatici alicujus de *Ecclesia Commentarii* compendio implere. Jam enim *Ideam biblicam Ecclesiae Dei* paucis post Optatum mensibus in eadem typographia edere coepi, non admodum magnæ molis libello singulari, quem æqualis magnitudinis duo alia volumina proxime, si Deus velit, sequentur. Ut  
argu-

argumentum grave est, atque --- nisi me tot publica testimonia fallant --- nec invita Minerva, nec ingratius Theologorum & Philosophorum a me tractatum; nemo, credidi, cui Optatus, cui Donatistica controversia, cui Ecclesia Christi, res suo studio dignæ videntur, compendium desiderarit; sed lubens quisque parvi æris impendio, ipsam, quantâ est a me descripta, *Ideam biblicam Ecclesiæ Dei*, Optato adijciet; qua facta ad bibliothecam suam patristicam accessione, totam, quæ in postremis ejus adhuc voluminibus tractatur, materiam facilius a se intelligi, & dijudicari posse, lætabitur. Cum e contrario verear, ne plures, si prævia dogmatis, ad quod totam ejus disputationem referant, adcuratori notitia, si recto dijudicandæ totius Donatisticæ controversiæ criterio, paucis, si recta careant *Ecclesiæ Dei Idea biblica*, ipsum Optatum, utpote sibi obscurum & inutilem Scriptorem emisse, vel legisse pœniteat.

Meum nunc est, ut, quam Optati Lectoribus emendam legendamque hic commendo, *Ideam biblicam Ecclesiæ Dei*, quanto ocius integram, & omnibus, quantum pro viribus licet, suis numeris absolutam, in manus tradam; ne, si in edendo residuo moram traxero longiorem, interim Optatus, ipsumque primum illud mei *de Ecclesia* Commentarii volumen in angulum seponantur, unde succrescens quotidie aliorum librorum copia non facile permittat revocari; neve, si in tractando ornandoque argumento gravissimo operam meam ac diligentiam desiderari pãssus fuero, aut si tantum vulgare aliquid, & jam pene tritum, & ubique obvium de re magni momenti, neque adhuc satis eliquata, imo hoc magis intricata, quo pluribus varii generis commentariis fuit scilicet, illustrata



strata, dixerō; ridear vanus magno promissor hiatus; aut vino non bono dicam speciosam hederam suspensisse. Utrumque ergo, quantum in me erit, curabo, ut Ideam biblicam Ecclesiæ Dei brevi integram, talemque edam, quæ Optati Lectoribus non possit displicere.

Ceterum supersunt adhuc, quæ tertium, rerum ad Optatum & Donatistarum causam pertinentium, volumen impleant. Hoc tamen, antequam Idea biblica Ecclesiæ Dei tota sit edita, noli expectare Lector. Non patitur gravissimum argumentum, ut ad diversa animus distrahatur: sed utrumque sibi, ut bene & pro dignitate tractetur, nec justo tardius prodeat, & animum & studium meum soli vindicat.

Si, quas adhuc præmissi, hodogeticas epistolas tibi non displicuisse sensero, cogitabo de præfatione vel similis, vel alterius generis & argumenti non minus tibi probandi, etiam tertio, quod expectas, volumini præfigenda. Vale jam Lector, lege, & fave.



### III.

## VARIAE LECTIONES ET ADNOTATIONES CONTEXTUM OPTATI MILEVITANI ILLUSTRANTES.

---

#### NOTAE,

ibus Codices MSS., unde variae Lectiones proferuntur, hic signati sunt.

S. C. S. Th. - Codex S. Theodorici.

S. C. S. G. - Codex S. Germani.

S. C. P. S. - Codex Philippi Silucii.

S. C. C. - Codex S. Pauli Cormaricensis, nunc Colbertinus.

---

### LIB. I.

#### 29. I. Milevitani Episcopi.

Variae sunt hujus urbis Numidiae compellationes. Antonino *Mileum*, Augustino & Victori Vitenſi *Milevis*, in Tabulis Peutingerianis *Milea*, in Conc. Carthag. de rebaptiz. hæret. sub Cypriano *Mileum* audit; uti etiam ipſi Optato infra. E *Mileo* ſeu *Mileu* factum eſt *Milevum*, & inde *Milevis*. Duo in hac urbe celebrata ſunt Concilia, unum A. 402., alterum A. 416., quæ propterea *Milevitana* dicuntur. Male autem diſtinguit Carolus a S. Paulo *Mileum* a *Milevo* ſeu *Mileu*: nam nullum eſt aliud oppidum hujus nominis in Numidia. *du Pin.*

#### *ibid.* Chariffimi fratres.

S. Optatus hic loquitur de Chriſtianorum fraternitate, quam ceu veram & realem quandam cognationem omnes fideles per aquas baptiſmi regenerati cum Chriſto & ſecum ipſis contrahunt. In hac antiqui multum myſterii & religionis poſuerunt præter Donatiſtas, qui hoc nomine *Fratres* a Catholicis appellari minime tolerabant, atque etiamnum in Collat. Carthag. recuſabant, uti teſtatur S. Auguſtinus L. 3.

*Optati Tom. II.,*

A

con-

contra Gaudentium. Docet igitur Optatus Donatistas hac nativitate fratres, sed malos fratres, quod matri Ecclesie, quae eos genuerat, minus essent audientes. Ipsa olim Ecclesia dicebatur fraternitas, ut ex Tertull., Cypriano, Ambrosio & Hieronymo discimus. Ita *Bald.* & *Albasp.*

*ibid.* Fides una commendat.

*Mericus Casubonus* putat, Optatum *fidem unam* ipsum explicare Lib. 5., cum dicit: *Una fides, hoc loco ab haereticorum erroribus, & ab eorum varia fide, fides unica separatur.* Nec videtur *eo commendare* aliter, aut certe non valde dissimiliter accipiendum in multis Veterum locis, cum de Ecclesia Catholica loquuntur. Sic August. Brevic. Coll. die 3. cap. 4. habet: *Quoniam Donatistae scripturarum testimonio unam Ecclesiam commendaverant*, id est, unicam esse probaverant. Alibi *commendatur pro agnoscitur* aut *describitur*.

*ibid.* Filium Dei.

*Deum.* In MSS. S. Germ. a Pratis & Phil. Silv. habetur *Domini*. Idem sensus.

*ibid.* iudicem seculi.

*Seculum* talibus Scriptoribus *mundus* valet, & quidquid in hac vita vivitur. Ita *Barthius*.

*ibid.* qui jam pridem venerit.

Ita in MS. S. G. melius quam in editis aliisque MSS., in quibus legitur: *venerat*.

*ibid.* natus sit.

Ita in omnibus MSS. In editis minus bene *est*.

*ibid.* sepultus.

*Albasp.* putat, praeter Christi sepulturam Ejus quoque ad inferos descensionem simul subintelligendam esse, eoquod in Auctoribus illius aevi, ut in D. Augustino, illius descensionis frequens esset mentio; quod vero neglexit Optatus, quia breviter nonnisi mysteria haec perstringit.

*ibid.* Christianis nobis omnibus.

Ita in editis habetur, & in MS. S. Th.; sed in MSS. S. G. & P. S. deest vox *nobis*, estque superflua.

*ibid.* victricem pacem.

Secuti sumus hoc in loco auctoritatem Codicis S. G. In MS. S. Th. nec non in P. S. legitur: *Storiam per Apostolos pacem dereliquit.* Quid sit *storiam*, divinare difficile est: forte positum est pro *consolatoriam*, aut pro *statoriam*, hoc est, firmam & permansuram pacem. Alii alia verisimilliora comminif-

miniscantur. In editis legitur *suam*, sed male; mox enim dicit Optatus, pacem illam & Dei esse & fidelium. — Per pacem autem, quo verbo Optatus sæpius utitur, communitio Christiana visibilis & invisibilis, Ecclesiæque unitas cum Christo & per Christum cum Deo intelligitur.

*ibid.* Igitur pax Christianis.

In editis *Sic igitur*. In MS. S. Th. *Sic igitur*. In MSS. S. G. & P. S. nihil præter *igitur*, atque id melius.

*pag. 2.* Nec ab Auctoribus schismatis turbaretur.

*Turbaretur*, monet *Mer. Casaub.* hic accipe pro *turbata fuisset*; ut postea quoque *possit* pro *potuisset* &c. Contra autem *potuissent* pro *passint* &c. quomodo præter Optatum Arnobius, Zeno Veron & alii loquerentur, præsertim etiam Terentius, Virgilius, ipse adeo Cicero. Crebrius autem ita loquitur Optatus, quod semel monitum deinceps semper valet. *Auctoribus Schismatis*, id est, Principibus & antesignanis.

*ibid.* Nec illi inconfolabiles Deo lacrymas facerent.

Alludit hic Optatus ad verba Isaia XXII. v. 4.: *Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate filiaë populi mei.* Deo ergo *lacrymas facerent* non est intelligendum de lacrymis Auctorum Schismatis, sed de ipsius Dei dolore ob vastatam ab eis Ecclesiam; uti ipse Optatus explicat Lib. 3. initio: *Indicat Deus lacrymas suas, quas vos fecistis &c.* ita *du Pin.*

*ibid.* falsorum vatuum.

Id est, Pseudoprophetarum, Doctorum mendacii. *Fratrum non Vatuum* legendum putat *Barbicus* ex verbis D. Pauli II. ad Corinth. XI. 27. *κυνδύοις ἢ ψευδαδελφοῖς*, ad quæ alludit Optatus scilicet. Sed videatur Optatus de falsis vatibus Lib. 3.

*ibid.* nomen & actus incurrerent.

Per *nomen* honor & dignitas Episcopalis, per *actus* autem munia & functiones, inquit *Albasp.*, intelligendæ sunt. Sensum autem hunc idem reddit: *Vestri Episcopi non essent falsi, neque frustra nomen eorum in Altari nominaretur.* — Ita *du Pin.* *Vestri Episcopi nec dicerentur, nec cognoscerentur factis suis pro falsis Doctoribus.*

*ibid.* Nec ruinosum ac dealbatum extruerent parietem.

Alludit Optatus ad verba Ezechiel. Proph. XIII., qui de falsis Prophetis loquens: *Qui decipiunt populum meum, dicentes, pax, & non est pax*, addit: *Et ipse edificabat parietem.*

*rietem, illi autem luebant cum luto.* Tales, inquit Optatus, sunt Donatistarum principes, quorum societas non erat solidum & permanens ædificium, ut Ecclesiæ Christi, sed paries tantum ruinosus, licet exterius dealbatus *du Pin.* melius quam *Albasp.* inquit: Ecclesia comparatur ædificio, & Episcopi ædificare dicuntur; quo alluditur ad illorum sepulchra dealbata, qui tempore Macarii occisi pro Martyribus a Donatistis celebrabantur. Integrum Ezechielis locum profert & fuse tractat Optatus ipse Lib. 3 medio fere libro.

*ibid.* nec minus astutas, sed tantum simplices everterent mentes.

*Barthius* putat, in his verbis nec sensum nec vitam latere. Hinc legit: *Nec minus astutas; spe tantum simplices everterent mentes.* Sed cum *eo tantum* in secunda editione Balduini non extat, videtur potius legendum: *Nec minus castas & simplices everterent mentes,* hoc est, eos, qui minus cauti sunt ob nimiam simplicitatem. Ita in omnibus MSS. & ferri potest & exponi.

*ibid.* omnibus capitibus.

In MS. S. Th. *capitibus*, sed male. Alii Codices habent *capitibus*, & ita legendum constat; cum certum sit; Optatum ad sequentia Prophetæ verba alludere: *Super omni caput;* haud ergo dubium, Optatum hic idem voluisse. Hisce verbis autem docet, Donatistas imposuisse pœnitentiam Episcopis, Presbyteris, ceteris Clericis, fidelibus & pueris, & omnibus, quos poterant circumvenire & pervertere.

*ibid.* Everisionis velamenta ostenderent.

In MS. P. S. *velamentum* legitur, & ita etiam emendatum antiqua ac forte eadem manu in MS. S. Th. Mentem vero suam exponit Optatus Lib. 2. in verbis: *Hos actus vestros dolet Deus in Ezechiele Propbeta, cum dicit: Va facientibus velamen, hoc est, imponentes manum super omnem aetatem ad evertendas animas. Invenistis (Donatistæ) pueros, de pœnitentiâ sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent: agnoscite vos animas pervertisse. Invenistis Diaconos, Presbyteros, Episcopos, fecistis laicos: agnoscite vos animas pervertisse, scil. spoliantes eos innocentia & dignitatibus suis tum coram Deo, tum coram hominibus.* Pergit hic Optatus alludere ad verba sequentia Ezech. XIII, 18., ubi habetur in Hebr. & apud Septuag.: *Va his, qui consuunt cervicalia*  
sub

*sub omni cubito manus, & qui faciunt velamina super caput omnis aetatis, ut pervertant animas.* — Impositio autem manuum est quaedam veluti obumbratio: cum enim Episcopi manum in poenitentes porrigerent, eos veluti obumbrabant; quapropter Optatus illam manus impositionem velamen appellat. Everfionis velamen dicit. Qui enim innocenti olim solemnem poenitentiam imponebat, eum evertebat, quia de fideli reum faciebat, praeterea privabat eum communionem Corporis Christi, qua qui privabantur, mortui censebantur, & vera vitae usura carere. Ita *Albasp.*

*ibid.* Nec maledicerent Deo.

Hoc etiam habetur in illo cit. Ezechielis loco: *Et profanastis me in populo &c.* Profanare seu profanum reddere est maledictis incescere, inhonorare. In utroque olim Sacramento, Baptismo nimirum & Poenitentia, fiebant exorcismi, quibus objurgabatur Satanas, & discedere, ac locum vero Deo dare jubebatur. Donatistae ergo in poenitentia, quam infontibus imponebant, & in rebaptizatione Deo maledicebant, quia exorcizabant fidelem, in quo Deus habitabat, & eum maledictis tanquam Satanam onerabant. Unde S. Augustinus in omnibus pene libris objicit Donatistis, quod Deum aut Christum aut Spiritum S. exsufflarent, hoc est, exorcismis deterrent & fugarent: flatu & sputo enim daemones olim a Christianis exsufflabantur, de quo Tertullianus ad uxorem secundo: *Aus aliquid immundum flatu respuis.* Idem *Albasp.*

*ibid.* Innocentium animas.

In MS. Phil. Silv. *innocentes.*

*ibid.* Vae facientibus velamen.

Ita tum legebant Ezech. XIII, 18. Hodierna vulgata multum in hoc differt. Sic locus ille integer habetur apud Sept.: *Vae his, quae consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub omni capite universae aetatis ad capiendas animas. & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas, quae non moriuntur, & vivificarent animas, quae non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Quod noster Interpres vertit *cervicalia*, hebraice *כימביוס* — *Kimchius* ait esse velamina, quibus mulieres faciem suam velabant. Vox graeca *επιβολαις* amiculum generatim significat, aut *velamen*; sed *stragulum tori* apud Galenum, quod secretus est noster

noster Interpres. Tempore Optati legebatur *velamen*. Ita *du Pin*:

*ibid.* ab Esaiæ Prophetæ vocibus.

In editis additur *increpari*, sed deest in MS. S. G., & recentiori manu supra lineam adjectum est in MS. S. Th., idque superfluum videtur.

*ibid.* quod nos odio habeant & execrentur.

Optatus, inquit *Bald.*, significat, Donatistas refugisse omnem cum Catholicis collationem. Eadem fuit illorum superbia *naï w' d'adum* multis post annis. Aug. ep. 166. ad Donatistas: *Vestri*, ait, *Episcopi conventi a nobis nunquam nobiscum pacifice conferre voluerunt, quasi fugientes cum peccatoribus colloqui*. Itaque ut tale supercilium dejiciat, in ep. 68. objicit, non modo Paulum cum Epicureis contulisse, sed & Christum cum ipso diabolo de lege collocutum fuisse. Factum est tandem aliquot annis post Optati mortem, ut edicto mandatoque Honorii Imp. Donatistæ etiam inviti pertracti sint ad Carthaginensem cum Catholicis collationem.

*ibid.* possumus.

In MS. S. G. *possum*.

*ibid.* nomen Domini.

In MS. S. G. *Dominum*. In aliis MSS. *Verbum Domini*.

*ibid.* Vos, qui timetis &c.

Male ablegant editiones priores ad Is. LIX. est enim Is. LXVI. 5. Ita hic locus habetur in græco, ut citatur ab Optato. Vulgatus noster Interpres, qui cum hebræo concinit, diverso prorsus sensu legit: *Audite verbum Domini, qui tremistis ad verbum ejus: dixerunt fratres vestri odientes vos & objicientes propter nomen meum, glorificetur Dominus, & videbimus in letitia vestra &c.* Idem testimonium profert Tertull. L. 4. contra Marc. C. 16. ex eadem, qua Optatus, versione. Eadem quoque utitur Augustin. contra Donatistas in Lib. post Collat. cap. ult.

*ibid.* Et nolunt se dici fratres vestros.

*Vestros*. Ita in MSS. S. Th. S. G. & P. S. In editis *vestros*, sed minus bene. Hæc verba sunt ipsius Optati, qui prolatis ex Scriptura testimoniis solet aliqua quasi supplens interferere, ut dilucidiora sint, quæ profert: sæpe ut apta proposito videantur, quæ parum alioquin apposita. Inde est & illud *tamen*: *Vos tamen &c.* Cætera verbatim ex

græ-

græco, nisi quod *audite nomen Domini* pro *audite verbum Domini*, quod irrepsisse putat *Mer. Casaub.*

*bid.* Non possunt non esse fratres.

Eundem scilicet agnoscetes Deum patrem, eandem habentes fidem, eodem baptisinate regenerati. Ita *du Pin.* Vel, ut vult *Mer. Casaub.*, quia non possunt non esse baptizati, in cujus aquis tanquam in utero sunt concepti.

*ag. 3.* Qui sedentes adversus nos.

Ita in MSS. S. Th. S. G. & P. S. Hæc autem & sequentia pertinent ad Pf. XLIX. 18. 19. seq. & explicantur fuse de Donatistis ab Optato Lib. IV.

*bid.* detrahunt.

In MS. S. G. *derogant*, sed male.

*bid.* Qui Deo furtum facit.

Ita in MS. S. G. In MSS. S. Th. & P. S. *faciunt*, id est, *Deum deserunt*, ut vult *Mer. Casaub.*

*bid.* per literas vel hoc mundo loquamur.

Hoc est, *loqui possimus*. Phrasis hæc familiaris est Jctorum L. II. §. 4. L. 6. §. 11. D. de judic, ubi *domum revocant* pro *revocare possunt*, *fungitur* pro *fungi potest*, & alia, quæ in LL. sæpissime occurrunt. De eadem re conqueritur S. Augustinus. Sed hoc peculiare est Hæreticis, fugere Orthodoxorum colloquium, inquit *Albasp.*

*id.* Et quia Collegium Episcopale nolunt &c.

Collegium Episcopale non aliud est, quam Episcoporum universus ordo & societas, communio, consortium, fraternitas Ecclesiastica & Episcopalis. Omnes toto orbe Episcopi *Collegæ*, & ita se olim vicissim nuncupabant. Hinc aliquando *Collegium* absolute pro *Episcopale Collegium*, & *Collegæ* pro *Episcopis* legitur. Ita apud Sidonium Apoll. *zurba Collegii*, pro *quantum est Episcoporum*, Epist. 1. L. 6. & qui *Collegæ provinciales* epist. 5. lib. 7. eos *Sacer doret provinciales* appellat epist. 25. l. 4. quicumque essent ejusdem provinciæ, Episcopos intelligens. Ita *Mer. Casaub.* Distinguit autem hic Optatus, ut vult *Albasp.* cum *du Pin.* inter fraternitatem & communionem, aitque, Donatistas posse quidem jus communionis tollere & dirimere, sed non fraternitatis, quia ad hoc sufficit unitas fidei & eadem natiuitas, ad illam vero necessaria sunt externa charitatis & unitatis indicia.



*ibid.* ne ventuose ac nude.

Ita in MSS. In Cochläi editione germanica: *cum nequitiose.*  
In priori Balduini: *Cum venenose ac nude.* Optime in aliis:  
*Ne ventose ac nude,* hoc est, ne, ut cæteri, nudis tantum  
verbis, quæ in ventos abeunt, suas partes tueretur.

*ibid.* sæpe desideratum est.

Hanc vocem *sæpe*, quæ deest in editis, agnoscunt omnes  
MSS. Codices.

*ibid.* ad eruendam veritatem.

In MSS. S. Th. & S. S. *erudiendam*, sed errore Amanuensis,  
quem exscriptor Codicis San-Germanensis correxit *ad ex-*  
*quirendam*, feliciter restitutum est *ad eruendam.*

*ibid.* humilitatis nostræ responsa.

In MS. S. G. post hæc verba adjectum est: *jam posco.*

pag. 4. Denique omnia.

Ita in editis. In MSS. *denique non omnia.*

*ibid.* contra Catholicam.

In MS. S. G. additur *fidem*, sed male; agitur enim de Eccle-  
sia, non de fide.

*ibid.* ut quod non vidisti.

Rationem dat *Albasp.*, vel quia multo ante Parmenianum  
hæc evenerant, vel quia peregrinus erat, & ita ea non  
viderat.

*ibid.* in Epistola Petri.

Nihil simile est in epistola Petri. Forte, inquit *du Pin.*, Op-  
tatus hunc locum Jacobi IV; 11. respexit, ubi habetur:  
*Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri,*  
*aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat le-*  
*gem.* — Erroris hanc fuisse causam conjicit *Mer. Casaub.*,  
quod in Jacobo laudata ab Optato verba, quæ proxime  
præcedunt, eadem quoque in Petri IV, 6. sint.

*ibid.* nolite per opinionem.

In MS. S. G. *pro opinione.*

*ibid.* ut inter aliqua.

Hæc non satis coherere putat *M. Casaub.* nisi lecco *ut, et*  
vel *id* scribatur. Ita tamen Optatum scripsisse, non audeo  
asserere.

*ibid.* sicuti probaturi sumus.

In MS. S. G. *provocaturi*, sed minus bene.

*ibid.*

*ibid.* contra vos militem fuisse postulatum.

*Albasp.* ita explicat: Macarius manu armata & Imperatoris iussu plebem Donatistarum ad Ecclesiam coegerat, unitatemque fecerat, &, quos schisma dividerat, societatem coire compulerat; unde contra suam plebem militem a Romanis postulatum conquerebantur Donatistæ.

*ibid.* Quædam & pro nobis & pro vobis.

Idem *Albasp.* pergit explicare: Donatistarum baptismus ab Orthodoxis probabatur, quare quæcunque in laudem baptismi dicebantur, pro utraque parte dicta videbantur.

*ibid.* Quod carnem Christi male tractaveris.

Quia peccatricem eam esse dixerat. Idem *Albasp.*

*ibid.* ut unius Ecclesiæ commemoratio.

Ita in MSS S. G. & P. S. In MS. S. T. *ut unius Ecclesiæ commemorationem faceres*, idem sensus, sed propius accedit ad stilum Optati, & magis cum reliquis concinit lectio aliorum Codicum.

*ibid.* per ignorantiam.

In MS. S. G. additur *suam*.

*ibid.* quia peregrinus es.

Peregrinus is vocatur apud antiquos, qui natus erat in alia Diœcesi, qui, quamvis multos annos in una moratus esset civitate, vel etiam quamvis ipsius civitatis factus esset Episcopus, peregrinus adhuc censebatur. Cæterum non licebat Presbyterum aut Episcopum peregrinum ordinare; quo respiciens Optatus tacite Parmenianum carpit, quod, cum alibi natus esset, contra Canonum mentem Carthagini constitutus esset Episcopus peregrinus. Ita *Albasp.*

*ibid.* Schismaticorum accusatio.

Ita restitutum ex Codice MS. S. G. In aliis vero vitio excrptionis legitur, ut in editis, *accusationem*.

*ibid.* et contra vos.

Male in editis *est*.

*ibid.* et eris noster.

Ita in editis. In MSS. habetur: *et noster es*.

*ibid.* Quid enim magis.

In editis additur *dici*, sed deest in MSS., & superfluum videtur.

*ibid.* et nostrum est.

In editis: *et nostrum esse potest*.

*ibid.* in comparationem baptismatis.

Ita in editis, non ut in MSS *in comparatione*. Nihil magis, inquit *Albasp.*, ostendit, baptismum non esse repetendum, quam ejus cum diluvio comparatio.

*ibid.* salubriter profecisse.

Deest in MS. S. G.

*ibid.* In Trinitate baptismatis.

In MSS. S. T. & P. S. *in Trinitatem*. *M. Casaub. & du Pin.* hunc volunt esse sensum: *In nomine Trinitatis* administratum baptismum unum esse defendimus, nec iterari debere; uti Optatus ipse Lib 5. loquitur: *Baptisma Christianorum Trinitate confectum*. Et eodem libro: *Nemo adhuc sanctus fuerat in Trinitate &c.* Contra quod alii putent, hic trinas illas immersiones intelligi, quas Can. Apost. 50. *τρία βαπτισματα* nuncupat.

pag. 5. In cujus imagine sunt illa duo.

In MS. S. G. *imaginem*. In aliis & in editis *imagine*. Diluvium & circumcisio figuræ baptismi sunt. Et sicut unum est diluvium, nec iteratur circumcisio, ita unum est baptismum, quod semel administratur. Ita *du Pin.*

*ibid.* et quod contra leges.

In MS. S. G. *legem*. Ait Optatus, contra leges fuisse, quod Donatistæ iterabant baptismum. Videtur significare legem sui quoque Valentiniani Imp. latam eo tempore, quo hic liber scribebatur. Adderem & alteram ipsius Valentis & Gratiani, quæ septem post superiorem annis edita est, & quidem utraque scripta est ad Africanos Magistratus, sicuti utraque extat Lib. 6. C. Theod. Tit 6. in unam autem conflata est a Triboniano, cum est conjuncta in Justiniani Codicem. Sed vereor, ne illa posterior lata sit post hosce libros ab Optato scriptos. Ea tamen significat, Constantinum eadem de re olim legem tulisse, quam Optatus legere multo magis potuerit. Sane August. in suis de baptismo libris non leges Imperatorum (quia Donatistæ iis se, aut Christianos in causa religionis non teneri clamabant) sed Can. Nic. Conc. objicit. Nam etsi Nicænum non nominet, tamen de eo loqui se satis indicat. Illud singulare est & nondum adnotatum, quod August. ep. 166. cujusdam legis (Constantini esse puto) verba, quæ alibi non legi, recitat, digna, quæ hic recitentur: *Attendite*, inquit Aug. ad Donatistas, *quam manifestissima veritate per cor Regis, quod in manu Dei est, ipse Deus dixerit, in ista ipsa lege, quam*

contra vos prolatam dicitis. Est autem, si intelligatis, prolata pro vobis. Attendite, quid habeant verba Principis: Nam si in eis, qui primo initiati sunt, idcirco religio baptismatis judicatur infirma, quod ii, e quibus accipitur, peccatores putentur, toties renovari necesse erit traditum Sacramentum, quoties indignus fuerit inventus collati baptismatis administrator, & fides nostra non ex nostræ voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratia, sed ex meritis Sacerdotum & Clericorum qualitate pendeat. Faciant mille Concilia Episcopi vestri, huic uni sententiæ respondeant &c. Hæc Aug. Illud porro semel adnotandum est, Optatum paulo post in disputatione de unico baptismo magis tueri schismaticorum, quam hæreticorum baptismum, & tali distinctione adhibita videri, mediam quandam sententiã novam & insolentem sequi inter eam, quam olim Cyprianus secutus est, & eam, quam Aug. dein asseruit. Postea tamen Optatus, veluti oblitus suæ illius novæ distinctionis, generaliter disputat de unico baptismo, ut Aug. Mirum vero, quod Optatus non meminerit Nicæni Decreti ea in re, neque adhibeat saltem eam distinctionem, quam Nicænos PP. adhibuisse ex Aug. colligere alibi licet. *Bald.*

*ibid.* Quamvis & vos ipsi.

Donatistæ, inquit *Albasp.*, non docebant, baptismum iterandum esse, sed rebaptizabant orthodoxos, quod eorum aquis vim ad sordes abluendas inesse negarent.

*ibid.* Sed dum tu.

Ita in MSS. S. G. & P. S. In MS. S. T. omittitur *tu*, ut & in editis.

*ibid.* callide vestram supposuisti personam.

*Albasp.* ita commentatur: Per ea, quæ de baptismi laudibus predicatis, cum Orthodoxis convenire videmini. Verum longe aliter est; nam, cum unum tantum esset baptisma, & illud ab illis duntaxat, apud quos est Ecclesia, conferendum esse doleatis; tacite & callide vobis solis arrogatis jus baptizandi, & nobis, qui ex vestra sententia jus Ecclesiæ traditionis crimine amisimus, tollitis.

*ibid.* Si Traditoribus non licet.

Cæcilianus Cæcilianique successores & fideles, qui cum eis communicarent, hoc est, omnes Africæ fideles crimine Traditionis notabantur, atque inde ob hanc causam baptizandi potestate carere ab iisdem Donatistis existimabantur. Ita *Albasp.*

*ibid.*

*ibid.* Quorum principes.

Majores scil. & auctores, a quibus Parmenianus descendit.

*ibid.* origo schismatis.

Quæ fuit Majorini ordinatio.

*ibid.* post vos non emendamus.

*Albasp.* legit: *non rebaptizamus.*

*ibid.* Unum est Sacramentum.

Iterum *Albasp.* unum est baptisma.

*ibid.* Unitatis operarii.

Paulus & Macarius intelliguntur, qui ex mandato Constantini Imp. unitatem in Africa fecerant, hoc est, qui Donatistas ad Ecclesiam Catholicam adducere voluerant; de quibus vero semper conquesti sunt Donatistæ, ut licet videre apud D. Augustinum. Verum Augustinus & Optatus negabant ad Ecclesiam pertinere, si quid alienum a christiana charitate in illa expeditione factum esset.

*ibid.* ut minima prætermittam.

In MS. S. G. *ut minuta mittam*, idem sensus.

*ibid.* dixisti de oleo & sacrificio peccatoris.

In his duobus, inquit *Albasp.*, omnis Sacerdotii vis & operatio consistit; nam per oleum omnia Sacramenta intelliguntur, in quibus oleum S. adhibetur.

*ibid.* indicandas esse civitates.

Indicandum, ut vult *Albasp.*, in qua civitate sacros Codices tradiderint, ut ex illius civitatis actis publicis manifestum fieri & legi posset, quinam Diocletiani aut Maxentii tempore hoc crimine tenerentur.

*pag. 6.* cujus oleum fugiendum sit.

*Albasp.* hanc reddit rationem, quia ad peccatoris unctionem Deus gratiam suam non infundit.

*ibid.* de inconsideratis præsumtionibus.

De his agit Optatus Lib. 6.

*ibid.* carnem illam peccatricem.

De propria Christi carne hanc blasphemiam Parmenianus dixerat, non de ejus corpore mystico.

*ibid.* genus hominum.

In MS. S. G. *humanum*,

*ibid.* sicut dixisti.

Melius MS. S. G. & Casaub. *sc.* ut dixisti.

*ibid.*

*ibid.* probabiliter dixerat.

Ita in omnibus MSS. In editis *dixeris*.

*ibid.* In nomine Christi baptizatur.

In MSS. S. G. & P. S. *baptizari potest*.

*ibid.* in remissam peccatorum, tingi.

*Remissam* dicit Optatus pro *remissione*, quomodo & usurpat S. Cyprianus de bono patientiæ: *Dominus*, inquit, *baptizatur a servo*, & *remissam peccatorum daturus ipse non dignatur, lavacro regenerationis corpus abluere*. Idem Lib. 3. Epist. 14.: *Qui autem blasphemaverit in Spiritum S., non habebit remissam, sed reus erit aeterni peccati*. Sic quoque *offensa* vulgo pro *offensione* dicitur.

*ibid.* Quæ nullum videbatur admisisse peccatum.

Id est, quæ nullum admiserat peccatum. Quomodo & loquitur Apostolus I. ad Cor. XI, 6.: *Si quis autem videtur consentiosus esse*. Nec non & Christus Lucæ VIII, 18.: *Quod videtur habere &c.* ac denique Scriptor ad Hebr. IV, 1.: *μηποτε δοξη τις εἰς ὑμων &c.* Hujus autem locutionis cum plura sint exempla in Optato, semel monuisse sufficere credit *M Casaub.*

*ibid.* diluvio demersam.

In MS. S. G. *diluvio esse demersam*.

*ibid.* ipso Jordane.

In MSS. S. Th. & P. S. *ab ipso Jordane*.

*ibid.* sanctior invenitur.

In MS. S. G. *purior*.

*ibid.* Quam ipsa mundata sit.

In MS. S. G. hæc referuntur ad Christum, non ad ejus carnem, & ita habetur: *Ut magis ipsam aquam descensu suo mundaverit, quam ipse mundatus sit*.

pag. 7. cum erroribus suis mortuos.

In MS. S. G. *cum erroribus suis jam mortuos*; quæ particula *jam* omittitur in posteriori membro.

*ibid.* usque ad Cataphrygas.

Verba hæc e loco suo mota restituta sunt.

*ibid.* Victorino Pictaviensi.

Subintelligitur *Episcopo*. In MSS. S. Th. & P. S. *Pictaviensi*.

In MS. S. G. *Pictavianensi*. S. Hieronymus *Pictavionensem* seu *Pitabionensem* vocat pluribus in locis. In inscriptione Commentarii hujus Victorini *Pictabionensis* dicitur; nec non in

veteri

veteri catalogo librorum apocryphorum Gelasii Papæ, & Martyrologiis Ufuardi & Adonis, aliisque veteribus monumentis. *Pisabio* aut *Pesabio* seu *Petavio* Noricorum est oppidum, cujus mentio fit apud Tacitum Lib. 3. hist. in Cosmographia Æthici, in Itinerario Antonini, nec non apud Ammianum Marcellinum Lib. 14. hist. & Ptolomæum Lib. 2. cap. 15. Hujus urbis Episcopus fuit Victorinus ille, non Pictavorum in Gallia, ut fuse ostendit Launojus in diss. de Victorino Episcopo & Martyre, in qua hunc Optati locum emendat ex conjectura, simulque observat, editiones Optati mendosas esse, & emendatiorem fieri in votis habet.

*ibid.* Zepherino urbico.

Ita in MSS. S. G. & P. S. In MS. S. T. & in editis *Zephyrino*, sed vulgo vocatur *Zephirinus*. *Urbico*, id est, urbis Romæ Episcopo. Est hæc nota locutio. Ita Victor Uticensis de persecutione Vandálica habet Lib. 1 : *Cujus exitum ita urbici captivi planxerunt &c.* de captivis Romanis agere constat ex præcedentibus. Optatus etiam infra: *Postquam ordinatus in urbe (Romæ) purgatus*; idemque alicubi: *Urbica commemoratio*, eadem mente, ut docet *M. Casaub.*

*ibid.* et a Tertulliano.

Non immerito, ait *Albasp.*, inter Catholicæ historiæ assertores & vindices Tertullianum Optatus adnumerat; nam nemo unquam acrius in hæreticos vindictam exercuit, eosque persecutus est, quam Tertullianus.

*ibid.* ut quid bellum &c.

*Ut quid valet quare.* Hoc modo loquendi statim infra iterum utitur Optatus: *Ut quid a te memorati sunt illi?* Eodem hoc modo utitur D. Hieronymus in vita Hilarionis: *Ut quid, respondit, intrarem in eum, qui habebat collegam meum?* Et Martialis Lib. 7. epigr. 33.: *Ut quid tu Domini Deique nostri præfers muneribus?* & alibi.

*ibid.* Quod ad negotium temporis nostri non pertinet.

In MS. S. G. *Qui ad negotium temporis nostri non pertinent.*

*ibid.* sed quia Schismaticus — non habes.

Ita melius legit Codex San - Germanensis. In editis, nec non in MSS. S. Th. & P. S. habetur: *Sed quia schismatis hodie aliquid, quod probare possis in Catholicos, non habes.*

*ibid.* apud quos non sunt Sacramenta.

Ea erat multorum etiam Catholicorum in Africa jam inde a Cypriani temporibus sententia, baptizatos ab hæreticis esse

esse rebaptizandos. Quod autem in baptizandis vel non rebaptizandis hæreticis discrimen observatum sit, consulendos esse antiquos Canones & Augustinum de baptismo monet *M. Casaub.*

*ibid.* sanitas non flagitat medicinam &c.

Id est, in Africa nullum est illarum Sectarum vestigium, quare ergo contra illas declamasti? Ita *Albasp.* Contra vero *du Pin.* Hisce comparationibus hoc efficere contendit Optatus, Parmenianum causæ suæ diffidere, qui a proposito suo excurrat, & hæreticos aggrediatur, cum ipsi res sit adversum Catholicos.

*ibid.* inertis.

In MSS. S. T. & P. S. *inertibus* Amanuensium incuria.

*ibid.* dotes Ecclesiæ.

Id est, proprietates, veluti potestatem, cathedram, annulum, fontem, & similia, quæ illi a Christo tanquam dotalia assignata sunt. Ita *Albasp.*

*ibid.* nullis legalibus Sacramentis.

Hoc loco Optatus ait, hæreticos non posse jure & vi matrimonii uti Sacramentis, quemadmodum orthodoxi utebantur, quia non essent matrimonii dignitate conjuncti cum Christo, cujus Ecclesia sponsa est. Quare de ea multa per jura & leges matrimonii ab antiquis explicantur, ut monet idem *Albasp.*

*ibid.* sine jure honesti matrimonii esse.

Jus matrimonii, habet *Albasp.*, quo utitur Ecclesia, est, quod omnia confert Sacramenta dotesque, quas a Christo accepit; auctoritate legitimi matrimonii distribuit & impertitur, quibus vult. Quo jure uti hæretici nequeunt, quia hisce dotibus carent. Et quamvis per baptismum conjuncti sunt, tamen per hæresin subsequenter jus legitimi matrimonii amiserunt.

*ibid.* Quas non necessarias.

Id est, ut vult *M. Casaub.*, extraneas & ignotas, peregrinas recusat Christus. Una tantum Ecclesia est conjuncta cum Deo, estque ejus sponsa, cæteræ vero adulteræ sunt & non necessariæ. Sic Optatus Lib. 3. habet: *Illis imputate, qui populum Dei diviserunt, & Basilicas fecerunt non necessarias*, id est, novas & peregrinas cum genuinis & legitimis nihil commune habentes, qui erexerunt altare contra altare &c. Verius tamen & proprie de templis videtur usurpasse Optatus, cum eodem Lib. 3. alludat ad locum

Isaïæ



Isaiæ Prophetæ: *Ideo quoniam ascendistis in templa super-  
vacanea &c.* Ita Victor Uticensis, postquam narravit gen-  
tilium numinum ædes a Vandalis dirutas, ad Christiano-  
rum vastationes ita transit: *Et ut de necessariis loquar, Ba-  
siliam majorem, ubi corpora SS. Martyrum &c.*

*ibid.* Quia præter unam.

In MS. S. Th. *Qui*, sed minus bene.

pag. 8. Quas solus Petrus accepit.

Docet Optatus pluribus in locis, Petro soli claves datas esse, Ecclesiæ scilicet nomine, cujus personam gerebat, ut inde consequens sit, eos omnes schismaticos habendos esse, qui cum Petro & cum ejus cathedra & successore non communicarent. Ita *Albasp.*

*ibid.* nec annulum, quo legitur fons &c.

De hoc annulo diverse inter se sentiunt Optatus & Tertul-  
lianus. Optatus, dum de dotibus Ecclesiæ disputat, &  
de annulo, qui Cantic. IV. etsi non legitur, tamen in-  
telligitur, quia *fons signatus* ibi legitur; eum annulum  
inter Ecclesiæ dotes refert & adsignat. Si jam adhi-  
beamus duplicem illum Veterum annuli usum, res valde  
illustratur. Mos enim erat, certis temporibus fontes seu  
baptisteria annulo obsignare; & alter is fuit, quod bapti-  
zandi fidei suæ professionem annulo etiam obsignarent, quæ  
dein in publicas referebatur tabulas. Tertullianus autem  
aliam *de annulo* opinionem habere videtur, cum *L. de Pu-  
dic.* annuli mentionem faciat, & per parabolam filii pro-  
digi Luc. XV. pœnitentibus veniam apud Deum, & pristi-  
næ gratiæ locum dari enarret, sic enim eo tempore para-  
bola hæc de filio prodigo explicari solebat. Sic & memi-  
nit stolæ & vituli, quæ omnia in eadem parabola obve-  
niunt, & ad baptismum videtur hæc veste sive stola &c.  
alludere Tertull. — Balduin etiam de hisce Ecclesiæ do-  
tibus hæc refert: *Fons, annulus, angelus*, quæ cuncta ad  
baptismum pertinent. Fundamentum *fontis* & *annuli* po-  
nit in Cantic. IV., *angeli* vero in piscinæ angelo Bethsai-  
dæ; hinc & angelum aquis intervenire credebant, & illam  
piscinam baptismi figuram fuisse. Optatus tamen dotes Ec-  
clesiæ ab ipsis Ecclesiæ membris & visceribus, uti ea vo-  
cat, distinguit, quæ in Sacramentis & nominibus, sive  
personis Trinitatis, vera nempe Trinitatis agnitione, non  
in ornamentis, sciscit ipse consistere. Dotes igitur Opta-  
tus a Sacramentis distinguit, quæ tamen pleraque ad bap-  
tif-

tismum pertinent. *Casaub.* — Cætera, quæ cum Albaspinæo habet, in quem virum licet doctissimum vehementer insurgit, quod non ita, uti ipse, *de annulo* sentire potuerit, omittimus. — Per fontem intelligere Opratus videtur fidem, per annulum symbolum aut baptismum, quod, ut ait Tertull. Lib. *de pœnitentia*, obsignatio est fidei. Hinc apud Veteres baptismus sæpe signaculum dicitur. Optatus ipse L. 12. : *Nam & fontem constat unam de dotibus : unde heretici non possunt vel ipsi bibere, vel alios potare, quia soli sigillum integrum (id est, symbolum catholicum) non habentes ad fontem verum aperire non possunt.* Et infra in hoc L. 1. : *Bene subduxisti iis annulum, quibus aperire non licet ad fontem,* hoc est, bene hæreticis abstulisti potestatem signandi sacro baptisinate. *du Pin. Albasp.*

*ibid.* Nec aliquem illorum esse.

*Nec aliquis illorum sit*, postulare recta latinitas. Optatus forte rescripserat *esse* pro *sit*, solita enallage; unde postea mutato casu *ro aliquis* factus est infinitivus. Aut si *aliquem* retinemus, tum scripserit Optatus, *esse necess.*; quorum alterum propter affinitatem Scripturarum sit omissum: prorsus sane lapsu & in manuscriptis obvio. Ab ipso tamen Optato esse, hoc quidquid est, ut credam, illud maxime me moveret, quod similes solæcismi (sive *ἁνακολυθῶν* mavis appellare) præcedente particula *ut* non uno loco apud nostrum occurrant. *Casaub.* — In MS. S. G. legitur *nec apud aliquem*, igitur haud recte.

*ibid.* Exivit a Majorino.

Cæcilianus, inquit *du Pin.*, primus erat ordinatus Episcopus, Majorinus contra eum ordinatus ab ejus communione descivit. — Majorinus autem, ut habet *Albasp.*, fuit domesticus Lucillæ Hispanæ, lector sub Cæciliano, & ordinatus contra Cæcilianum, altare contra altare erexit in civitate Carthagenensi. — Cæcilianus legitima & ordinaria via fuit ordinatus post Mensurium, post cujus ordinationem factione illius mulieris fuit ordinatus Majorinus; quare Majorinus *exivit* a Cæciliano: is enim *exire* censetur, qui schisma facit, & qui alio sedente locum & sedem occupare nititur.

*ibid.* Majorino avo tuo.

Episcoporum successiones & ordinationes, monet *Albasp.*, non aliter exponuntur ab antiquis, quam mortalium generationes & affinitates: neque aliter de his loquuntur, quam

si de aliqua familia & domo loquerentur. Episcopus nimirum, qui ordinabatur in sedem defuncti, filius & proles illius, in cuius locum sufficiebatur, vocabatur: series ordinationum hisce cognationis verbis numerabatur. — Successore scil. Donati, ait *du Pin.*, qui post Majorinum Carthaginensem Cathedram invaserat. August. Lib. 3. contra Ep. Parm. Majorinum, Donatum & Parmenianum velut tres sine intermedio successores enumerat. Quod autem quidam inferunt ex sermone S. Augustini *de pace & charitate* ante collato, Cajum & Lucium Episcopos fuisse Carthaginis inter Donatum & Parmenianum, futile est. En verba Augustini: *Non dimitto Donatum, non dimitto nescio quem Cajum, Lucium, & Parmenianum, mille nomina, mille scissuras.* Inde enim inferri tantum potest, Cajum & Lucium fuisse e primoribus Episcopis Donatistarum: at Carthaginensi Donatistarum Ecclesie præfectos fuisse, hinc non bene colligitur.

*ibid.* recessit a Cathedra Petri vel Cypriani.

Cathedra seu Sedes Episcopalis, inquit idem *du Pin.*, est auctoritas suprema regendæ plebis vi Sacerdotii, quod unum est, cuius in solidum a singulis pars tenetur. Qui Episcopum suum legitime constitutum & ordinatum non audit, sed ab eo recedit, & vel se vel alium pro Episcopo habet, recedere merito dicitur a Cathedra Episcopi sui & a Cathedra Petri, hoc est, ab Apostolica sede, cum qua Episcopus ille communionem junctus est. — Quod autem auctor noster Cypriani mentionem facit, hanc rationem *Albasp.* reddit, quia nullus hanc Cathedram majori cum gloria aut sanctitatis fama occupaverat; vel etiam quia Donatistæ de ejus sede & Cathedra non ambigebant.

*ibid.* Cathedram sedes.

*Sedere*, monet *Barth.*, pro *insidere*, huic auctori familiare est, ut succedere usurpat Vincentius. Verum hoc nostri verbum est sacerdotale: *Cypriani, cujus tu Cathedram sedes.*

*ibid.* originem non habebat.

In MS. S G. *non habet.* Majorinus nulli succedebat. Cæcilianus Mensurii sedem & Cathedram habebat, post ipsius mortem in ejus locum legitime successus fuerat; at Majorinus nullum habebat prædecessorem, ita *du Pin.*; hinc, ut vult *Albasp.*, cathedra ejus erat adultera, falsa, nova sine patre, & per schisma genita & introducta.

*ibid.*

*ibid.* manifestissime constat.

In MSS. S. Th. & P. S. *constent*, sed perperam,

*ibid.* adiungere voluisse.

Ita in editis. In omnibus MSS. *jungere*.

*ibid.* cumula illa.

Mendosissime in editis habebatur *contra illa*, nec melius in MSS. S. T. & P. S. *cum illa*. Hanc restitutionem debemus MS. San - Germanensi. — Albasp. *contra illa* legit, hinc quædam desiderari ipsi videntur; reddit ergo hunc sensum: Si tibi placet, schismaticos hæreticis adiungere, miror te aliquid contra hæreticos dixisse, quia de schismaticis idem dicendum est: & de Donatistis, qui sunt schismatici. — M. Casaub. quoque legit *contra illa*, sed ne quis cum Albasp. putet, aliquid deesse, monet ipse: *Contra Casaub.* hic idem est, ac si dixisset, *e diverso, rursus*, sive *tum vero*: repetendo verbum *miror* a principio. Cum tamen postea sequatur: *In te convertisti sententiæ gladium, dum æstimas, quia altero appetebas*: non male restituas *contra illa, quæ paulo ante dicta sunt, dixisti*. Error ab eo fonte, quo multi passim: inde nempe, quod alterum *dixisti* proxime sequatur. Quanquam nec illo *dixisti* opus erit, si *sunt* vel *faciunt* intelligas. Sed hoc leve. — *Cumula illa* legit *du Pin*. Post hanc restitutionem, idem inquit, nihil hoc in loco, qui expositores mirum in modum torserat, difficultatis superest. Vide, quid e principiis tuis adversus te sequatur, si inter hæreticos & schismaticos nullum discrimen est.

*ibid.* ut in falso.

Ita in editis & in MSS. S. T. & P. S.

*ibid.* Bene hæc omnia poterunt.

Omnia deest in MS. S. G. *Poterunt*, ita in editis. In MSS. *potuerunt*.

*ibid.* Quia falsaverunt.

Ita in MS. S. T. P. S. & in editis. In MS. S. G. *quia*.

*ibid.* dum alter dixerit.

In MS. S. G. *dixit*.

*ibid.* duos Deos.

Scil. Cerdon, Marcion. Ita *du Pin*.

*ibid.* in persona.

In MSS. S. T. & P. S. *in personam*.

*ibid.* cognosci.

In MS. S. G. *cognoscere*.

*ibid.* alter carnem subducens.

Scil. Valentinus & alii Docetæ. Ita idem *du Pin.*

pag. 9. a Sacramentis Catholicis.

Id est, a symbolo & rebus fidei, ut vult *Albasp.*

*ibid.* Catholicam facit simplex & verus intellectus in lege.

Loco in lege in editis intelligere, atque in MSS. S. T. & P. S.; sed magis aridet in lege, quod habetur in MS. S. G., ut scil. notæ Ecclesiæ Catholicæ sint sincera fides, quæ in genuina singularis ac verissimi Sacramenti, hoc est, symboli intelligentiæ posita est, & unitas animarum, sive communitio interna animarum, idem scil. sensus, eadem voluntas. *Mor. Casaub.* vult, ut aliquis sensus sit, vel expungendum illud intelligere, quod sane melius abest, aut conjungendum cum præcedenti facit: facit intelligere, id est, declarat, indicat. Sæpe enim redundat illud intelligere, ut intelligeris ignorare pro ignoras, post pauca & Lib. 2. femel iterumque animadvertas ita usurpari, ut sententiæ nihil intersit, si tollatur. Intellectus autem & intelligentia pro sensu aut interpretatione, ut vulgo loquimur, apud Ecclesiasticos Scriptores translaticium.

*ibid.* sparso coagulo pacis.

Elegantissime coagulum pro copula dixit Publius Minus: *Amicitie coagulum unicum est fidei.* Varro in Satyrarum fragmentis de vino: *Hoc continet coagulum convivii.* Copula perfidiæ apud Virgilium sine Lib. 1. Ita *Barth.*

*ibid.* apud suam didicerunt matrem.

Ecclesiam scil., quæ prius eorum erat mater, a qua cum recesserint, non possunt aliter de fide sentire, neque aliter Sacramenta celebrare, quam mater Ecclesia. Ita *du Pin* & *Albasp.*

*ibid.* de se nasci voluerunt.

Novum caput, ut ait Joannes Jerosolymitanus ad Epiphanium, erexerunt, & novam constituerunt Ecclesiam, & Cathedram a nullo prognatam & descendentem. Hoc est, de se nasci, sive originem illam, quam habebant, reliquerunt, & novam Ecclesiam posuerunt. — Imitatur hic Opatus dictum Tiberii de Curtio Rufo obscuris parentibus orto, qui Præturam adeptus est suffragio Principis, dedecus natalium ejus hisce verbis velantis: *Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.* Vide Tacitum *Annal. Lib. XI. C. 21. Clericus.*

*ibid.*

*ibid.* Et qui jam dudum vitalibus &c.

*Barth.* cum cibos, quales fuerint, antea non meminerit, a-  
sim in me recipere legendum, *jam dudum in salubribus, pro  
in talibus, perniciem* vero reponendum, vel puer viderit.—  
Contra *Incert.* Et qui jam dudum in talibus pasti fuerunt  
cibus, reponendum monet, *jam dudum vitalibus pasti fue-  
runt cibus*; atque ita, inquit, didici, inspecto F. Balduino,  
existare in meliori exemplari scripto.

*ibid.* in pernicie miserorum &c.

*Perniciem* sane postulare usus; sed aliter amant hi Scripto-  
res, & nihil omnino corrigendum. Ita Salvianus alicubi:  
*In usu misericordiae collocare.* Noster Optatus Lib. 5.: *Vi-  
dete, quod in salute humani generis pollutus sit Christus.*  
Idem mox: *Cum multos tingeret in pœnitentia ac remissa  
peccatorum &c.* Pariter dictum est a Victore Uicensi: *Ser-  
uire in Ecclesiis & basilicis &c. projicere in partibus mariti-  
mis &c. conjicere in vinculis &c. relegare in eremi partibus  
&c.* Apud Luciferum Calarit.: *Mittere in camino ignis.* Ita  
*M. Casaub.*

*ibid.* satis extorres.

*Satis* valet nimis. Ita *Incert.* Arnobius quoque Lib. 5. ha-  
bet: *Quid nefarium videbatur satis, patrem cum filia quo-  
minus uxoria conjugatione misceri.* Sic sæpe D. Augustinus,  
Hieronymus, Rufinus, & alii.

*ibid.* varia & falsa.

In MS. S G. *Et varia forte uana.*

*ibid.* Bene subduxisti annulum &c. — licet ad fontem.

Alluditur ad verba Cant. IV, 12.: *Hortus conclusus, savor  
mea sponsa, fons signatus.* Non habent hæretici annulum,  
quo sigillum veræ fidei aperire possint, ac apertum iterum  
signare. Ita *du Pin.* — *Incert.* Temere, inquit noster L. 2.  
*sigillum integrum non habentes, ad fontem verum aperire  
non possunt,* & sciendum, mire uti hujusmodi particulis  
Optatum; quod tamen genus locutionis magis Hebræis,  
quam Latinis nostris vernaculum sit. *Annulum* autem intél-  
ligit, quo patres & matresfamilias, quæ sarta & tecta vo-  
lebant, consignabant. De quo ritu Veterum Plautus, Ci-  
cero, Martialis, & alii. Quibus adde locum, quem op-  
portune suggestit Barthius ex medii ævi auctore Venantio  
Fortunato Lib. 11. de vita B. Martini: *Totum auctor redi-  
mens thesauro corporis orbem, cum gemma una fuit, que*

*cuncta in vasa valeret.* — Pro licet ad erit fortassis, cui at-  
ridebit licebat. *Idem.*

**pag. 10.** Quantum in nobis est.

Ita in MSS. S. Th. & S. G. In editis habetur: *Quantum in vobis est*, & junguntur ista cum præcedentibus, *foras existis*; sed emendationem nostram confirmat orationis pars altera: *Quantum in te est.*

**ibid.** volebamus, ut soli damnarentur hæretici.

*Volebamus.* Ita in MS. S. G. In aliis *volebam.* *Idem sensus.*

Ex integriore Exemplari MS. optime restituit in altera editione Fr. Balduinus: *Una sententia ferire voluisti. Ita Incert.*

**ibid.** ante annos sexaginta —

De Diocletiani persecutione loquitur Optatus, quæ incepit mense Februario anni ccciii., & desit in Occidente anno cccv.; unde colligere licet, auctorem nostrum scribere circa annum 370.

**ibid.** et quod excurrit.

Primum adnotabo hac locutione, *et quod excurrit*, Optatum ter usum esse. Sed & Aug., qui Optatum diligenter legerat, eadem usus est, cum illud ipsum tempus, de quo hic agitur, indicaret L. 7. de bapt. cap. 7. Nostri quoque JCI ea utuntur, ut Paulus, *decem*, inquit, *& quod excurrit &c.* L. 26. §. ult. depos. vulgo dicere solent *plus minus.* Hieronymus *eo amplius*, ut contra Lucif. loquens de Nic. PP. *trecenti*, inquit, *& eo amplius Episcopi.* *Idem* in epitaph. Nepot.: *Viginti & eo amplius anni sunt.* — Quod autem attinet tempus, de quo hic agit Optatus, ipse Aug. similiter Lib. 7. de bapt. *Post Cypriani*, inquit, *mortem 40.*; *& quod excurrit*, *annis peractis traditio Codicum facta est, unde ceperunt adpellari Traditores.* Sane Hieron. in Catal. scribit, Cyprianum passum & mortuum esse sub Valeriano & Gallieno Imp. persecut. 8. In Eusebii autem Chronico annus illius passionis simplicius & apertius indicatur, diciturque fuisse Christi ducentessimus & sexagesimus, unde videretur Aug. significare, traditionem Codicum factam esse circa annum Christi 300. Sic & Aug. in Brevic. id significat, cum narrat, id, de quo hic quæritur, factum esse Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Cos. Lib. 3. contra Crescon. cap. 7. habet, Dioclet. VIII. & Maxim. VII. Cos. sed non multum interest. Eusebius Lib. 8. Hist. Ecclesiast. eius persecutionis principium rejicit in 19. annum Imperii Diocletiani, qui fuit 8. Consularatus Diocletiani. Sequens

antem annus, cum Diocletianus IX. Consul esset, fuit postremus annus imperii ipsius; eo enim anno XI Cal. Maji (quo die olim Diocletianus primum factus fuerat Imperator) ultro abdicavit, cum esset Nicomediæ; erat autem annus Christi 304. Cum Optatus numeret annum 60. ab eo tempore, jam satis intelligi potest, quo anno Optatus hæc scripserit. Sed cum addat, *et quod excurrit*, & Damasi sui focii postea meminerit, facile patior, ut 370. dicantur hi libri scripti ab Optato; quo anno cœpit Damasus præesse Ecclesiæ Romanæ, paulo postquam Valentinianus & Valens imperare cœperunt, quibus imperantibus hos ab Optato libros scriptos esse testis est etiam Hieron. in Catal. Itaque necesse esse, ut dicamus, suspicor, Lib. seq. in Catal. Romanorum Episcoporum expungendum esse nomen Syricii; hic enim Damaso primum successit anno Christi 386. — Nunc paulo diligentius videamus, quid sit, quod Optatus hic ait de tempestate persecutionis sui temporis. Eam rursus describit Lib. 3., ubi ait, fuisse sub Diocletiano & Maximiano ante annos LX., & quod excurrit, datos esse impios iudices, qui bellum christiano nomini inferrent, & Christianos sacrificare cogèrent, Christumque negare, templa Dei vivi subvertere, leges divinas incendere. Nunc illud urget, quod instrumenta, ut ait, divinæ legis quidam Episcopi impie tradiderint. Eusebius Lib. 8. latius descripsit persecutionis illius tempestatem. De Africa tantum ait, innumerabilem tunc in ea fuisse Martyrum multitudinem. Illud novum & insolens fuit in edicto Diocletiani adversus Christianos, quod SS. eorum libris bellum indictum sit, ut abolerentur undique conquiriti. Arnobius, qui eo tempore vivebat in Africa, Lib. 4. contra Gentes *Nostra*, inquit, *scripta cur ignibus mernerunt dari?* Sed impii Legulei tunc objiciebant, quod Ulpianus ait, libros improbatæ lectionis abolendos esse; Lib. 4. famil. exerc. Libros autem Christianorum esse scilicet improbatæ lectionis. Sane ipsa Maccabæorum historia testis est, tyrannum illum Antiochum Epiphanem, qui Judæos exterminare conatus est, Mosaicis quoque libris bellum indixisse. Tale exemplum Diocletianus in suo Decreto secutus esse videtur, uti & exemplum Diocletiani secutus videtur tyrannus ille Vandalus & Arianus, qui in Africa aliquot annis post mortem Aug. iussit etiam flammis aboleri libros Catholicorum, ut narrat Victor Uticensis. Edictum Diocletiani non recitat Eusebius, sed narrat, *quem-*



dam ex aulicis proceribus, qui Christianus erat, cum N<sup>o</sup> comedix, ubi Diocletianus agebat, videret impium edictum palam propositum & proscriptum, ausum esse, palam id discernere, nec recusasse, quas propter tale factum penas impendere sciebat. De jure civili, cum tam multa antea rescripta Diocletianus edidisset, aliquid rescriptisse vel respondisse, quo anno totus erat in edictis contra Christianos postremo edendis, non legi, præterquam quod mihi nunc venit in mentem, subtilem illam L. si certis annis C. de pactis datam esse Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Cos. Illud postremo juvat adnotare, Donatistas, qui jactabant tantopere, sese odisse Traditores librorum SS., tamen cum Basilicas Catholicorum incenderent, in eas ipsas flammam aliquando conjecisse ipsos quoque dominicos Codices. Testis est August. ep. 50. Quod attinet totam historiam, quam Optatus hic delibet, & quod quæritur de origine schismatis Donati, ab Augustino repetenda est explicatio. Nam & quod in primis hoc loco Optatus narrat de primis Traditoribus & homicida Purpurio, narrat etiam August. Lib. 3. contra Cresc. cap. 27. & in Lib. contra Fulgent. Donat. Quod dicit, Menelaum thurificasse, verbum est iis temporibus usitatum, quo dicebatur aliquis thus incendisse idolis & sacrificasse; unde & sacrificatos vocabant, ut est apud Cyprianum. *Bald.*

*ibid.* est divagata tempestas.

In MS. S. G. *diu ac rursus*, errore scil. Amanuensis.

*ibid.* funesta prostravit in morte.

In MS. S. G. *funestam prostravit in mortem*, scil. ii, qui tormentis superati vel Christum negarunt, vel thus idolis adoleverunt, vel instrumenta divinæ legis tradiderunt, vere mortui & funesta morte prostrati dici possunt, inquit *du Pin.*

*ibid.* suffulti.

Deest in MS. S. G.

*ibid.* Quid Diaconos in tertio (Sacerdotio) constitutos?

Novum, monet *M. Casaub.*, atque insolens hoc est, & observatione nostra dignum, quod Optatus hic etiam Diaconos sacro Sacerdotio comprehendit. Sane Sacerdotis communem Presbyteris & Episcopis apud Veteres appellationem, & Sacerdotes pro Episcopis; Sacerdotium autem pro Episcopatu ab illis haud raro dici, non potest ignorare, qui veteres Scriptores vel a primo, quod ajunt, limine salu-

salutavit. Unde Augustino Concilium 70. *Sacerdotum* dictum alicubi, & apud Victor. Utic. de persecut. Vand. *Concilium tantorum Sacerdotum*, in edicto Hunnerici Lib. 3. In quo sane vel uno Victore singulis prope paginis turpiter impingat, qui Sacerdotem pro Episcopo, & Sacerdotium pro Episcopatu ab illo dici non animadvertat. Contra autem Episcopus pro Presbytero ab antiquis aliquando positum esse, quanquam id rarius a Doctis observatum est. Hinc ad discrimen vetus illa loquendi formula manavit, ut primi ordinis Sacerdos pro Episcopo aliquando dicatur; secundi autem gradus sive ordinis Sacerdos idem sit, qui vulgo Presbyter. De qua loquendi formula multa doctissimus *Savaro ad Sidonium Apoll.* non uno loco. Sed mirum, cum vir ille eruditissimus hoc inter alia Optati testimonio suam sententiam de duplici Sacerdotio confirmet, & ejus verba laudet, quod de tertio quoque Sacerdotii gradu hic ibidem Optatus, illum tacere, atque quasi consulto præterire, ne sententiæ, quam volebat, incommodaret. Sed contra antiquos Canones, qui exerte Diaconos ad ministerium, non ad sacerdotium ordinari, nec plures quam duos illos Presbyteratus & Episcopatus Sacerdotii ordines esse sanciant, usumque loquendi a Veteribus receptum, non est, quod unus alterve locus, qualis hic Optati est, ubi Sacerdotii latior acceptio, molestiam nobis facessant. At in Jure Canonico non rarum, ut Sacerdotii appellatio ad omnes in sacris, ut vulgo distinguunt, ordinibus constitutos extendatur; qua ratione etiam Subdiaconos includit. Ita Dist. 31. Can. 14.: *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus S. R. Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi matrimonio copulantur, istius autem Ecclesiæ vel Occidentalium nullus Sacerdotum a Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet, conjugem fornicandi.* Vid. & Can. *Omnium Sacerdotum &c. & Erubescant impii &c.* Quin & omnes omnino Clericos ea interdum appellatione comprehensos reperias. Ita Victor Utic. Lib. 3.: *Si collatio desiderabatur, quare rapina rerum alienarum, non tantum Sacerdotum, verum etiam Laicorum?* Sacerdotes Laicus opponit, Clericos intelligens. Sed longe aliter hic Optatus, qui cæteros omnium Ordinum, quos omnes Ministros appellat, a Sacerdotio disertis verbis excludit: nec minus exerte Diaconorum Ordinem tanquam tertium Sacerdotii gradum constituit. Dico igitur ad dignitatem Diaconorum pertinere, & eo referri debere, quod

Veteres plerique, Cyprianus, Augustinus, & alii, cum Ordines Ecclesiasticos recensent, vel soles Episcopos, Presbyteros & Diaconos meminisse, cæteros omnino præterire, vel, ut hic Optatus, cæteris tanquam minorum gentium Ordinibus generali *Ministorum, ministeriorum* vel *ὑπηρετων* voce comprehensis solos illos nominare soleant. Idem fortasse cæterorum quoque meminerunt interdum: non nego; omittunt tamen sæpius, cum Episcopos, Presbyteros & Diaconos memorent. Imo vero ita hos nominant ac recensent Dionys. de Hierar. Eccles. C. 5. Hieron. in Es. C. 19., ut alios non tam præterire quam non agnoscere videantur. Quibus ut respondeat magni vir nominis, in controv. torqueatur ipse magis, an eos torqueat, incertum. Ac Dionysium quidem, non Ordines Ecclesiasticos, sed Hierarchias, Hieronymum autem nec ipsum Clericorum, sed Christianorum Ordines prædicto loco recensere, & proposito suo ea enumeratione inservire, comminiscitur. Sed ut de re ipsa nil dicam, neque cum Thomæ Aquinate & Petro Lombardo, qui contrarium plane tuentur, eum committam; & Aquinas quidem hoc ipso Dionysio fretus supplem. quæst. 37. ad 2. &c. præter Dionysium & Hieronymum sic loquuntur & alii, quibus responsio illa viri docti aptari minime potest. Inter alios etiam noster Lib. 2. circa finem: *Cum sint*, inquit, *in Ecclesia quatuor genera capitum, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & fidelium &c.* Interim tamen quod probat Bellarminus, commune cum Episcopis & Presbyteris, Diaconis quoque regimen Ecclesiæ fuisse, eosque ut præpositos in honore habitos, cum reliqui Clerici tantum ministrarent, vel inde perspicias, quanto majoris olim dignitatis & auctoritatis Ordo fuerit, quam postea fuit; neque absque ratione factum esse, ut, cum cæterorum nulla omnino ratio haberetur, aut generali ministrorum appellatione, ut jam diximus, concluderentur, soli Diaconi quasi ejusdem dignitatis participes cum Sacerdotibus sive Episcopis & Presbyteris conjungerentur. Ad ea, quæ Bellarminus affert, addo insignem Eusebii aut potius Constantini locum in Epist. ad Eusebium vitæ Lib. 2., ubi *πρωταρχικους ἐπισκοπους* & *πρωβιτερους* Diaconos, ut ejusdem fortis ac conditionis adjunctos & adnumeratos videas. Etiam Augustinus ad Valerium ep. 148. de merito agens & præcellentia sacerdotalis muneris, Episcopis & Presbyteris etiam Diaconos tanquam ejusdem aut non dissimilis conditionis adjungit; & Hieronymus, ubi

eos Presbyteris Sacerdotio minores contendit, lucris tamen & dignitate Romæ saltem majores, indignatur ille quidem, sed agnoscit tamen. Hinc etiam illud colligas, quod toties canonibus ac censuris contra illos opus fuerit, quæ superbientes ac supra Presbyteros sese efferentes, ipsis etiam Episcopis interdum contumeliosos & injurios (ut de quodam Cyprianus) in ordinem cogerent, ac factum eorum reprimerent. Sed de his vereor, ne nimis multa. Quæ tamen etsi prima fronte exigua videantur, observata magni usus esse in antiquorum lectione comperientur. Pudet dicere, quam fœde labantur interdum viri maximi, harum rerum ignoracione: hunc ipsum Optati locum nuper in admirandæ doctrinæ scripto incomparabili ita versum, ut nihil ipso indignius, & ab Optati mente magis alienum excogitari possit. — Sacerdotii nomen hic generatim usurpat Optatus pro jure ac potestate exercendi alicujus muneris Ecclesiastici; quo sensu Diaconi tertium in Sacerdotio ordinem obtinere merito dici possunt. *du Pin.* — *Albasp.* ita: Sacerdotii duo tantum sunt gradus: Episcopatus & Presbyterium. Diaconi enim Sacerdotii usum & consecrationem non consequuntur, ut ajunt Patres Conc. Carthag. neque illis manus imponebatur in Consecratione: *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput ejus ponit, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.*

*ibid.* apices & principes omnium aliqui Episcopi.

Ex his, uti *du Pin.* animadvertit, quanta tunc fuerit Episcoporum dignitas & supra Presbyteros *ἐπίσκοποι*, satis intelligitur.

*ibid.* illis temporibus.

In MS. S. G. *illius temporis.*

*ibid.* Ex quibus erant Donatus Masculitanus &c.

Hi omnes cum primate Secundo schisma fecerunt, & pecunia Lucillæ corrupti Majorinum alio Episcopo sedente ordinarunt. Vid. etiam Augustinus contra Crescon. L. 3. C. 27. *Albasp.* — *Masculitanus.* *Mascula* Numidiæ urbs Antonino & Augustino. In Conc. Carth. Cypriani: *Confessor clarus a Mascula.* In notitia Episcoporum Africæ *Marculitanus.* In Collat. Carthag. *Masculitanus.* In Conc. Carthag. A. 520. subscribit *Donatus Masculitanus.* Archinimum *Mascilianum* memorat Victor Vitenus L. 1. n. 15. *du Pin.*

*ibid.* Victor Rūsinadensis.

*Rufino* urbs Numidiæ maritima a Plinio memorata. In Itinerario Antonini fit mentio *Ruscada*, haud longe ab Hippone regio. In Anonymo Ravennate commemoratur etiam inter urbes Numidiæ. Nunc *Eftora* in regno Tunetano. In notitia Episcoporum Africæ extat inter Numidas Episcopos *Ruffinacenses*. Ita idem *du Pin*.

*ibid.* Marinus ab aquis Tibilitanis.

Locus mediterraneus, ubi *Tibilis* urbs Antonino haud procul a Cirta. *Tibilitanus* Episcopus est inter Episcopos in notitia Episcop. Africæ. In Collat. Carthag. adfuit etiam Episcopus *Tibilitanus*, diversus a Tifilitano. Augustinus mentionem facit *aquarum Tibilitanarum* L. 22. de Civitate Dei. c. 8., referens miraculum, quod apud *aquas Tibilitanas* in memoria S. Stephani contigerat sub Proculo hujus loci Episcopo. *Tibili* habet Anonymus Ravennas. Non videntur diversa oppida *Tibilis* & *aquæ Tibilitana*, quanquam in tabulis Peutingerianis seorsim ponantur. *Idem*.

*ibid.* Donatus Calamensis.

*Calama* oppidum nonnullis Africæ propriæ, sed potius Numidiæ; quippe inter Episcopos Numidiæ in notitia *Calamensis* reperitur. Hujus urbis sæpe meminit Aug. & Megalii Episcopi *Calamensis* Numidiæ Primatis. Hujus successor Possidius *Calamensis* Episcopus collationi Carthag. interfuit, & vitam Augustini conscripsit Sæc. 9. exeunte. In notitia edita a Goario, Carolo a S. Paulo, & Beveregio, quæ imperante Leone sapiente conscripta est, urbs *Calamensis* inter oppida Numidiæ prima recensetur. *du Pin*.

*ibid.* Purpurius Limatensis.

In MS. S. G. *Liniatensis*. In Actis Cirtensis Concilii apud Aug. L. 3. contra Cresc. C. 26. *Limata* hujus Episcopi sedes appellatur; sed in Codice Corbeiensis etiam legitur *Linata*, & in nonnullis Codicibus ep. 34. Aug. — *Limatensis* Episcopi quoque meminit Aug.: forte is est, qui *Lamiggizenfis* in notitia. *du Pin*.

## pag. II. Post persecutionem.

Scil. Maxentii. Ita *Albasp*. Ita etiam Aug. L. 3. contra Cresc. Cap. 26. Deserbuerat tum temporis in Africa Diocletiani persecutio, ac ea præcipue, quæ fiebat ob traditionem Codicum sacrorum. De ea enim id specialiter habet Augustinus: *Post persecutionem Codicum tradendorum*. Contenderunt Donatistæ in Collat. Carthag. tunc tempus fuisse perse-

persecutionis, ac propterea cogi non potuisse Concilium, idque ex Martyrum gestis probare conati sunt; sed re accuratius perpenſa innotuit poſtea, Cirtenſe Concilium 13. menſibus poſterius actis illis fuiſſe. *du Pin.*

*ibid.* apud Cirtam civitatem.

In MS. S. Th. *circumcirtam.* Quod Optatus hic loquitur de Concilio Cirtenſi & actis ſcriptiſve cujuſdam Nundinarii, quæ idem ad finem horum librorum ſe adjeſſiſſe ait, dolerem intercidiſſe, niſi repeti illa poſſe ſcirem ex Aug. L. 3. contra Creſc. & epp. 162. & 165. & Lib. de Unit. cap. 20. & Brev. Collat. ad finem. *Bald.*

*ibid.* in domum.

In MS. S. G. *in domo.*

*ibid.* Urbani Carifi.

In MS. S. Th. *Garifi.* In actis ab Auguſtino relatis: *Urbani Donati.* Ita *du Pin.*

*ibid.* III. Iduum Majarum.

Acta Cirtenſis Concilii apud Auguſt. L. 3. contra Creſc. C. 27. ita inſcribuntur: *Diocletiano octies & Maximiano ſepties Coſi. IV. Nonas Martii.* At vitioſam eſſe hanc Conſulum notam, obſervat Auguſtinus in Brevic. Collat. Cum enim Donatiſtæ prolatiſ Actis Martyrum in collatione contendifſent, iis Coſ., quibus habitum dicebatur Concilium Cirtenſe, perſecutionem nondum finitam, reſponſum eſt a Catholicis poſt illorum Martyrum, quorum acta proferebantur, paſſionem prope annum conſecutum fuiſſe ad Conſulem & diem Concilii Cirtenſis. Reſponſio computantia Officii fuit, menſem tantum interfuiſſe, ſed poſtea deprehenſum eſt erratum fuiſſe ab Officio: *Nam,* inquit Auguſtinus, *geſta Martyrum, quibus oſtendebatur tempus perſecutionis, Conſulibus facta ſunt Diocletiano novies & Maximiano octies pridie Idus Februarias. Geſta autem Episcopalia Decreti Cirtenſis poſt eorundem Conſulatum tertio Nonas Martias, ac per hoc tredecim menſes intereſſe inveniuntur, plures æque quam undecim, quos prius Catholici minus diligenter computando reſponderunt, ſed officium ut ſerviretur, & menſem intereſſe reſponderet, eundem Conſulatum putavit: poſt Conſulatum autem non advertit, ubi annus jam alius agebatur.* Hæc eſt igitur vera Concilii Cirtenſis epocha poſt Conſulatum Diocletiani novies & Maximiani octies, hoc eſt, anno 305. tertio Nonas Martias. De menſe ſemper conſtitit in collatione; nam geſta Martyrum erant pridie

die Idus Februarii, & mensem tantum inter passionem Martyrum & Concilii diem interesse dixit Officium. Tredecim menses interfuisse ait Augustinus. Ergo mense Martio habitum constabat, non Maio; alioquin tres aut 15. menses inter passionem Martyrum & Concilii diem interfuissent. Ita ergo emendandus Optati locus, & pro *III. Iduum Martiarum* legendum *III. Nonas Martii*. ita *du Pin.*

*ibid.* Nundinarii.

De hac multa reperiuntur in gestis purgationis Cæciliani & Felicis. *Albasp.*

*ibid.* Plenitudinem rerum.

Rerum deest in MS. S. G.

*ibid.* Secundo Tigifitano.

Episcopo Tigifeos in Numidia, qui tum Metropolitanus munere fungebatur inter Episcopos Numidiæ, quia senior erat. Duæ erant hujus nominis urbes in Africa; altera in Numidia, de qua Procopius Lib. 2. de bello Vandal., cujus Episcopus erat is Secundus; altera in Mauritania Cæsariensi. Utraque reperitur in notitia Episcoporum Africæ. *du Pin.* — *Albasp.* idem ita habet: Qui tunc temporis erat Numidiæ primus; quem etiam Augustinus *Episcopum primæ Cathedræ* appellat. Cæterum nota Primatum in Africa certis locis aut personis non fuisse additum, sed in unaquaque provincia, præterquam in Carthaginensi, seniores hanc occupasse dignitatem, ut patet ex Cap. 13. Breviculi.

*ibid.* tradidisse confessi sunt.

Vide Acta ipsa inferius. *du Pin.*

*ibid.* Stationarios.

In MS. S. G. *Stationarium*, id est, milites in statione positos, ut vult *Albasp.*

*ibid.* jam omnes erecti.

Hanc emendationem debemus Codici S. G. In aliis Codicibus & in editis perperam omnino *hæretici*, quod Criticos torfit. Scilicet statim atque accusabantur, surgebant, & in alteram partem transibant, ut ex actis constat, monet *du Pin.* Contra *Albasp.* Optatus, inquit, hoc Episcopos vocat hæreticos, qui paulo post schisma fecerunt. Eodem nomine ab Augustino vocantur, & in Actis illius Concilii, *paratus schisma facere, & quia dimittere te habent, & dare in te sententiam, & remanebis solus hæreticus.* Contra Cresc. Lib. 3. schismatici pro hæreticis habentur, & apud iudices laicos hoc nomine compellantur: *Instructi sunt advo,*

*advocati ad ista judicia, & tanquam in hæreticos excitata.* Vel eos vocat hæreticos, quia ex Parmeniani sententia schismatici erant hæretici. — *M Casaub.* Non dubito, ait, Optatum scripsisse: *Jam omnes hæret ei ceperunt murmurare.* Quis enim credat, Optatum, dum narrat illa, quæ schisma præcesserant, de ipsis tanquam jam notis ac convictis hæreticis locutum fuisse? Optatum, qui id modo disputabat, & a Parmeniano factum vehementer improbat, quod schismaticos hæreticis inconsulte miscuisset, quos ipse nimirum magno discrimine invicem separari statuit; nec statuit tantum, sed discrimen ipse non perfunctorie docet, si vel ista expendantur: *Sed miror, quod tibi visum est, etiam vos ipsos hæreticis adjungere, quos esse schismaticos constat &c.* Cum autem breviter scripsisset Optatus, & fortasse tum solebant & loqui, *hæret ei*, quod plenius ante dicebant, *aqua ei hæret*, ex duabus illis vocibus, *hæret ei*, ab imperito scriba, cui aqua hic hærebat, quod Optatum ipsis eorum verbis uti non intelligeret, & veteris verbi non veniebat in mentem, *hæretici* una voce factum est.

*ibid.* talem causam Deo servaret.

Relinqueret Dei judicio. *du Pin.* — *Albasp.* ita: Cum aliquam olim causam aut delictum nollent judicare, ad Deum rem deferbant & remittebant. Testes sunt Cyprianus de laps. pœnit. pluries & August. contra Cresc. Lib. 3. cap. 28. *illa omnia divino judicio dimisisse.*

*ibid.* consulti sunt, qui remanserunt.

In Breviculo Collationis C. 17. dicuntur undecim vel duodecim Episcopi ad hoc Concilium venisse. Ex hac narratione Optati constat, undecim tantum fuisse, a quibus sex accusati. Secundus Tigiltanus præses sententiam dicere non poterat. Secundus minor filius fratris ejus jam mentem suam aperuerat. Itaque tres tantum erant superstites, qui considerentur, quorum sententiam secutus est Secundus, & ita sex Episcopi a quinque sunt absoluti. Ita *du Pin.* & *Albasp.*

*ibid.* Victor Garbensis.

In MSS. S. T. & P. S. *Gardenfis*, sed postea L. 2. *Garbensis*. In MS. S. G. *Gabrensis*. In editis *Garbiensis*. Apud Aug. in Collat. Carthag. & in notitia Episc. Africæ *Garbensis*.

*ibid.* Felix a Rotario.

In MSS. S. Th. & P. S. a *Ratorio*. Apud Aug. *Rotaria*.

*ibid.*



*ibid.* Nabor a Centurionis.

Ita etiam in Coll. Carthag. Januarius Episcopus *Centurionensis* sit. In MSS. notitiæ Africanæ *Centurianensis*, male.

*ibid.* Domino debere reservari.

In MS. S. G. *Deo debere seruari.*

*ibid.* Sedete omnes.

Ex gestis purgationis Cæciliani, & ex Breviculo, & contra Cresc. L. 3., inquit *Albasp.*, constat, hos Episcopos interrogante Secundo assurrexisse, & in aliam partem transiisse, moxque absolutos, ad locum suum post hæc verba rediisse; quæ quidem verba aliquam absolutionis vim & formam habere videntur, cum his acceptis & sederunt, & responderunt: *Deo gratias.* — *Balduinus* admonet, quod hic *Opatus* ait, dictum esse a Secundo Tigisitano: *Sedere omnes*, videri fuisse quandam veluti formulam & tacitam significationem signumque absolutionis: ut, sicuti reorum esse dicitur, stare: sic sessio, quæ iudicium esse solet, intelligatur etiam esse absolutorum, qui rei esse desierunt. Hisce addit *M. Casaub.* locum ex Collat. Carthag. Coll. 1.: Cum enim *partes* seu *auctores* sedere vellet cognitor Marcellinus, ita inter alia respondent ac excusant Donatistæ: *Id autem nobis expedit, id necesse est, ut cum causa peroratur, cum prius incipitur, ut etiam personæ consent, stare singulos decent, quibus subire contigit disputationis examen.* — *Sedere omnes*, ut iudices, quisque locum suum accipiat. Ita *du Pin.*

*ibid.* Non post longum tempus.

Aliquos tamen, adnotat *idem du Pin*, annos intercessisse oportuit. Nam Maxentius, post cuius indulgentiam facta est ordinatio Cæciliani, ut infra dicitur, Africam non obtinuit, nisi anno 311, devicto Alexandro, qui tyrannidem in ea regione exercebat. Non est autem devictus Alexander, nisi post Hercullii obitum, qui anno 310 contigit teste *Zozimus*.

*ibid.* conjurati homicidæ.

Ita in editis. In omnibus MSS. *eburati*.

*pag. 12.* actum sit Concilium.

Romanum sub Melchiade. Ita *Albasp.*

*ibid.* quis in radice.

Videndum est, inquit *idem Albasp.*, quis in Cathedra mansit, cum qua cæteræ Cathedræ consortium habeant, & quæ cum

cum Romana, quæ est radix, communicat, per quam toto orbe pax & unio christiana nutritur.

*ibid.* nemo est, qui nesciat.

In MSS. S. T. & P. S. *nemo, qui nesciat.* In MS. S. G. *quis nesciat?*

*ibid.* cum correptionem.

Diaconi, animadvertit *Albasp.*, per Ecclesiam discurrebant, ut fideles in officio continerent, & corrigerent eos, qui contra Ecclesiæ disciplinam aliquid agerent.

*ibid.* ferre non posset.

In MS. S. Th. *Lucilla ferre non posset.*

*ibid.* quæ ante spiritalem cibum & potum &c.

Quod narrat Optatus de Lucilla scemina non minus factiosa quam pecuniosa, exponit quoque Aug. Ep. 162. & 163. & L. 3. contra Cresc. C. 28., eamque Hispanam fuisse adjicit Lib. de Unit. cap. 3. & Lib. 2. contra Petil. cap. ult. Denique valde famosam fuisse oportet, cum & Hieronymus ad Ctesiph. narrans, multas mulieres fuisse hæreseon velut nutrices, *Donatus.*, inquit, *per Africam Lucilla opibus adjuvus est.* Illud rarius & obscurius, quod Lucilla illa in Ecclesia reprehensa ab Optato dicatur, quod ante S. Communionem os cujusdam mortui osculata esset. Quid hoc sibi vellet, vix divinare possum; sed venit in mentem, quod Balsamo interpres Conc. Carthag. C. 61. scribit, *Donatum auctorem ducemque Donatistarum docuisse, aliquem divinorum Mysteriorum participem esse non posse, nisi os in manu tenens id prius salutet.* Ita *Baldwin.* — Præter Balsamonem, monet *M. Casaub.* Vide & *Damascenum.* In Balsamone jurè quis miretur, hujus ossis ita illum meminisse, quasi hoc præcipuum hujus Sectæ esset, & hoc potissimum superstitione constaret. Nisi tamen magis hoc mirum esset, Græcos plerosque Donatistarum non omnino meminisse, quasi ne fando quidem notos habuissent. De vindicato Martyre quod sequitur, Baronto plane assentior, in Martyrologio *non recepto nec probato*, interpretanti, quod alii *sanctitatis designatum*, nescio quam bene. Neque enim omnes Martyres, sive mortem & tormenta pro fide passi, *sanctitatis designati*, quando inter illos aliquando etiam, qui facinorosi, schismatici & hæretici, quos, opinor, pro beatis sive *sanctitatis designatis* Ecclesia non habuit. Cæterum de Martyre, quod hæret hic Optatus & dubitat, non sine causa factum, cum jam olim reperti non

pauci, quibus hoc studium & ars ea vivendi unica, ut Martyrum etiam falforum reliquias circumferrent, & simplicioribus venditarent. Testem appello August. de Op. Mon. c. 28.: *Alii, inquit, membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditant; alii fimbrias & phylacteria sua magnificant; alii parentes vel consanguineos suos &c. & omnes petunt, omnes exigunt, aut sumunt lucrosa egestatis, aut simulata pretium sanctitatis.*

*ibid.* libare dicebatur.

Id est, deosculari dicebatur, ut notant *du Pin & Albasp.* Nimirum paulo ante, quam Christiani Eucharistiam sumerent, mutuis sese olim osculis ad pacem faciendam salutabant, Sacerdosque nomine totius Ecclesie Martyrum reliquias, si quae laterent in Altari, deosculabatur. Quem ritum imitata mulier illa, cum privatis quibusdam reliquiis, quas gestabat, pacem & communionem, antequam ad Eucharistiam accederet, faciebat, sed quia Martyr ille non esset vindicatus & approbatus ab Ecclesia, correpta fuit a Cæciliano. *Idem Albasp.* — *Barth.* Hæc religio erat tum temporis. Paula & Eustochium ad Marcellum inter Epistolas Hieronymianas: *Et Martyrum ubique sepulchra veneramur. & S. favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus.* Martyrem hoc loco vocat Optatus, qui declaratus sit communi piorum sententia in eam summam dignitatem.

*ibid.* ne disciplinæ succumberet.

Id est, ne propterea puniretur ab Episcopo. Ita *du Pin & Albasp.* Nam quemadmodum in sacris nullius admitterent consortium, nisi sancti & fidelis: ita in iisdem sacris noblebant communicari cum reliquiis Martyrum, quos Ecclesia non agnoscebat, ne illa communionem fideles inficerentur. *Idem Albasp.*

*ibid.* enata tempestas.

In MSS. *innata*, sed melius *enata*.

*ibid.* iisdem temporibus.

Scil. sub Maxentio. *Albasp.*

*ibid.* Felix quidam Diaconus, qui propter famosam.

In MSS. S. Th. & S. G. *per*, sed legendum *propter*. — Quod Optatus narrat de Felice Diacono, qui propter famosam de Tyranno Imp. scriptam epistolam accusatus est, posset revocari ad leges de famosis libellis. Tyrannum autem  
Imp.

Imp. hic intelligi Maxentium, non dubito, quem tamen paulo post Optatus significat aliquando prope fuisse indulgentem. Constantinum, qui eum pessumdedit, severum vindicem famosorum libellorum, ipsius leges testantur. Et quidem statim post sublatum Maxentium, cum ab Africa recepisset libellum accusatorium contra Cæcilianum (quæ famosa potius quædam calumnia erat) libellos famosos, qui subscripti non essent, rejciendos esse edixit, & in Africa ea de re leges misit ad Verinum & Ælianum, quos paulo post audiemus laudari in causa Donatistarum. Eæque etiam leges dicuntur in urbe Carthagenensi propositæ. L. 1. & 2. C. Th. *de fam. lib.* Possem & hoc loco leges de receptoribus allegare, ubi Optatus narrat, quid Mensurio tanquam receptorum Tyrannus denuntiavit; sed illud modo adjiciam, quod Hieronymus in Chronico suo adnotat, Presbyterum Sirmis iniquissime fuisse occisum, quod Octavianum Proconsulem apud se latitantem prodere nolisset. Anno Ch. 376., hoc est, tempore nostri Optati. *Bald.*

*ibid.* de Tyranno Imperatore.

Scil. Maxentio. Contra hunc Felix famosum illum libellum scripserat, dum Alexander Maxentio infensissimus Africæ potiretur. Eo mortuo Maxentius vindictam de Felice sumere voluit. Zozimus testis est, Maxentium in fautores Alexandri porissimum sæviisse. *du Pin.*

*ibid.* factam epistolam.

In MSS. S. Th. & S. G. *epistolarius*, quasi is Diaconus propter famosam illam epistolam *epistolarius* fuerit appellatus; sed longe rectius *appellatus* ibi idem, ac citatus ad Curiam, ut sequentia ostendunt. *du Pin.*

*ibid.* delituisse dicitur.

*Albasp.* notat, ad Episcoporum domos tanquam ad aram confugisse delinquentes, quas violare nequidem in persecutionibus fas erat.

*pag. 13.* conventus non leves &c.

Conventus hoc loco, monet *idem Albasp.*, pro adjectivo ponitur, uti apud August. pluribus in locis & Can. 12. Conc. Carthag. I. & Can. 28. Conc. III. *modeste conventus*, ut in Conc. Agripp., non autem pro substantivo & pro *Conventibus* Africæ, ut quidam interpretantur.

*ibid.* erant enim Ecclesiæ ex auro &c.

Prætereo multa, quæ in hoc Optati libro occurrunt vestigia antiquitatis Ecclesiasticæ: veluti quod in eo scriptum de-

inde est, Ecclesiarum in Africa, tempore Maxentii, fuisse quamplurima (ut vocat) ornamenta ex auro & argento: sicuti & libro 3. laudat Imp. Constantem, qui cum in Africam mitteret eleemosynas pauperibus, simul miserit domibus Dei (ut loquitur) ornamenta. Intelligit autem vasa & vestimenta & ejusmodi donaria, quæ ad ministerium Dei consecrabantur, ut ait noster Justinian. §. *sacræ. de rer. divis.* & L. *sancimus. C. de sacros. Eccles.* Sic & Theodoretus L. 3. C. 12. narrat, Imp. Constantium Ecclesiæ Antiochenæ donasse plurima hujus generis, tam pretiosa, ut paulo post impius & sacrilegus quæstor Juliani, cum illa raperet, quæ in fiscum redigeret, irridens & insultans exclamavit: *En, quibus vasis ministratur filio Mariae.* Sed mirum magis est, quod Optatus significat, talia etiam fuisse in Ecclesiis Africanis, quo tempore alioquin Ecclesia sub impiis Tyrannis jacebat. Sic & August. L. 3. contra Cresc. C. 29. indicat, tempore Diocletiani, & persecutionis ab eo excitæ, Cirtensem Ecclesiam Donatistarum habuisse 2 calices aureos, & 6 argenteos, & lucernam argenteam. Illud nunc addo, cum Imp. Leo lege lata prohibuisset, ne quis privatus ex auro & argento conficeret regia ornamenta, L. 1. C. *nulli lic.*, postea alter Imperator Leo Nov. LXXXI. sic illam legem interpretatus est, ut privatis interdictum non esse confectio aureorum vasorum sacrorum omnes intelligerent. Ne quis autem existimet, ambitiosæ modo superstitionis fuisse, quod talia fuerint in Ecclesiæ thesauris, sciat, ubi necessitas & pia causa pauperum alendorum postulabat, facile distracta fuisse. Ambros. L. 2. Offic. C. 28. id satis ostendit, uti & Hist. Eccles. de Cyrillo Hieros. & de Acacio Epif. Imo lex ipsius Justiniani *sancimus. D. L.* Non tam ut Grammaticis, quam ut Juris studiosis gratificer, obiter hic etiam adnoto, ab Optato vocari commemoratorium, quem paulo post brevem vocat. Verbum juris est, significatque libellum syngraphum & chirographum; eoque etiam est usus Constantin. in Epist. ad Cæcilian. apud Euseb. L. 4. de vita Const. Sic & in quadam (quæ tempore Optati est edita) constitutione Imp. Valentis legimus inter chartulas cujusdam confiscati brevem quandam inventum esse. L. ult. C. *de jure fisci.* adde L. 1. C. *de apoch. publ.* & L. 13. C. Th. *de indulg. delictor.* Bald.

*ibid.* Quæ quasi fidelibus senioribus commendavit.

*Quæ.* Suppleta est hæc particula omnino necessaria ex MS. S. G. — Erant olim puri puti sæculares, laici; erant & alii, laici quidem & ipsi, sed qui tamen quadamtenus ecclesiastici quoque dici potuerunt: haud secus ac illi, qui hodie apud nos *templorum* vel *Ecclesiarum Gardiani* vulgo vocitantur. Illi locorum seu urbium Seniores vulgo dicti, isti Ecclesiæ vel Ecclesiastici. Sed de istis multa concessit vir doctissimus, & de his literis adeo meritis Christoph. Justellus ad Can. Eccles. Afric., ut dignus sit, qui diligentiae ac eruditionis suæ fructum ferat ab omnibus. *M. Casaub.* — *Albasp.* ita: Præter Ecclesiasticos & Clericos quidam ex plebe seniores & probatæ fidei res Ecclesiæ curabant, de quibus hic locus accipiendus est. In gestis: *Adhibete Conclericos & seniores plebis ecclesiasticas viros.* Item: *Clericis & Senioribus Circonsium.* Item: *Vos Seniores clamabatis.*

*ibid.* commemoratorio facto.

*Commemoratorium* vocat brevem, ut postea loquitur, cui inscriptæ res omnes, quæ in bonis erant Ecclesiæ, quo scilicet testaretur depositor, se in fidem suscipientis res deposuisse, hic autem se accepisse, *Barth.*

*ibid.* peracta & definita est.

Prius, inquit *du Piss.* deserbuerat anno 305., sed subinde recruduerat, nec pax omnino reddita, nisi postquam Maxentius rerum in Africa potitus est, A. 311.

*ibid.* indulgentiam mittente Maxentio &c.

Spectans historiam non negligo, quod hic ait Optatus: *Indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas esse restituta.* Sic Euseb. L. 8. C. 14. scribit, Maxentium initio sul in Italia & Africa imperii, sive tyrannidis, simulasse religiosum, nescio quem, erga Christianos favorem, & eorum persecutionem inhiberi edicto jussisse. Sed miror, ipsum Eusebium non sat observasse, aliquot post annis accidisse, quod dicitur de Imp. Galerio, qui Constantino collega lubenter subscribente, in Oriente tandem edixerit quippiam ejus generis. Mendosa est inscriptio, ubi pro *Constantinus* scribitur *Constansius*. Recta autem est apud Rufin. subscriptio ejus edicti, in qua dicitur Imp. Galerio VIII. Conf. publicatum fuisse illud. Utut autem Optatus significet Maxentium paulo ante Christianis in Africa aliquid indulgisse videri, tyrannum impium & crudelem fuisse constat, &

quidem Africam ab eo graviter fuisse vexatam. Itaque hic mihi in mentem venit, quod Nazarii vetus panegyricus ait, Maxentium exhaustisse Africam, quam delere statuerat, & propterea caput ejus debellati ac casi a Constantino fuisse missum in Africam: ad eam (ut ait) demulcendam, ut quam maxime vivus affligeret, laceratus expleret. Indicatam autem ab Optato indulgentiam ad Christianorum libertatem a Maxentio missam fuisse simulatam & inanem, inde conjicio, quod ipsi Donatistæ, cum Cæcilianum negarent esse ordinatum, causabantur, non potuisse, quia tempore persecutionis non fuisset liberum Episcopis convenire, ut August. refert in Brevic. *Bald.*

*Ibid.* Celestius,

Ita in MS. S. G. Ita etiam eum vocat S. Augustinus in psalmo abecedario contra Donatistas: *Erant Botrus & Celestius hostes Cæciliano valde, impii, fures, superbi, de quibus longum est referre.* Hujus auctoritate fretus restitui Celestium pro Celestio, qui habetur in MSS. S. T. & P. S. & in editis. *du Pin.* — Nihil porro est, quod hæreamus in iis, quæ Optatus narrat de Botro & Celestio: si obiter admonuero, eam narrationem ab Augustino valde illustrari L. 1. contra Epist. Parmen. C. 3. Sed quod tandem Optatus ait, altare contra altare in Africa tunc fuisse erectum, magis exponi dignum puto. Augustin. L. 2. contra Cresc. C. 2. ait, majorem Donatum a casis nigris, altare contra altare primum in urbe Carthag. erexisse: deinde alterum Donatum nempe Carthaginensem hanc hæresin roborasse maxime. Idem in Epist. 171. indicans, quid illud fuerit, ait, Donatistas Episcopum contra Episcopum ordinasse, & altare contra altare erexisse. Et in Epist. 162. scribit, eos schismatis propterea reos, horrendo scelere levati (ut loquitur) altaris maculatos esse. Sed observandum, Cyprianum multo ante in Africa scripsisse, Novatianos erexisse altare contra altare, eum sui schismatis & ab Ecclesia defectiois veluti signum (ut ita dicam) sustulere. Cujus quidem schismatis crimen etiam ille exaggerat, ut hoc loco Optatus in Donatistis, & Augustin. eum secutus in epist. 162. Imo vero ipsi quoque Donatistæ, quod iis Optatus propterea objecerat de exemplo & hist. Coræ, Datan & Abyron, vicissim objecere in suo Consilio Bagatensi ipsis Maxiministis, qui ab ipsis aliquo modo defecerunt & secesserunt, quamvis ad Ecclesiam Cathol. non rediissent, ut narrat Aug. L. 3. contra Cresc. C. 53. *Bald.*

*ibid.*

*ibid.* absentibus Numidis.

Donatistæ, ut observant *de Pin & Albasp.*, objicēbant Cæciliano, quod, cum esset Primas, a Primate vicinior non esset ordinatus. Augustinus respondit, hoc non esse necessarium; & in exemplum attulit Episcopum Romanum, qui non a quodam Metropolitano, sed ab Ostiensis Episcopo ordinaretur.

*ibid.* Felice Autumnitano.

Ita in omnibus MSS. & in Actis purgat. Felicia. Apud August. *Aptungnensi*. In editis Optati *Aptungitano*. Ex hoc loco colligitur, Carthaginis vicinam fuisse hanc urbem, & provincię pæconularis. Miror, urbis tunc adeo celebris nullam esse mentionem in notitia Episcoporum Africę, nec alibi. *de Pin*,

*ibid.* Brevis auri &c.

In MS. S. G. *Tunc brevis*.

*ibid.* subduxerunt communioni pedem.

Male in recentioribus editionibus *plebem*; nam plebis pars multo major cum Cæciliano remansit.

*pag. 14.* missum est.

In MS. S. G. *scriptum est*.

*ibid.* supra memorati traditores.

Scil. Episcopi, qui Concilio Cirtenſi interfuerant, adjuncto Silvano, qui in eo Concilio ordinatus fuerat Cirtę Episcopus. Non alios videtur Optatus agnoscere, quam istos. At in Actis hujus Conventiculi 70. fuisse ferebantur, ut legere est in Brevic. Collat. Carthag. c. 14. n. 26. *de Pin. & Albasp.*

*ibid.* suscepti hospitio ab avaris.

Scil. a Lucilla irata Botro & Celestio ambitoribus, & Senioribus illis avaris ac furibus, contra quod Episcopi, qui olim ad Episcopum in locum defuncti ordinandum vocabantur, hospitio Clericorum & seniorum Laicorum utebantur. Ita *idem*.

*ibid.* tota civitas in frequentia fuerat.

Ita in aliquibus MSS. & in editis. In MS. S. G. *civica frequentia fuerat*.

*ibid.* de Ordinatore suo, quod &c. meruit infamari.

Nihil habuerunt, quod in Cæcilianum confingerent, sed Felicem ejus Ordinatorem in erimen traditionis incidisse causati sunt, ut hæc ratione ordinationem Felicia rescinderent,



tanquam ab eo factam, qui per traditionis crimen dignitatem amiserat. Sed huic argumento a PP. Conc. Arelat. I. satisfactum est Can. 13. his verbis: *Nam si iidem aliquos ordinasse fuerint deprehensi, & si in his, quos ordinaverunt, ratio subsistat, illis subsistat ordinatio. du Pin. & Albas.*

*ibid.* si Felix &c. nihil contulisset.

Per jecum & derisum hæc dicta a Cæciliano docet divus Augustin. in Brevic.; atque hanc historiam his verbis refert: *Si traditores sunt, qui me ordinaverunt, ordinate me. Ita Albaspi.* — Pro bono pacis, ait du Pin; hanc conditionem Numidis offert Cæcilianus. — Non est prætereundum; quod hic Optatus ait: *Iserum a Cæciliano mandatum est, ut, si Felix nihil in se consultisset, ipsi adhuc tanquam Diaconum ordinarent Cæcilianum.* Hic locus ille esse videtur, quem Donatistæ, obtusi profecto & aridi Calumniatores, qui in Optati libris subtiliter scilicet venabantur quidpiam, quod Catholicis objicerent, in collatione Carthag. ridicula non minus quam calumniosa cavillatione, objecero. *Dixerunt* (ait Augustin. in Brevic.) *scripsisse Optatum, quod Cæcilianus dixit: Si traditores sunt, qui me ordinarunt, ipsi veniant, & ordinent me. Quod quidem si dictum, ideo dici oportuit ad illos irridendos, quibus hoc mandasse prohibetur, quoniam certus erat, Ordinatores suos non fuisse traditores. Non enim ait: quia traditores sunt, sed: si traditores sunt, ut innocentia eorum probanda restaret, ubi probari recte poterat, Bald.*

*ibid.* quasi imponatur illi manus in Episcopatu &c.

In MS. S. G. *quasi ut imponatur* — Quoniam Cæcilianus iterum se ordinandum obtulerat, sive id serio, sive per ironiam, ut Augustinus vult, factum sit; Purpurius solita malitia fretus & occultos animo versans dolos: *Age, inquit, accedat huc Cæcilianus, ut in Episcopatu* (id est, ad Episcopatum) *manus ipsi a nobis imponatur.* Revera autem, ut, cum Cæcilianus accessisset, ac se in eorum manus tradidisset, eum de poenitentia quassarent, id est, lapsorum poenitentiam sive *veniam* subire cogereht; qua semel peracta, qui Clericus erat, statim suo gradu, *ipso facto*, ut loquuntur, & qui nondum erat, ejus in posterum obtinendi spe omni & facultate per antiquos Canones exciderat. August. Ep. 50. ad Bonif. ita habet: *Ut consistere vellet in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis poenitentiam Clericatum accipias, vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu*

caput maneat, non desperatione indulgentia; sed vigore factum est disciplina &c. Idem exerte Optatus noster L. 2.: *Invenistis pueros, de poenitentia sauciastis, ne aliqui ordinari possissent.* De poenitentia sauciare, aut quod in idem recidit, caput alicui quassare, usitata sibi eaque eleganti *Optatus* L. 3. *sanctitatem de superbia vindicare*, omitendo plurimos similes locos. Ita *Sidon.* Apollon. Lib. 9. ep. 8. *Affectare de vestium discretionem superbiam.* Amat in primis unico Cypriani exemplo contentum esse, *de idol. vanis.* circa finem: *Isaque cum Christus secundum a Prophetis ante predicta, verbo & vocis imperio, demonia de hominibus excuteret, paralyticos rastringeret &c., judai, qui illum crediderunt hominem tantum de humilitate carnis & corporis, existimabant magnum de licentia.* Pessime in editis nonnullis diligentia pro *de licentia.* *M. Casaub.*

*ibid.* quassetur illi caput de poenitentia.

Manus ei imponatur in poenitentiam, publicæ poenitentiae subiciatur, atque ita de Clero deiciatur, & ad laicam sortem redigatur. Nam solemnitas hæc lex erat, ut ait August. Ep. 50. nunc 185. n. 45: *Ut nullus post alicujus criminis poenitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu maneat.* *du Pin.*

*ibid.* retinuit.

In MS. S. G. tenuit.

*ibid.* latronibus tradidissent.

Id est, homicidis: *Omne latrocinium extra sylvam homicidium est.* Tertull. *de pudic.*

*ibid.* de fede.

Hæc verba addita sunt ex MSS. S. T. & P. S.

*ibid.* conferta erat Ecclesia — erat altare suo loco.

Ecclesia, Cathedra & Altare, hæc tria legitimæ erant ordinationis argumenta. Qui enim Ecclesiam occupabat, in qua plebs solebat colligi; & in Cathedra sedebat, in qua ejusdem loci Episcopi olim federant; qui denique in Altari offerrebat, in quo majores obtulerant, rite ordinatus celebrabatur: quare Optatus, ut Majorinum non rite ordinatum doceat, his eum omnibus caruisse refert. Dicit autem *suo loco*, quia altare Episcopi debet esse in ea Basilica, in qua est centrum communionis, & in qua plebs cum Episcopo & ab Episcopo colligitur; nam locus olim ille erat locus altaris, quem Deus respiciebat, quem populus agnoscebat, & in quo oblationes & preces nomine totius Ecclesie

stabant; cætera altaria sunt quasi permixta in subsidium communionis. Cæterum cum aliquis olim esset ordinatus Episcopus, mox ad sacra facienda & ad pacem dandam se conferebat, in Cathedra Episcopali sedebat, populum alloquebatur, deinde in eodem altari, in quo decessores ejus obtulerant, offerebat, & cum eis & cum populo in altari, sub quo jacebant, communionem faciebat. Ita *Abasp.*

*ibid.* Cyprianus, Lucianus.

In MS. S. G. inter Cyprianum & Lucianum tertius collocatur *Carpophorus.*

*ibid.* sic exitum est foras.

Sic schisma est factum a Majorino. *Idem Abasp.*

*ibid.* altare contra altare.

Id est, aliud corpus Christi setum est, alia communio conflata, quia Majorinus cum Cypriano non communicavit.

*ibid.* Lector in Diaconio Cæciliani.

Hoc est, durante Cæciliani Archidiaconatu. Nam alioquin Diaconium sive *διακονικον* de sanctissimo Ecclesiæ loco dici non ignoramus, qui Can. Conc. Laod. *ὅτι ἔδει ὑπηρέτας ἔχουσιν χάρακιν ἐν τῷ διακονικῷ* & ministris interdicitur, ubi Balsamon *ὑπηρέτας* Hypodiaconos: Concilium autem Agathense Can. 66. in sacros ministros interpretatur. *M. Casaub.* — *Abasp.* ita commentatur: Omnes minores Clerici sub Diaconis, Diaconi sub Presbyteris, Presbyteri sub Episcopis tanquam per classes disponebantur; atque ut nullus Presbyter sine Diacono, ita nullus Diaconus sine minoribus Clericis instituebatur, quia eorum omnium munus sine alterius opera & functione rite fieri nequibat: minus itaque jure & ordine facta ordinatio Majorini est, qui e Lectoratu ad Episcopatum adlectus est; ordo enim postulabat, ut Presbyteri aut Diaconi ante Lectores ordinerentur, si qui idonei reperirentur.

*ibid.* ipsa suffragante.

Id est, Episcopis per Lucillam pecunia corruptis. Quadringentos enim folles eam dedisse constat in Actis coram Zenophilo. *du Pin.*

*ibid.* in Concilio Numidiæ.

Scil. Cirtensî. *Abasp.*

*pag. 15.* quod fama duas res similes uno &c.

*Scribe,* monet *M. Casaub.*, quod fama duas diversas res simul & uno tempore loqui non possit. Pro *diversas* exscriptor per com-

compendium *duas* scripserat, quod postea ob similitudinem cum præcedente *duas* emissum, aut ex *duas* fecit *duas*, quo sententia carere recte potest. Haud absimile illud, ad verba quod attinet Lib.7.: *Non potest idem operarius duas res repugnantes & contrarias* (quod hic *duas* diversas res) *simile facere.*

*ibid.* vitam infamare conati sunt alienam.

Cæciliani scil. Collegarum ejus & Felicis Aptungtani. *Cæcilianum criminari sunt, inquit Augustin. Lib. post Collat. c. 22., quod a traditoribus effectus ordinatus, & quia, cum esset Diaconus, victum afferre Martyribus in custodia constitutis prohibuisset. Nominati quidam Collegæ Cæciliani, qui traditores assererentur publicis gestis, quæ tamen gesta non legebantur. Inter hos fuere Novellus Tyzicentis & Faustinus Tuburbinatus, ac maxime Felix Aptungensis, qui acerbius accusatus est, ita ut forum malorum omnium diceretur. Hæc continebant gesta Concilii hujus lecta in Collat. Carthag., ut habet August. in Brevic. Collat. c. 14. n. 26. Hæc continebant Numidarum literæ livore distante conscriptæ, quas retulerat Optatus in fine sui Operis. de Pin.*

*ibid.* habemus in posterum.

Forte melius in *posteriori*. Supra hoc libro: *Harum namque plenitudinem rerum in novissima parte istorum libellorum ad implendam fidem adjunximus. Et infra: De iis rebus habemus volumina actorum, quod si quis voluerit, in novissimis partibus legat. Incert.*

*ibid.* præcesserunt se epistolis suis.

Elegantissime dixit, quasi adventui suo eas præmittere, quomodo prævenire lauream rumorem belli, & rumorem prævenire Imperatorem dicit Claudianus, *Barth.*

*ibid.* quasi imago &c.

Ita in MS. S. G. In MSS. S. T. P. S. & in editis *quod*; sed sensus postulat, ut emendetur *quasi*. Quo vult, inquit *Albasp.*, Optatus, imaginem fuisse innocentiae, quod nullus eorum Episcoporum accusaretur, aut accusari posset, quia omnes peccaverant.

*ibid.* parvum erat.

Ita in editis, In omnibus MSS. *parum*.

*ibid.* in titulo schismatis.

Hoc est, ad conficiendum schisma initio suæ separationis, in principio schismatis, *de Pin.* — *Albasp.* In *ultimo* schisma

matris. Lib. 7. *tamen in hoc titulo, in hac causa.* August. L. 2. contra Cresc. c. 10.: *Discordia non possidet sub titulo pacis.* Item: *Quid cause est, ne titulus deponatur, ut pax deponatur.*

*ibid.* vos exterminatis unitatem.

Macarius unitatem facere voluerat, & plebem Donatistarum armis & Principis auctoritate ad Ecclesiam Catholicam compellere, quam unionem impediabant Donatistæ. *Albasp.*

*ibid.* utrique in foveam cadunt.

In MS. S. G. *uterque in foveam cadit.*

*ibid.* Oculos patrum vestrorum furiosus excœcaverat livor, & æmulatio vestros orbavit.

Orbatio de oculis, ut de liberis, dicitur; isti enim creberime illis æquantur. Ausonius Parentalibus: *Amissum festi post trina decennia natum, saucius, æque uno lumine cassus eras.* Alcimus Hecdicius Avitus L. 3. de filio perduto Lucæ 15.: *Lætaque solemnibus celebrat convivium cæcus, quod rediit sua suis quodam quasi funere proles surgat, & orbato redeant nova lumina patri.* Paulinus in obitum Celsi: *Celso amor & desiderium lumenque tuorum.* Eadem ratione & Ruricius in Epistolis. Ita *Barsh.*

*pag.* 16. in capitibus mandatorum, non facies schisma.

Non debent hæc, *non facies schisma*, monet *M. Casaub.*, aliis characteribus scribi, quasi ipsa Scripturæ verba essent ab Optato citata. Neque enim nunc extant, neque unquam in græca vel latina versione extiterunt. Hoc ipsum subindicat Optatus, dum dicit *in capitibus mandatorum*, ad illa nimirum respiciens Apostoli Rom. XIII, 9. *το γαρ ε̅μοι̅ χ̅ει̅ρ̅εις̅ &c. και̅ ει̅ τις̅ ε̅τερα̅ εν̅τολη̅ εν̅ τ̅υ̅τω̅ τ̅ω̅ λο̅γω̅ ανα̅κε̅φα̅λαι̅ε̅ται̅ &c. εν̅ τ̅ω̅ αγα̅πη̅σι̅ς̅ τον̅ πλη̅σι̅ον̅ σε̅ ως̅ ε̅αυ̅τον̅.* Quod hodie *instauratur*, olim *legebatur*, a quibusdam saltem, *recapitulatur*, ut & Ephes. I, 10., quem locum citans Tertullianus adversus Marc. L. 5. cap. 17. *recapitulatio* repræsentat, quamvis idem alibi reddat, *ad caput reciprocate*, atque iterum alio loco, *ad initium colligere*. Jam schisma ad peccata, quæ in proximum committuntur, proprie atque inter prima referri, notum est. Aquinas secunda secundæ quæst. 39. art. 2. ad 3. &c.: *Inter peccata, quæ sunt in proximum, peccatum schismatis videtur esse maximum, quia est contra spirituale bonum multitudinis.* — *In capitibus mandatorum* igitur hic applicatus

mus in summa five recapitulatione mandatorum. Non displicet tamen Albaspinæ interpretatio, qui refert ad primum mandatum, cum paulo post Optatus: *Deus, cui displicet schisma, hoc libenter videre non potuit: indixerant quodammodo Deo bellum, quasi alter esset Deus, qui alterum acciperet sacrificium.* Utraque interpretatio vera fuerit, si dicamus, Optatum ad verba Christi respexisse Math. XXII, 27. 38.

*ibid.* videamus de iis tribus.

Optatus docet, Deum gravius punisse schisma, quam homicidium & idolatriam. *Albasp.*

*ibid.* in Ninive civitate &c.

Non hic error Optati proprius. Politissimus Ecclesiasticorum Sulpicius sacr. hist. Lib. 1. *Id oppidum, de Ninive loquitur, olim ab Assur Sion filio conditum caput regni Assyriorum fuit; frequens tum incolarum multitudine, aens virorum millia centum & viginti, atque ut in magno populo abundans vitis.* Atqui non ait Scriptura, tot omnino esse in urbe, sed tot esse, qui dextram a sinistra nequiverint discernere. Quod sane non potest nisi de valde pueris intelligi, nisi ad allegoricas interpretationes confugas. Vid. Hieronym. & Gloss. vide & Drusium. *M Casaub.*

*ibid.* jejunium parvi temporis & oratio indulgentiam meruit.

In MS. S. G. *jejunio parvi temporis celebrato indulgentiam meruerunt.*

*ibid.* secum perituros.

*Secum* deest in MS. S. G.

*ibid.* pro neglectis mandatis suis.

Ita in MSS. S. T. & P. S. ex quibus suppletur vox *suis*, quæ deerat in editis. Exscriptor Codicis S. G. Marte suo videtur explicasse hæc verba, cum loco eorum posuit, *pro facto schismate. du Pin.*

*ibid.* in populi divisores.

In MS. S. G. *in necem populi divisoris*, minus bene.

*ibid.* avido ore.

Loco *ore* in MS. S. G. *hiatu.*

*ibid.* intra momenti spatium &c.

Eleganter hic ab Optato ad exprimendam rei celeritatem oratio, quæ vocatur *'arvictos*, adhibetur, quasi imitatus esset illud Cæsaris: *Veni, vidi, vici.* Et sane haud vulgarem ejus

ejus elegantiam, nec minus ingenium, præcipue cum quipiam narret aut describit, multa testantur. Utinam par fuisset eruditio; nam disputante illo plerumque: sed de sancto viro nolo quidquam acerbius, præcipue cum temporis quam hominis infelicitas hæc fuerit. *M. Casaub.* —

*ibid.* ad translutendos.

*Translutere* dixit pro *deglutire*: quomodo Cyprianus (an Tertullianus?) in genesi poemate v. 31. & 57. *transvena* pro *advena* utitur. Ita *Incert.*

pag. 17. miramini vobis.

In MS. S. G. *in vos.*

*ibid.* qui schisma aut facitis aut colitis.

In MS. S. G. *qui schisma usurpato Ecclesia nomine aut facitis aut colligitis.*

*ibid.* Magistri primi.

In MS. S. G. *Magistri vestri primitivi.*

*ibid.* ut sit, quod imputet — reservabit.

Locus iste perdifficilis quibusdam visus est, & varie a variis vexatus; hujus tamen facilis & plana est sententia, si modo ita interpungatur, ut a nobis factum est, & observatum in MS. S. T?, ita ut *prima peccata* non referantur ad participium *imitantibus*, sed ad sequentia: tunc enim nihil amplius obscuritatis est, in posteriori membro, *ad exemplum prima peccata presens pœna compressit, secunda iudicio reservabit.* Extat iste locus in MSS. S. T & P S. ut hic jacet, nisi quod post verbum *imputet* addita est conjunctio *et* in hunc modum: *imputet & imitantibus*, quod videtur superfluum. At exscriptor Codicis S. G. locum non intelligens depravavit & interpolavit hoc pacto: *Prima peccata ad exemplum ponens, presens pœna compressit, secunda iudicio reservabit.* *du Pin.* — *M Casaub.* *ro et*, inquit, non est hic otiosum, sed magni & elegantis usus. Ut sit, ait Optatus, quod merito iis imputet, quoque *ἀναπλογητοῖς* eos reddat, quicumque peccatores primos tam exemplariter a Deo punitos porro sustinent imitari. Quod autem sequitur in eadem sententia: *Ad exemplum presens pœna compressit, secunda iudicio reservabit*, cum nulla commoda sententia ex his effici possit, facile mihi quemvis accessurum puto, perquam levi ac nulla prope literarum mutatione corrigendum esse: *Ad exemplum presens pœna cum præcessit, secundam iudicio reservabit, vel secunda iudicio reservabitur.* Cum, inquit, *pœna presens*, id est, in hoc sæculo exacta publice & in om-

omnium conspectu ad exemplum, postquam hæc pœna jam præcessit, non mirum est, si Deus similes pœnas ab omnibus schismaticis non exigat, cum secundam, & quæcunque postea debebuntur eo nomine peccatoribus pœnæ, omnes eas univèrsali iudicio reservaverit. Possunt etiam hæc latius de quibusvis peccatoribus intelligi.

*ibid.* litigandi studio.

In MS. S. G. *litigantes*, sed male.

*ibid.* chartas habere.

Scil. Mandata Principum, Acta Conciliorum, Epistolas Mensurii, & similia, de quibus in Collatione facta est mentio. Ita *Albasp.*

*ibid.* cum veritate confabulent.

In MSS. *confabulent*. In editis *confabulentur*. Aptissime ad sensum *confabulent*, pro *contendant*, *connectantur*. *Fibulare* hoc sensu in usa est apud Columellam. *du Pin.* — *Confabulari* pro *consensire* usurpat, monet *Barth.* — Contra *M. Casaub.* Ego, inquit, adulterinum censeo, ac loco illius reponendum, *confabulentur*. Tertullianus sic usurpat non semel, & quidem præcedente, ut hic, *concordia* vel *concordandi* verbo Lib. de Trinit. (sive ille Tertull. sive Novat. foetus erat) de Christo loquens: *Quoniam si ad hominem veniebat, ut mediator Dei & hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse, & verbum carnem fieri, ut in semetipso concordiam confabularet, terrenorum pariter & celestium &c.* Mox iterum Capite, quod proxime sequitur, extremo *concordia* & *confabulatio* simul juncta.

*ibid.* Nam quod de nobis dicitis: Quid Christianis cum Regibus? quid Episcopis cum Palatio?

Non minus, adnotat *Baldwinus*, putidum fuit, quod Optatus narrat, nimium profecto aulicos & palatinos Donatistas nostris in Africa minime omnium aulicis invidiose objecisse: *Quid Christianis cum regibus? quid Episcopis cum palatio?* Sic rursus Lib. 3. ait, Donatum aliquando exclamasse: *Quid est Imperatori cum Ecclesia?* Sed & August. Tract. 6. in Joan. ait, quemdam Donatistam dicere solitum: *Quid mihi & Imperatori?* Et ipse Petilianus clamitabat: *Quid nobis cum regibus sæculi, quos nunquam Christianitas nisi invidios sensit?* Id refert refellitque Augustin. Lib. 2. contra Petil. c. 92. sicuti & in Lib. ad Donat. post Collat. narrat, Primiiani Donatistæ, qui Catholicis odiose insultabat, fuisse hanc exprobrationem: *Illi portant muleorum Impe.*



*Imperatorum sacras, nos sola portamus Evangelia. Sacras cum dicit, sacras litteras intelligit; sacras autem ut & divinas eo sæculo vocabant, quæ Principis erant. Sic sæpe in Cod. Constitut. Equidem fateor, fuisse magis ecclesiasticum, & Christianis, nedum Episcopis, dignius, uti potius literis vere sacris, hoc est, prophetiis & apostolicis; quam principalibus, vel aulicis, vel palatinis; neque Parmeniani, sed Ecclesiæ hanc vocem plerumque fuisse: Quid Episcopi cum palatio? Denique non minus inviti ad aulas, relictis suis veluti caulibus, quam ad castra boni Episcopi trahebantur. Et vero Sardiensis Synodus fulminans adversus degeneres & ambitiosos Episcopos, qui desertæ suæ statione & obliti sui officii eo cursabant, jubet, ut alii Episcopi, qui sunt (ut loquitur) in canali, hoc est, (nam & eo verbo similiter utuntur LL. in Cod. Th.) in via publica sive in urbibus in ea vitia, videntque aliquem sui ordinis eo excurrentem, transeuntem graviter interrogent, equo & cur proficiscatur: ac si sponte proficisci intelligant, cum eo non magis communicent, quam cum Ecclesiæ desertore vel hoste.*

*Cum palatio.* Hisce vocibus, inquit *Albasp.*, non utebantur initio schismatis; nam ubi Concilio Arelatensi atque summo Pontifici audientes non fuerunt, post illa omnia judicia a palatio opem quæsierunt. — Optatus postremo recitat historiam iudicii dati a Constantino Imperatore in causa, quæ agitabatur inter Cæcilianum & Donatum. Historia est memorabilis, proptereaque tanto magis miror, a Græcis, qui alioquin tam multa de Constantini temporibus scripsere, esse præteritam. Augustinus L. i. contra Parmenianum jubet, nos eam repetere ab isto primo Optati libro, a quo & ipsos Donatistas in Collat. Carthag. eam repetiisse mox audiemus. Sed ut ingenue fatear, quod sentio, ne Optatus quidem mihi in hoc genere satisfacit: & video in utriusque scriptis multas esse perturbatas & præteritas hujus historiæ partes. Optatus ab ordinatione Cæcilianiani transiit ad libellum Donatistarum Constantino oblatum. Atqui interfunt 7 vel 8 anni, quibus, quid interea Donatistæ domi egerint tumultuando & Cæcilianum vexando, scire velim. Nam non quiescisse facile suspicor: imo interea mirifice invaluisse auctosque esse inde conjicio, quod Aug. in epist. 48. scribat, 40 annis ante Macariana tempora convenisse ducentos & 70 Donatistar. Episcopos. Si 40 annis ante Macariana tempora, de quibus postea di-

cam,

cam, tam multi jam erant; adparet, tam multos statim fuisse, atque Constantinus patri suo successit. Sed credo, Donatistas non appellasse Valerium aut Maxentium, qui Africæ imperabant, quia hi tyranni Donatistas non audiissent, neque minus eos, quam Catholicos rejecissent. Ergo quæstio de Cæciliani ordinatione delata primum est ad Constantinum; cum jam rerum potiretur, sublato Maxentio. Nam si & tunc scribat Optatus, Constantinum harum rerum ecclesiasticarum adhuc ignarum fuisse, tamen religioni & Ecclesiæ favere cœperat, & alia occasio, cujus mentionem quoque facere debuisset Optatus, sese obtulit. — Idem simpliciter narrat, libellum Donatistarum Constantino fuisse oblatum. Sed observandum est, factum id esse, cum Constantinus cum Maxentii cæsi obruncato capite in Africam ad Annullinum Proconsulem misisset suum edictum de immunitate Cæciliani & Cæri Carthag. Quod edictum, nescio quo casu, confuse conjectum in decimum Eusebii librum hist. eccl. græcæ. Annullini responsum rescriptumque extat in Augustini epist. 68. Simul autem arcepta tali occasione Annullinus ad Constantinum misit libellum Donatistarum Cæciliani ordinationem accusantium. — Optatus profiteretur, sese eorum exemplum edere. Non tamen totum neque integrum edere videtur, & sine die & consule id edit. Augustinus vero in epist. 68. scribit, transmissos ad Constantinum per Annullinum fuisse duos hujus generis libellos Donatistarum; unum in alura subscriptum hoc modo: *Libellus Ecclesiæ Catholicæ, criminum Cæciliani traditus a parte Majorini*; alterum sine sigillo cohærentem eidem aluræ, datum die XVII. Kal. Majas, Carthag. D. N. Constantino, A. 3. Cos. Atque hujus quidem posterioris libelli fuisse videntur verba, quæ recitat Optatus. Prioris non meminit. Mirabar in libro, quem recitat Optatus, generalem & confusam & obscuram & infinitam esse querimoniam Donatist. *Inter nos, inquit, & ceteros Episcopos contentiones sunt.* Mirabar hic non nominari hos Episcopos, sed nequidem Cæcilianum, neque exprimi, qua de re contentiones essent; quod impimis dicendum & exponendum erat. Sed suspicor, in priori libello fuisse illa omnia magis expressa, ac fortasse etiam narratum fuisse, quomodo jam damnatus fuisset Cæcilianus ab Episcopis 70. Certe mirum est, Donatistas actum agere voluisse, & iudices sibi novos dari petiisse potius, quam executionem rei judicatæ urisse. — Porro observandum est, Constantinum non fuisse in Italia,

cum hos Donatistarum libellos recepit, sed in extremis Galliarum finibus ad Rhenum. Id ego collegi ex veteri panegyrico, quem suspicor esse Nazarii ad Constantinum, ubi scriptum est, Constantinum paulo post, quam Romæ Maxentium vicisset, eodem impetu, quo redierat in suas Gallias, perrexisse ad inferiorem Germaniæ limitem, & a Tiberi ad Rhenum properasse, prolaturum (ut ait) imperium a Thusco Albula ad Germanicum Albim. — Colligimus præterea ex hac historia, Constantinum literarum & libellorum exemplaria ex Africa accepta statim ad tres Galliæ Episcopos misisse, & Romam venire eos iussisse. Extat non rescriptum ad Episcopos Galliæ, ad Episc. Rom. autem Miltiadem extat. Nescio autem, quomodo in Eusebii L. 10. ad farraginem venerit, ita & apud Nicephorum L. 7, c. 40. Debuerat potius hoc loco inseri, vel ab Optato recitari. Uti autem dixi, scripsisse & Romam venire iussisse 3 illos Galliæ Episcopos, ita & citavit Cæcilianum cum decem Episcopis Romam, & totidem adversariis accusatoribus. Mandatum autem Constantini nullibi reperio, quod misit Cæciliano; Cujacius tamen hæc ex quadam (ut vocat) Constantini constitutione verba adducit, ad L. 1. C. de Tractor.: *Aliquos ex his, qui contra Cæcilianum dissentiunt, data evectioe publica per Africam & Mauritaniam, inde ad Hispanias brevi tractu facias migrare, & inde nihilominus Episcopis singulis singulas tractorias tribuas.* Suspikor, nullibi hanc constitutionem inventam missam fuisse ad Annullinum, & ad id, de quo nunc quærimus, pertinuisse. *Bald.*

*ibid.* perfundit invidia.

Deest in MS. S. G. *invidia.*

*ibid.* Rogamus te &c.

Hic est ille libellus sine signo, quem porrexerunt Anullino cum libello criminum Cæciliani, petentes, ut ab eo ad comitatum dirigeretur, ut constat ex relat. Anul. apud Aug. ep. 88. *du Pin.*

*ibid.* ut de Gallia.

Quia tum Constantinus erat in Galliis. *Idem.* — *Albasp.* ita: Et tamen ex 19 iudicibus 3 tantum ex Gallia fuere. Cæteri a summo Pontifice, cui causæ cognitionem reliquerat Imperator, assumti fuere.

*ibid.* partis Donati.

Legendum, monet *du Pin, Majorini.* Sic enim in relat. Anulini: *Libellus Ecclesiæ Catholicæ criminum Cæciliani tradi-*

*tus a parte Majorini.* August. etiam, quoties de isto libello loquitur, ait eum oblatum a parte Majorini. Sed quia, quæ pars primo dicebatur Majorini, tempore Optati vocabatur pars Donati, ipse nomen notius substituit in locum antiqui. Porro libellus ille oblatus est initio A. 313.: nam relatio Anulini data est Carthagine XVII. Kal. Majas Constantino Aug. tertium Cos., qui Consilatus incidit in annum æræ vulgaris 313.: Verisimile est, haud paulo ante libellos oblatos. Forte etiam scriptum erat *ex parte Donati*, quia Donatus a casis nigris antesignatus eorum jam erat, & præcipuus accusator Cæciliani, ut patet ex Actis in Conc. Rom.

pag. 18. Constantinus pleno livore respondit.

Loco *livore* in MS. S. G. *libello.* Verba autem sunt epistolæ Constantini ad Episcopos Concilii Arelatensis, nec proinde suo loco ab Optato inserta. *du Pin.*

*ibid.* petitis a me in sæculo.

Id est, a me, qui non sum ex communione & corpore Episcoporum. Hoc responsum est notatu dignum. *Albasp. — In sæculo.* Hujus vocis loco habetur in MS. S. G. *Episcopi.*

*ibid.* iudicium.

Scilicet iudices: nam non petierant ab Imperatore, ut de suis controversiis cognosceret, sed ut iudices daret. *Idem Albasp.*

*ibid.* et tamen dati sunt iudices.

Tres nimirum hi Galli, nam 15 alii a Melchiade deleti sunt & adsumpti. Cæterum extat Constantini ad eundem Melchiam de hac causa epistola, in cuius titulo hæc leguntur: *Melchiadi Episcopo Romano & Marco salutem;* in quibus explicandis interpretes sat habent negotii: non enim facile est divinare, quorsum Marcum illum cum summo Pontifice posuerit, aut quis & qualis ille Marcus fuerit. Nihil hac in re magis probabile occurrit, quam conjectura illustrissimi Cardin. du Perron, qui suspicatur legendum, *καὶ ἱεραρχῶν*, hoc est, *hierarchæ.* Cætera, quæ afferuntur, aut vana aut futilia sunt, quemadmodum, quod ajunt, Imperatorem Marcum Diacono cum Melchiade scripsisse, ne superiora sine inferioribus eminent, & ut graduum ecclesiasticæ communionis varietas appareret. Scilicet cum ad Xistum Syracusanum & ad alios Galliarum, Hispaniæ & Africæ Episcopos literas de eadem causa & negotio dedit, Diaconorum meminit, ne graduum varietas insalutata præteriretur: aut dicendum, Xistum cum suo Diacono

poenas dedisse, ne superiores gradus sine inferioribus martyrio eminerent, Cæsaresque christiano nomini infensos hanc graduum rationem in suppliciis & tormentis servasse. Neque magis ad rem pertinent D. Cypriani verba ad Cornelium Papam de Romano Clero, quia epistola illa, ex qua desumuntur, erat epistola saluatoria & ex genere earum, quæ pacificæ vocabantur & communicatoriæ, quemadmodum sunt D. Pauli epistolæ, quarum subsidio communicatio inter absentes ac longe distitos fovebatur: quapropter nil mirum, si omnium graduum in illis mentio fiat, & si D. Cyprianus aut D. Paulus Diaconorum meminerunt, cum ad Ecclesias aut ad Episcopos communicatorias scripserunt. Ita *Albasp.* Contra vero *M. Casaub.* Importune, inquit, hic digrediendi super inscriptione epistolæ Constantini ad Melchiam occasionem captavit *Albaspinæus*. Cum enim novum ipse nihil, veterem conjecturam Baronii καὶ Μαρχω emendantis, Ἰσααρχω, a Doctis pridem explosam Cardinali du Perron salto attribuit, quem adeo ejus puduit, quod ex novissimo ejus ad regem Angliæ scripto liquet, ut quidvis potius excogitandum putaret, quam vel meminisse Baronianæ conjecturæ dignaretur. — Judices hi convenere Romæ teste Optato & August. ad agendam Cæciliani causam VI. Kal. Octob. Cofs. Constantino III. & Licinio III. Optatus nominat hos tres Gall. Episcopos: Maternum Agripinensem, Marinum Arelatensem, & Rheticium Augustodunensem. Falsum est ergo in hoc valde Eusebii Chronicon, ubi legitur, teste Hieronymo, Miltiadem jam fuisse mortuum eique successisse Sylvestrum, anzequam Maxentius esset cæsus; quod & doctissimus Bibliothecarius pontificius Augustin. Steuchus adversus Laur. Vallam de veritate hist. Constantinianæ contendens cum Eusebio adserit, & quidem false. Idem & contigit Centuriatoribus Magdeb. centur. 4. c. 10., qui dubitantes dicunt, vel in Italia vel in Gallia Maternum & Marinum videri fuisse Episcopos. In eundem errorem & Calvinus cecidit adserens: Episcop. Arelatensem minime cum Miltiade judicem in hac causa sedisse, propterea fingit judicem postea fuisse ipsius appellationis, quod tamen lex judiciorum minime pateretur. Denique testatur Augustinus decies, in Conc. Arelatensi, ubi causa Cæciliani & Donati rursus acta est, alios, alios, inquam, quam qui Romæ, judices Episcopos fuisse. Calvinus hanc in hac re opinionem cepit, quia putabat, Episcopum Arelatensem ambitiose quæsisse auctoritatem Rom. Pontifici parem, quod mi-

minime historiæ convenit. Existimo autem, Rheticium Augustodunensem ex hac ratione ad hoc advocatum fuisse iudicium, quia vir erat eximie doctrinæ & pietatis, qui que jam contra Novatianos Donatistas perfimiles scripserat; hinc & inter Scriptores ecclesiasticos illius temporis numeratur, & Hieronymo testante sublimi ore scripsit dissertationes in Cant. C. — Et Augustinus de hoc Episcopo testatur laudabiliter, & dicit, Miltiadem præsedisse in illo iudicio. Donatistæ iudices ex Gallia tantum sibi dari petierant; sed Constantinus jam tum sensit, rem hanc ad cognitionem Romani Episcopi pertinere. Isque Miltiades allegisse sibi adhuc pro suo arbitrio 15 Episcopos Italiæ, tanquam adfessores in hac causa, & Donatistæ, licet voluissent, non reclamare, aut hoc iudicium recusare sunt ausi. Optatus refert quosdam horum Episcoporum ex Gallia togata & cisalpina, uti etiam a Romanis vocabatur, ut Meroclem Mediolanensem. Falsa igitur sunt illa Chronica Mediolanensia, ubi legitur, Meroclem jam 268. esse mortuum, & Optatus testatur, 313. Romæ iudicem sedisse; hinc & est fabulosum, quod dicitur de Eustorgio, qui ipso A 313. Mediolani Episcopus creatus fuisse fertur. Idem Optatus inter adfidentes Episcopos Italiæ vocat Florianum a Sinna (a Cesena), quæ nobilis urbs prope Ravennam in ea Italiæ parte, quæ olim Gallia togata vocabatur, sicut & Mediolanum. Damnatus in hoc iudicio Donatus fuit ille a casis nigris, uti Aug. in Brevic. adnotat, factusque est ex accusatore reus. Optatus recitat formulam sententiæ, qua Donatus primum damnatus, Cæcilianus autem absolutus a Miltiade ejusque collegis. Addendum etiam illud Augustini, ubi dicit: Miltiadem sapienter & benigne obtulisse Donatistis, qui vellent resipiscere & redire ad Ecclesiam. Vide hist. Collat. Carthag. Observanda sunt duo capita illius adversus Donatum sententiæ, quæ ait, eum rebaptizasse, & lapsis Episcopis imposuisse manus, ac utrumque ab Ecclesia alienum pronuntiat. Quod ad prius attinet, observandum est, id pronuntiarum Romæ, ubi etiam vetus illud Cypriani consilium de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis fuerant baptizati, semper reprobatum fuit, & sententiam Miltiades hac de re confirmavit Nicænum deinde Concilium, adhibita tamen quadam distinctione propter Paulinianos.

*Bald.*

*ibid.* Reticus.

Ita in MS. S. G. In MS. S. T. & P. S. dicitur *Reticus*.

*ibid.* in domum Faustæ in Laterano.

In MSS. *In Laterani*, in ea scilicet parte Laterani palatii, quæ ad habitationem Faustæ Imperatricis destinata erat. *du Pin*, In epistola Constantini ad Ablavium habetur, eos in quodam loco se clausisse. *Albasp.*

*ibid.* Constantino III. & Licinio III. Consulibus.

Ita legendum censent Baronius & Balduinus, Sed Augustinus Lib. post Collat. c. 3. ait: *Melchisedechus iudicavit Constantino et Licinio iterum Consulibus sexto Nonas Octobris*. Certum est, legi debere, *Constantino III. Cos.* Nam quartus hujus Consulatus incidit in annum 315, post Conc. Rom. & Arelat. Licinii autem Consulatus tertius est, si numeretur Consulatus susceptus A. 311.; si autem non numeretur secundus, annus certe Christi 313. *du Pin*.

*ibid.* sexta feria.

Dies olim hebdomadæ per dies Jovis, Veneris, Solis non dividebantur, sed per ferias; quæ quidem feria sexta erat dies Veneris. hoc est, dies Christianis luctus & stationis, quo a summo mane ad tertiam usque stabant in Ecclesiis; quare nescio, qua ratione potuerint hanc causam sexta feria iudicare. *Albasp.*

*ibid.* Florianus a Cæsena.

In MSS. *Sinna* seu *Cinna*. Ita Balduinus emendavit, quod oppidum est Flaminie, forte *Æsna*, nunc *Fesi* in Piceno Annonario, aut *Pinna* in Piceno suburbicario. *du Pin*.

*ibid.* Zoticus a Quintiano.

Urbs in Rhetia, quæ nunc pagus est agri Brixientis, hodie *Kintzen*. *Idem*.

*ibid.* Savinus.

Ita in MS. S. T.

*ibid.* Secundus.

In MS. S. T. & P. S. *Secundinus*.

*ibid.* Felix a tribus tabernis.

Hodie *Cisterna* prope urbem. Ita *du Pin*.

*ibid.* Maximus ab Ostia.

In MS. S. T. *ab Ostiis*. In MS. S. G. *a tribus Ostiis*.

*ibid.* ab Ursino.

Forte *Urbino* Umbriæ urbe. *du Pin*.

*ibid.* a foro Claudii.

Cujus Episcopatus Calenum dicitur translatus ab Ughello.  
Ita *idem du Pin*.

*ibid.*

*ibid.* causa Donati.

Jam ergo, monet *du Pin*, Donatus a casis nigris princeps erat accusatorum Cæciliani.

*ibid.* in medium missa est.

Id est, tribus diebus acta; totidem enim actiones fuisse constat ex Carthag. Collat. Tit. 323. & ex Brevic. Collat. d. 19. c. 17. Ita *idem du Pin*.

*ibid.* sunt hæ sententiæ latæ.

Scil. in Conciliis omnium Episcoporum sententiæ non solum numerabantur, sed in acta singulæ, & ut erant dictæ, referebantur, ut videre est in nonnullis Conciliis, atque in Carthag. sub D. Cypriano habito. Voluit igitur Optatus noster dicere, singulis eorum Episcoporum, qui conveniant in domum Faustæ, sententiis damnatum fuisse Donatum Casensem, neminemque eorum fuisse, qui hoc judicium & ipsidem verbis in eum non constituerit. *Albasp.*

*ibid.* quod confessus sit se rebaptizasse.

In MSS S. T. & P. S. *rebaptizare*, scil. a Catholicis baptizatos.

*ibid.* Episcopis lapsis manum imposuisse.

Ils nimirum Episcopis, quos traditores criminabatur, manus in pœnitentiam imposuisse, quod alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut habet S. Leo Papa ep. nunc 2. Rustico Narbon. respondens: *Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut, qui in presbyterali honore aut in Diaconi munere fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, quod sine dubio ex apostolica traditione descendit.* Quod hic S. Leo de Presbyteris & Diaconis affirmat, multo magis notum est de Episcopis. Quidam hic accipiunt de manus impositione episcopali, seu de reordinatione; sed nullibi Optatus accusat Donatistas, quod iterato ordinaverint Episcopos Catholicos; imo constat ex eo, lapsis Episcopis ab illis, qui stabant a parte Donati, manus impositas fuisse in pœnitentiam. At verisimile non est, eos, quos ad pœnitentiam detruferant, Episcopos postea constituisse; imo, uti modo observavimus, Purpurius Limatenfis volebat eo fine Cæciliano manum imponere, *ut quassaretur illi caput de pœnitentia*, hoc est, ut non solum ab omni gradu, sed etiam ab omni spe Episcopatus recipiendi dejiceretur. Sed quid est opus, mentem Optati expiscari, cum ipse se diserte explicet Lib. 2. n. 25., ubi loquens de ea manuum impositione, qua Donatistæ utebantur, ait: *Multis notum est & pro-*



batum, persecutionis tempore aliquos Episcopos inertia a confessione nominis Dei delapsos sturificasse, & tamen nullus eorum, qui evaserunt, aut manum lapsis imposuit, aut ut genua flecterent, imperavit; & facitis vos bodie post unitatem, quod a nullo factum est post sturificationem. Peccabant igitur Donatistæ 1. contra legem & consuetudinem, quæ vetabat Episcopis lapsis manum imponi in pœnitentiam; 2. contra justitiam, manus imponendo in pœnitentiam Episcopis Catholicis & innocentibus; non autem in eo, quod Episcopos ad pœnitentiam detrusos reordinarent. Ita *M Casaub. & du Pin.* — Obscurius est, quod damnatus Donatus, quia Episcopis lapsis imposuerit manus: idque etiam dicitur esse alienum. Triplex olim erat impositio manuum: 1. Baptizatis imponebantur manus. 2. Imponebantur lapsis pœnitentibus, quibus post exomologesin pax dabatur. Diu existimabatur in Africa, talem pœnitentiam uti baptismum reiterandam non esse; tamen semel saltem manus impositione pœnitentibus pacem esse dandam, qui negasset, fuisset Novatianus. Donatum prope fuisse Novatianum facile dixerem. Sed damnari, quia non fuerit, quis dixerit? Debit igitur is Donatus ob aliam manus impositionem damnatus fuisse, nempe tertiam, ad ordinationem Episcopis lapsis rursus dandam vel renovandam. Hæc autem manuum impositio, quæ ad ordinationem Episcopi pertinet, reiterari nequit, sicut baptismus. *Bald.*

*ibid.* testes inducti a Donato.

In literis Constantini, ut notat *Albasp.*, utrique licebat decem ex Africa testes liti suæ necessarios Romam transportare.

*ibid.* Cæcilianus omnium supra nominatorum sententiis &c.

Sic Optati verba de Cæciliani allocutione sonant. Donatistæ autem testimonium hoc Optati depravare sunt conati, & dixere, a Constantino Cæcilianum esse damnatum; hoc & Cæciliano Romæ fuisse factum tamen mentiri non sunt ausi. *Bald.*

*ibid.* iudicium clausum est.

In MS S. G. *coagatum est*, sed male. Præsidebat Melchides, ideo iudicium clausit, & postremo loco suam sententiam dixit. *Albasp.*

*ibid.* juxta professionem suam non accusari.

An id vult eos, quod facturos professi fuerant, ut Cæcilianum accusarent, non præstitisse, & accusatorum partes, quas

quas susceperant, deseruisse? potius *juxta professionem suam*, id est, quemadmodum & ipsi professi sunt; nam antea: *Testes a Donato inducti sunt, se non habere, quod in Cæcilianum dicerent.* More suo novus Scholiastes, scil. Albasp., *juxta professionem suam, hoc est, inquit, Canones non gradidisse, neque conscientiam ad idololatriam acomodasse, vel contra fidem, quam proficetur, nihil egisse persecutionis tempore.* Ita M. Casaub. — *du Pin* vero: *juxta quod professus fuerat, se probaturum crimina legitimis testibus & indiciis. Non accusari, quia deseruerat accusationem, nec testes induxerat, judiciumque declinaverat.*

*ibid.* in aliqua parte.

In MS. S. G. *in aliqua professione.*

*ibid.* suæ communioni ecclesiasticæ.

Ecclesiæ scil. universæ, quasi diceret, censeo ab ejus communione non esse discedendum. *du Pin.* — Unaquæque communio ecclesiastica per Episcopatus dividitur, & in unoquoque Episcopatu est unum corpus communionis ecclesiasticæ, cujus corporis caput est Episcopus; ideo Melchiades dixit, *suæ*, quia, cum esset Episcopus Carthaginensis, illius communionis erat caput. Non nego tamen, hæc verba aliter explicari posse, & hæc: *Cæcilianum integro statu esse retinendum suæ communioni censeo*, hunc sensum posse habere, Cæcilianum cum omnibus, qui cum eo communicant, retinendum esse in communione catholica. *Albasp.*

*ibid.* integro statu.

In eo scil. statu, in quo erat, pro Episcopo eum habendum esse: poterat enim retineri in communione ecclesiastica Carthaginensi in statu Presbyteri aut Diaconi, sed Melchiadis judicium ejus ordinationem his verbis confirmavit, *du Pin & Albasp.*

*ibid.* appellandum esse ab Episcopis.

*Ab Episcopis* deest in MS. S. G. In MSS. S. T. & P. S. legitur *Episcopus*, non *ab Episcopis*: nihil mutavimus in vulgata lectione, quanquam nullius Codicis auctoritate suffulta. — Non proprie appellavit a judicibus Romanis, sed de eorum judicio conquestus est, uti sæpe observat August. *du Pin.* — Noluit dicere a Melchiade, ne auctoritatem summi Pontificis læderet. *Albasp.*

pag. 19. O rabida furoris audacia!

Hæc scripta sunt ab Imperatore Constantino post Synodi Arelatensis judicium; sed quæ ad eam Synodum pertinebant, Optatum latuere: unde & in Collat. Carthag. de Arelatensis judicio nihil dictum est; quod non fuisset prætermisum, si hujus mentionem fecisset Optatus. *du Pin.* — Quare dicta videntur, cum ab illo Concilio, & non cum a Melchiade ad Imperatorem appellassent Donatistæ. *Albasp.* — Hunc locum in priori editione sic emendavi, atque etiam hiantem explevi, additis ex antiquo exemplari his, quæ desiderabantur, verbis, *appellationem interposuere*; atque ita probavi, rejiciendam esse cujusdam alioquin eruditi interpretis legum conjecturam, divinando fingentis ex falsa notarum suspicione quandam novam lectionem, quæ tamen non consistat. Et August. dicit, Donatistarum rabida in Cæcilianum ora fuisse. Hinc non miror, quod Constantinus rabidam furoris audaciam in iis accusarit. *Bald.*

*ibid.* appellationem interposuerunt.

Desunt hæc in MS. S. T. & P. S. In MS. S. G. legitur *appellandum esse Episcopus credidit & cætera.* In Epistola Constantini ad Episcopos Ecclesiæ Catholicæ hæc habentur verba, ut hic in editis referuntur, unde nihil immutandum duximus.

*ibid.* Eodem tempore idem Donatus petiit, ut ei reverti licuisset; & nec ad Carthaginem accederet.

Ita in MS. S. G. In MSS. S. T. & P. S. legitur, *ut ei revertenti ad Carthaginem contingeret.* Quod cum sensu careat, in editis emendatum est, *ut ei reverti ad Carthaginem contingeret.* Sed verisimilius est, Donatum petiisse tantum, ut sibi in Africam remeare liceret ea conditione, ut ad Carthaginem non accederet; quod ex sequentibus colligitur: nam post hæc Optatus observat, Donatum post discessum Eunomii & Olympii priorem ad Carthaginem rediisse, & hoc audito Cæcilianum huc etiam properasse. Hinc pater, retentum non fuisse Brixiz Cæcilianum, nisi quia injunctum erat Donato, ne Carthaginem accederet. In Collatione Carthaginensi, ubi prolatum est istud testimonium, ita lectum est, *ut ei reverti licuisset, & ad Carthaginem accederet*; quæ lectio proxime accedit ad nostram, nisi quod levi errore pro particula *nec* lectum est *et*, quod Donatistis occasionem præbuit asserendi, Imperatorem contra Cæcilianum pro Donato judicasse, quippe qui Donatum Carthaginem

ginem remisisset, & Cæcilianum Brixie retinisset *de Pis.* — Hic sequi debuisset censebat Balduinus Concilii Arelatensis historiam & cognitionem seu iudicium Constantini Mediolanense. Ego vero Baronio potius assentior, qui locum his esse post purgationem Felicis, non ante, iudicat, quod & novis, si sit opus, argumentis confirmari possit. An tamen aliquid omnino desit, & quidquid hujus in Optato desideratur, an ab ipso Optato prætermisum non sit, puto, non sine causa a Balduino dubitatum esse. Nam ut id concedam, quod maxime urget Baronius, rem toto orbe celebrem ab Optato ignorari non potuisse; puto tamen potuisse fieri, ut adeo explorata ipsi non essent, quæ omisit atque cætera, utque illi non suppeterent acta eorum, quæ proferret, quemadmodum & reliquorum, quæcunque præcesserunt. Præterea cum quidquid ab Arelatensi Concilio vel Constantino postea pronuntiatum est, id totum fere ex fide & veritate gestorum purgationis Felicis, Cæcilianus Ordinarius coram Æliano Africæ Proconsule penderet; non magni interfuit Afrorum cognoscere, quid ab illis tam longinquæ compertum ac pronuntiatum esset, si de veritate rerum domi sive in Africa gestarum semel eis constaret. Quam ad rem gesta Africana sufficiebant. *M. Casaub.* — In hac editione iussi ante hæc verba appingi lacunam vacuum, ut significarem, mihi videri aliquid deesse & desiderari ante hæc verba. Nam cum propius considero totam, de qua hic agitur, historiam: sentio, non posse hæc conjungi cum iis, quæ proxime præcedunt: imo interfuisse aliquot annos, quibus causa Cæcilianus rursus acta & definita sit in Synodo Arelat., iterum quæ iudicata Mediolani ab ipso Const. Ad cuius demum Mediolanensis iudicii tempus referre necesse sit hæc, quæ in Optato sequuntur: *eodem tempore &c.* Itaque suspicarer, quod de eo iudicio sicuti & de Arelatensi Optatus infererat, deletum a Donatistis fuisse, qui Optati libros misere contaminarunt. Sed rursus dubito, num Optatus, ut in Numidiæ angulo inclusus, quidquid hac de re debuit, sciverit, scripseritque. Nam in Collat. Carthg. cum adversus Donatistas recitaretur testimonium Optati de absolutione Cæcilianus, nihil de Conc. Mediolan. aut Arelatensis iudicio citatur, quod tamen præteritum non fuisset, si ab Optato fuisset expositum. Et ineptum erat, in ea Collatione quærere, quid senserit Optatus hoc loco, si aperte paulo ante, a Constantino Cæcilianum fuisse absolutum, scripserit. An dicemus jam, antea Donatistas sub-

*premissa*

preffisse ac deleviffe, quod de ea re fcripferit Optatus? Verum utut fit, aliunde repetere licet, quod hic defiderari dixi. — Jam ad hiftoriam revertendum. Constantinus, licet rabidam Donatiftarum audaciam dixiffet, tamen admiffit eorum appellationem, & iudices abs fe petitos ecclefiafticos dedit, & fic habitum eft Concilium Arelat., in quo rurfus alios jubet Epifcopos de hac caufa cognofcere. Ad hoc Concilium Constantinus advocat & Epifcopum Chreftum Syracufum ex Sicilia cum duobus aliis Coepifcopis, uti L. 10. hift. Eufebii videndum, ac quidem exprefse mandat, ut id fiat intra Cal. Augufti. Quo autem anno, nefcitur, cum Confules fubfcripti in Constantini refcripto defint. Sed non temere fufpicor, factum id effe Volufiano & Anniano Cofs. hoc eft, anno poft iudicium rom. proximo, quo etiam anno III. Kal. Novb. memini Treviris edidiffe legem quandam de appellat. recipiendis, L. I. C. Th. *de appell.* Porro Constantinus in illo ad Chreftum refcripto nullo modo Donatiftarum meminit. Simpliciter narrat, eos Romæ jam iudicatos nolle ftare rebus iudicatis; hinc, cum obtendant, caufa nondum fatis cognita, quia pauci iudices fententiam præcipitaffent, fe jubere debere, ut adveniant Epifcopi ex *infinitis* locis in urbem Arelat. utque tandem communi iudicio finem imponant huic controverfæ, caufa diligenter cognita, & parte utraque audita. Dolendum, acta hujus Concilii Arelatenfis intercidiſſe. Ex fragmentis licet permendofis hoc faltem perſpexi, quod præfide Sylveftro ſucceſſore Miltiadis fit habitum. Quod valde corruptum fit id, quod de hoc Concilio relictum habemus, jam inde conſtat, quod de Arianis eodem tempore nondum notis quædam commemorentur. — In hoc Conc. Arelat. rurfus Cæcilianus eſt abſolutus, Donatus damnatus, quapropter Donatiſtæ iterum Constantinum adpellarunt. Recepti adpellationem teſte Auguſtino epift. 162., & Mediolani de hac caufa iudicavit ita: *Pervidi, inquit, Cæcilianum omni innocentia præditum, ac debita religionis ſuæ officia ſervantem, eique ita, ut oportuit, fervientem.* Quo tempore id factum, Auguſtinus teſtatur Lib. contra Donatiſt. poſt Collat. c. 33., ubi ſcribit, Constantinum de Cæciliani purgatione ſcripſiſſe IV. Id. Novemb. Sabino & Ruſino Cofs. Ergo 4. anno poſtea, quam hæc caufa ex Africa primum fuit delata ad Constantinum, vix tandem definita poſtremo eſt. Hic autem ille locus eſt, quem Donatiſtæ in Collat. Carthag. impudenter cavillando retorquere ſunt conati.

nati. Digna est eorum subtilitas, quæ exponatur. Augustinus in Brevic. paulo ante finem dicit: *Petierunt Optatum legi, unde se probaturos dicebant, Cæcilianum a Constantino damnatum: recitatus est Optatus resitantibus Donatistis, ubi ait: Eodem tempore idem Donatus petiit, ut ei reverti licuisset, & ad Carthaginem accederet; tunc a Philomeno suffragatore ejus Imperatori suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus retineretur Brixia, & factum est. In quibus Optati verbis cum nulla Cæciliani damnatio, sicut illi demonstratos esse promiserant, reperiri potuisset; jussit cognitor totam paginam recitari, ut de superioribus verbis, & inferioribus voluntas ejus, qui scripserat, nosceretur. Et ex officio recitatum est: Cæcilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus. Quod cum recitaretur, Donatistæ dixere, hoc se non petiisse recitari, stomachantes adversus eos, qui risum tenere non poterant, cum audiissent, quam apertam contra se ipsos paginam protulissent. Deinde cum illis verbis, quæ ipsi recitaverant, extenuasse dicerent Optatum damnationem Constantini, & exprimere noluisse: flagitatum est ab iis, ut aliunde manifestum legerent, quod ab illo dicebant extenuatum. Hæc Augustinus, in quo emendavi, quod videtur mendose ex Optato recitare, veluti cum pro suffragatore suppositum est suggestore. Suffragii & suffragatoris verbum Juris studiosis notum est in hac significatione. — De quæstione, quam sæpe Donatistæ moverant, Cæcilianum a Constantino teste Optato esse damnatum, adhuc hæc dicenda. Certè Optatus nihil de hoc potuit scribere, nempe hæc verba: *bono pacis Brixia esse retentum Cæcilianum*, quin paulo ante aliquid de sententia Mediolanensi scriberet. Sed fingamus sane, Optatum scripsisse consequens, non antecedens, an non extabant alii scriptores testesque judicii Mediolanensis? Dein quod Optatus dicit, *bono pacis &c.*, non significat, inde Cæcilianum esse damnatum; imo vero illud *bono pacis* significat, aliam longe retentionis ejus causam fuisse. Denique quanquam fuisse retentum dicat, tamen paulo post in eadem pagina aperte scribit, Carthaginem properasse ad suam plebem, statim atque audivit, Donatum Carthaginem esse reversum. *Bald.**

*ibid.* tunc a Philomino.

Ita in MSS. In Collat. Carthag. *Philomeno.*

*ibid.* ad Africam.

In MS. S. G. *ab Africa.*

*ibid.*

*ibid.* Eunomius & Olympius.

Optati editiones post hæc verba addunt: *ut remotis duobus unum ordinarent.* Sunt etiam in MSS. S. T. & P. S., & tamen videntur peregrina; nam Donatus is, de quo agitur, non erat Episcopus Carthagini, nec Episcopi illi missi sunt, ut id facerent, sed tantum ut Cæcilianum confirmarent, & declararent, Ecclesiam Catholicam in ejus parte esse, ut statim subditur. — Missos eos necesse est illo tempore, quo Cæcilianus Brixie tenebatur, ac proinde statim a Concilio Romano. *de Pin.*

*ibid.* apud Carthaginem.

Venire sapud aliquem, solæcismus est Grammaticis. Clodionius: *Non possumus dicere, apud amicum vado.* Ita Barb.

*ibid.* per dies quadraginta.

In MS. S. G. *quatuaginta.*

*ibid.* seditiosa pars.

In MS. S. G. *studiosa*, sed melius *seditiosa*, ut in MS. S. T.

*ibid.* communicaverunt Clero Cæciliani.

Nam aberat Cæcilianus. Sed quamvis absens esset, non minus ei communicarunt, quam si præsens fuisset; quia, qui communicat Clero, censetur communicare Episcopo, qui est caput Cleri, fons & centrum communionis ecclesiasticæ in sua diocesi. *Albasp.*

*ibid.* cum hæc fierent.

In MS. S. G. *inter hæc.*

*ibid.* Donatus ultro prior ad Carthaginem redit.

Non expectato illorum Episcoporum reditu redit. In MS. S. G. *redit.*

*ibid.* hoc audito.

In MS. S. G. *quo audito.*

*ibid.* renovellatæ sunt partes.

Mallet *renovata.* Significat autem contentionem recruduisse novis partium studiis rursus inflammatorum. Cæterum ut parum cohærere videtur, quod proxime subjicitur, *constat tamen &c.* sic res potius postulabat, postremo nunc adjici legem Const. non modo severissimam illam contra Donatistas, quam alibi Aug. commemorat, sed & alteram indulgentissimam. Idem August. L. contra Donatist. post Collat. c. 33. scribit, Constantinum sub Cos. Crispo & Constantino ad Valerium Vicarium de Donatistarum exilio soluto, hisque vindici Deo relinquendis, dedisse literas. Crispus  
autem

autem & Constantinus filii Const. Imp. anno nono post Maxentii mortem iterum Consules fuere, ergo Constantinum æque ac Cæcilianum 8 annos vexarunt Donatistæ. Cum incepit Arius, desit res Donastica. *Bald.* — *Renovellare* pro *redintegrare*, a vitibus ductum. Sic loquitur Auctor L.7. sub ipsum finem hujus collationis suæ cum fratre Parmeniano Donatista: *Cum hominum esset renovellata usivitas. Novel-lare*, novum agrum colere, seu novas vites pangere. Suetonius in Domitiano cap. 7. *edixit, ne quis in Italia novel-laret.* Hinc novellatum pro vinea ex novellis vitibus confita Alfeno & Paulo Jctis. Maximus Poetarum eclog. 3.: *Vites incidere falce novellas.* Quare non bene hic *renovata* mallet Fr. Balduinus. *Incert.*

*ibid.* in urbe.

Mentionem non facit Concilii Arelatensis, quia ad purgationem Cæcilliani satis erat, quod Miltiadis iudicio absolutus esset. *Albasp.*

*ibid.* Ordinator.

Scil. Felix Aptungitanus, qui in Actis ejus purgationis dicitur Episcopus. *Idem Albasp.*

*ibid.* ad Ælianum Proconsulem scripsit.

In MS. S. T. & P. S. *Cæcilianum*, sed legendum, ut in MS. S. G. & in editis *Ælianum. du Pin.* — Id factum est (ut ait Optatus) patulo post, quam Cæcilian. a Miltiade est absolutus primus. Itaque istud *tunc* referendum est tantum ad id, quod proxime præcedit, de prima Cæcilian. purgatione atque absolutione, quæ Romæ fuit, non etiam ad reliqua, quæ multo posteriora sunt. Examinata est autem causa Felicis quarto post purgationem primam Cæcilian. mense; quippe XV. Kal. Mart. Volusiano & Anniano Coss., ut August. Lib. contra Donat. post Coll. c. 33. narrat. Ex hoc Optati loco emendari potest Const. eadem de re agentis epistola mendose scripta, qualem recitat Aug. ep. 68. & L. 3. contra Cres. c. 70. — Ingentius falsi reus, fuit, quod diceretur acta falsa conscripsisse contra Felicem, & quandam Cæcilian. epistolam falsavisse, teste Aug. ep. 152. cum loquitur de quodam suspenso in equuleo, ut & ungulis vexaretur, neque potuisse Felicem contradicere, ne tanta diligentia & severitate quaereretur. Ingentium suspensum quidem, sed minime tamen tortum fuisse, quia se diceret esse Decurionem, significat Augustin. ep. 68. & L. 3. contra Crescon. c. 70. & convenit cum L. Th. L. *omnes. C. de Decur.* Missum autem esse



ad Comitatum Const., cum esset confessus crimen. Teste Aug. & Ælianus de eo, cum absolveret Felicem, pronuntiavit. — Stationarii autem erant genus pervile hominum, denuntiantes magistratui, quid undique fieret. Recitat doctus Renardus Optati verba L. 4. *varior.* c. 11., ut probet, questionem olim de reo publice esse habitam, sed falleretur, qui ad Felicem reum referret hæc Optati verba: *Pependis sub metu imminantium tormentorum.* Imo testatur August. absentem fuisse absolutum Felicem ab Æliano. Falluntur autem doctissimi viri in hac parte historię; hinc, quantum potui, eam in ordinem redegi, quæ perturbata erat, cumque multi ecclesiast. hist. Scriptores hanc rem vel perturbate vel minime elaborarint, ego eam hic exponere sum conatus. Multa hujus generis in hist. veteris Ecclesię indigne sunt contaminata. *Bald.* — Scripserat autem Imperator ad Ælium Paulinum vicariam agentem præfecturam, ut haberetur in Actis, seu potius ad Verum, qui tunc vicariam agebat præfecturam in Africa, ut haberetur in epistola Constantini apud August. ep. 88. Sed cum ille adversa valetudine teneretur, Æliano Proconsuli negotium commisit, ut haberetur in epist. Constantini. In Actis mentio fit epistolę Ælii Paulini vicariam agentis præfecturam; sed fortasse hic error irrepit; nam mentio fit in Actis Paulini vicariam præfecturam agentis, cum persecutio grassabatur, ut constat ex ipsi. Actis, in quibus haberetur: *Nam Paulino hic administrante vices præfectorum.* Ita *du Pin.*

*ibid.* Felicis Autumnitani.

Alibi: *In municipio Autumnitanorum; item: Autumnitanus Episcopus Felix. Albasp.*

*ibid.* sedit is, cui erat indictum.

Hæc necessaria suppletur ex 3. nostris MSS. In MS. S. G. pro *indictum* habetur *injunctum.* — A 314 Volusiano & Aniano Cofs. XV. Kal. Martias, ut habet August. in Lib. post Collat. c. 33. In Actis Cæcilianus dicitur auditus XIII. Kal. Sept. sex mensibus a Kal. Martii; sed error fortasse irrepit, vel iudicium aliquamdiu protractum esse dicendum est. *du Pin.*

*ibid.* Claudius Saturnianus.

In epist. Constant. dicitur *Saturninus*, qui curator fuerat civitatis Aptungensis tempore persecutionis. *du Pin.*

*pag. 20.* et Magistratus Alfius Cæcilianus.

In MS. S. G. *Alfidius*, sed in Actis *Alfius.* — Duoviratum gesserat

serat ex gestis: *Ælianus Proconsul dixit: Cum duoviratum, ageres in patria tua, oportet fidem verbis tuis habere.* Hic ipse epistolam illam, quæ Felici tribuebatur, scripserat. Ita *Albasp.*

*ibid.* sed & superius stationarius.

Ita in MSS. S. T. & P. S. In MS. S. G. *sed Exsuperius.* Is in ep. Const. vocatur *Superius Centurio.* — *Stationarius,* unus e cohorte Officialium Præsidis. *du Pin.*

*ibid.* Ingentius scriba publicus.

Qui decurio erat Ziquensium, & scriba publicus sub Duoviratu Alfii Cæciliani. Ita *du Pin & Albasp.* Vid, pag. 64.

*ibid.* in vita Felicis Episcopi, propter quod ordinare non potuisset.

In editis habetur: *quod vitam Felicis Episcopi sordidare potuisset.* Nos restituumus hunc locum, partim ex conjectura, partim auctoritate MSS. Omnes enim manus. Codices, quos vidimus, constanter habent *ordinare,* non *sordidare.* In MSS. S. T. & P. S. *quod vitam Felicis Episcopi ordinare potuisset.* In MS. S. G. *quod vita Felicis Episcopi ordinare non potuisset.* Ex his facile est locum restituere, ut est a nobis restitutus: agebatur de ordinatione Cæciliani, hanc irritam agebant Donatistæ ob crimen traditionis admissum a Felice. Compertum crimen esse falsum, ac proinde nihil esse in ejus vita, propter quod ordinare non potuisset Cæcilianum. *du Pin.* — Sordidare *avri* fordidum facere, ut sæpe Apollinaris Sidonius. Limpidare est apud Cælium Aurelianum & Plinium Valerianum, quod isti contrarium. *Barth.*

*ibid.* habentur volumina.

Ita in MSS. S. T. & P. S.

*ibid.* Solonis Officialis publici.

Dicitur servus publicus in ep. Const. *du Pin.*

*ibid.* tradiderit vel exusserit.

Ita in MS. S. G. cui concinunt Acta purgationis Felicis in MS. Cormaricensi. In MSS. S. T. & P. S. *prodiderit.*

*ibid.* Omnium enim interrogatio.

Ita in MS. S. G. & in Actis, & recte. Minus bene in MSS. S. T. & P. P. *interrogantium.* — Hic variat Fr. Balduinus *Omnium enim interrogatio manifesta est, nullas scripturas.* Barthius corrigit: *Omnium enim interrogatorum manus testata est.* Est autem, inquit, sententia Proconsularis. Non

me, hercules, infeliciter ille; sed possit etiam legendum videri: *Omnium enim interrogatorum S. S. manifestum est*; aut scripsit forte Optatus: *Omnium enim interrogatorum S. S. testimonio manifestum est*. Vocem unam aut alteram excidisse oscitantia librariorum sæpe in lectione auctorum conquerimur. *Incers.* — *M. Casaub.* ita: Interrogatio hoc loco pro tota actione, quæ responsa scilicet includit, accipienda est. Non enim proprie & strictè interrogatio iudicis sive cognitoris, sed responsa testium aut reorum rem faciunt manifestam. Unde & hic paulo ante hæc Proconsulis sententia interrogatorum responsa subsecuta dicitur. Huc pertinet, quod Tertull. de resurr. car. c. 48., quod I. Pet. 3. *ἡσυχία* interpretatus est responsionem his verbis: *Anima enim non lavatione, sed responsione sancitur*; ut jam olim a docto interprete animadversum est.

*ibid.* conscientiam accommodaverit.

Epistolam illam neque scribi iussit, neque consensum attulit, ut de areis Martyrum Codices sumerentur. *Albasp.*

*ibid.* unde pulsa.

In MS. S. G. *repulsa*.

*ibid.* sed etiam omnis scriptura memorata &c.

Quam non semper acquiescendum sit, aut scriptorum Codicum, quibus fretus Balduinus hanc editionem adornavit, integritati, aut ipsius Balduini iudicio, vel inde conjecturam facies. Cum in principibus Optati editionibus, *revelata est*, antea legeretur, Balduinus primum se fuisse, qui *renovata* ex suo manuscripto exemplari restitueret, ipse sibi gratulatur, adeo de veritate correctionis neminem dubitaturum putabat. Atqui per hanc correctionem, quam manca & imperfecta pendeat antecedens periodus, quam ægre quidquam sani aut dilucidi ex hac ipsa possit erui, facile animadvertet lector intelligens. Contra si priorem lectionem retineas, & pro *etiam* restituas *ea jam*: *sed ea jam omnis scriptura memorata &c.* (cujusmodi erratis nihil in omni scriptura præclivius) omnia tunc optime cohærebunt; ut nihil planius aut liquidius esse possit. *M. Casaub.*

*ibid.* frustra esse inventum.

*Inventum* pro *invectum* hic esse vix monendum putarem, nisi pariter in hoc eodem verbo errarent omnes, quas vidi, editiones. Ut sequentia autem latina sint & congrua, nova periodus inchoanda est ab illo *musans*, & quæ sequuntur, commode connectenda, ut hic sunt, non ut in aliis editionibus,

nibus. Quanquam ut *mutans* pro *mutantem* hic ponatur, si id affirmarem, non adeo miraretur, qui solœcismos id genus apud unum Luciferum Calaritanum, qui nostro hoc antiquior, (ut alios taceam) non uno loco observaverit. Quo concessio quam melius a *Claustri* sententia sequens inchoetur, nemo non videt. Victor etiam non melius multo L. 2. *strenuum atque doctissimum virum incendio concremavis, æstimans tali exemplo timorem incutiens, reliquos elisurum, & L. 3. juvenum, senum, puerorum vel etiam puellarum agmine simul & funere, ubi potuerunt, quomodo potuerunt, quomodo poterant, passim diffundebantur, circumcunctes oppida, vicos, vel singulas urbes. Idem M. Casaub.*

pag. 21. tu ipsorum hæres.

In MS. S. G. additur *fuisse*.

*icid.* nec schismaticis nec traditoribus parcere voluisti.

*Parcere* restitutum ex MS. S. G., & genuina est lectio, quam in MS. S. Th. & P. S. habeatur, ut in editis, *parere*; sed contra mentem Optati, ut ex antecedentibus & sequentibus constat *du Pin*. — Cum pauca retro verba & mutatas personas & translata a Parmeniano crimina queratur Optatus ad explendam sententiam, pro duplici *nec* duplex *nos* puto legendum esse: *Nos schismaticis nos traditoribus &c.* Dixit autem *parere*, pro *partos fingere*, vel *pronuntiare*, qualia apud magnum Poetam in illis iterum: *Quis humum florentibus herbis spargeret? &c. Spargeret pro aspersam caneret.* Et in illis iterum: *Tum Phætoniadas musco circumdat amara corticis, atque solo proceras erigit alnos &c.* ubi *circumdat & erigit*, pro *circumdatas & erectas* canit, ut a Servio observatum est. Ita Lev. XIII. *Immundabit & mundabit Sacerdos*; & Jerem. I, 20.: *Ecce constitui te super gentes & super regna, ut evellas ac destruas &c.* Addi & illud potest, quæ verosimilior fiat hæc conjectura, Parmenianum, ut ex superioribus satis liquet, Optati parentes accusandos, non suos excusandos suscepisse, ut, cui nimirum genuini partus ne controversia quidem hætenus mota fuerat, adeoque parentes suos hæc defensione non egere putabat, ut quæcunque contra traditores in genere *nullis certis personis aut nominibus debascharetur*, ea omnia ad Optati majores aut antecessores pertinere præsumeret, ut testatur hic noster. Sed vir doctus & acutus, qui me forte pro nostra necessitudine, cum hæc Londini excuderentur, Cantuariam inviserat, pro *parere* legendum con-

jiciebat *parcere*, ut nulla alia correctione sit opus. Cui ut plane assentiri nondum possim, ita fateor ejus conjecturam mihi adeo placuisse, ut lectori nollem invidere. *M. Casaub.*  
*ibid.* quia & in radice.

In MS. S. G. *iqui.*

*ibid.* cum omnibus sumus.

Hic pro more in fine MSS. habetur: *Explicit liber primus.*

## LIB. II.

pag. 21. Liber secundus.

In MS. S. T. *Incipiunt Capicula Libri secundi.* In MS. S. G. *Secundi Libri argumentum.* — In hoc autem secundo libro declaratur, quæ sit una & vera Ecclesia Catholica, & ubi & apud quos maneat, & quinque dotes Ecclesiæ in catholica esse magis, quam in ea parte, quam sibi schismatice facere voluerunt; & quod impie novacula pœnitentiæ raserint capita Sacerdotum, & quod homicidia fecerint, & illa, quæ ad salutem credentium procurata fuerant, aut canibus dederint aut abjecerint. — Post argumentum hoc in MSS. legitur: *Incipit Liber secundus. du Pin.*

*ibid.* jam proximum est.

In MS. S. G. *jam in proximo est.*

*ibid.* cujus sanctitas de Sacramentis colligitur, non de superbia personarum ponderatur.

Sancta nimirum non est Ecclesia ob personas, quæ se innocentes jactitant, quales erant Donatistæ, sed propter Sacramentorum sanctitatem, nec Sacramenta vim suam, ut docebant Donatistæ, a sanctitate personarum, a quibus conferuntur, accipiunt; hinc subdit Optatus, Donatistas asserere, idcirco Ecclesiam apud se solos esse, quia *specialem sibi sanctitatem de superbia vindicabant*: dicebant, cæteros omnes crimine traditionis infectos, corruptos & impuros, quia cum traditoribus communionem habebant. Ita *du Pin* & *Albasp.*

*ibid.* eam tu frater Parmeniane apud vos solos esse &c.

Lego, inquit *M. Casaub.*, cum interrogatione *dixisti?* id est, sustinisti dicere? eo dementiæ devenisti, ut diceres? nisi forte illud sit &c. Quæ sequuntur etiam ab illis, *ergo us,* continuata per aliquot periodos interrogatione suaviora multo sunt & *ἰμπαρτιστικῶν*; vehementiorem autem faciunt orationem, quam vehementem hic esse ratio postulat. Si quis

quis malit per sarcasum sine interrogatione, non repugno, etsi illud magis probo.

*ibid.* & pag. 22. in tribus Pannoniis &c. in tribus Syriis & in duobus Armeniis &c.

Nempe olim, ut observat *Bald.*, sæpe una Provincia, quæ alioquin nimis late patebat, in duas aut tres dividebatur, & singulis proprius præses dabatur. Sic Maer Jctus in *L. 3. de Offic. Assess.* ait, factum esse de Germania & Mysia. Sic Papinianus in *Lib. 9. de postul.* meminit provinciarum ejusdem nominis. Aquitanix duplicis fit etiam mentio in Itinerario Antonini.

*ibid.* quod sit rationalis, & ubique diffusa.

Quidam ex conjectura: quod non sit rationalis, sed ubique diffusa. — Optatus, ut vult *Bald.* videtur Ecclesiam catholicam rationabilem dicere, quia non tam oculis cernatur, quam ratione, hoc est, mente & intellectu comprehendatur. — Contra *Bald.* ita argumentatur *M. Casaub.* Aliud, irquiens, est *rationalis*, aliud *rationalis*, quæ temere hæc interpretatione *Bald.* confunduntur. Quis non videt argumentum hic ab ipsa vocis vi & etymologia nominis catholici duci? At per omnes Grammaticos & linguarum peritos quisquam unquam fuit, qui Catholicam inde dici putaret, quod *rationalis* esset & *ubique diffusa*? *Rationalis* illud quod attinet, non ignoro, in veteri Glossario καθολικὴς verti *rationales*, & optime verti, quod tamen nihil hæc omnino facere fatebuntur, qui, qui *rationales* aut *catholici* dicantur in jure, & apud veteres aliquot, usumque appellationis utriusque apud antiquos non ignorant. Utrum tamen Optato hæc errandi causa fuerit, haud facile dixerim. Illum certe ita plane credidisse: *Catholicam*, dici, quasi *rationabilem* & *ubique diffusam*, confidenter assero. Tanta erat & tam catholica linguæ græcæ imperitia, ut passim etiam, qui alioquin doctissimi, in similes errores inciderent. Possemus nos certissimis hoc argumentis demonstrare, si quemquam esse putarem, qui quidem in antiquorum lectione versatus sit, qui de eo dubitaret. Ne longe igitur argumenta quæramus, quis non æque miretur istam catholici nominis derivationem, *omnium obediens* sive *ubique unum*? quod tamen a Paciano disertis verbis affirmari, qui mihi non credit, ipsum audiat ad Sempronianum ep. 1.: *Et si reddenda postremo Catholici vocabuli ratio est, & exprimenda de græco, interpretatione Romana Catholicus,*

ubi unum, *vel ut doctiores putant*, obedientia omnium, *puncupatur, mandatorum sc Dei. Unde Apost.:* Si in omnibus estis, &c. mox, *sed & si Catholicus*, ubique unum est, *ut superiores putant &c* Et tamen Pacianus is est, qui neque antiquitate neque doctrina cedit Optato. Age, in Collat. Carthag. cum omnes fere convenissent Episcopi Africani, & ex omnibus delecti essent doctissimi, qui cæterorum omnium nomine causam susciperent, quid illi tandem de nomine *Catholico* definiunt? *Catholicum* esse a *Catholon*, *Catholon* autem dici, quod *secundum totum fit*. Propius ad verba fateor, si per se singula spectentur; verum enim est, *το καθολον*, a quo *καθολικος*, esse a *κατα* & *ολον*, ad vim autem & veram significationem, quam conjuncta habent, haud multo propius, quam quod ab Optato afferitur. Idem tamen etiam Augustinus ingerit ac tuetur contra literas Petiliani L. 2. c. 38. Neque dubium, illud *rationale* ex vestigiis quibusdam *τυ κατα* & *λογος*, quæ in voce *καθολικος* promanasse. An etiam in ultima syllaba aliquid a *χρω* rependum somniaverint, unde illud *diffusa*, viderint ipsi. Mihi sit magis verisimile, duas diversas etymologias aut diverforum potius somnia & hallucinationes, ne dicam deliria, hic Optatum conjungere & confunderè. Non mirum autem, si Optato hæc omnia placuerint, & se facile probaverint. Cum enim Ecclesiæ catholicæ contraria sint hæresis & schisma, quorum illam error, hoc autem separatio proprie facit, ut Hieron. & Augustin. pridem distinxere, (quo & illa pertinent supra) *Catholicam facit simplex & verus intellectus intelligere &c. hæretici vero veritatis exules impiis sensibus depravari &c.* Duplici hac *Catholicici* nominis proprietate ab hæresi & a schismate pariter afferitur. Ab hæresis errore, quod sit *rationabilis*, id est, *rationi & veritati consonans*, quo sensu *rationabile* passim apud Ecclesiasticos reperies. A schismatis autem *separatione* & superba illa Ecclesiæ ad unum aliquem angulum (quod modo Donatists objiciebat Optatus) *restrictione*, quod ubique sit *diffusa*. Atque hæc nos eo pluribus, ne quis postea novis conjecturis sit locus. Video enim viros doctos hunc Optati locum variis qua correctionibus qua interpretationibus sollicitasse. Sane & nobis aliquando *nationalis* probabatur, sed merito id respuimus. Si quidquam mutandum, id multo prius esset, ut pro *rationabilis & ubique* scriberemus *rationaliter ubique*: quo verbo non Optatus modo postremo libro, sed & Cyprianus, aut qui scripsit

scripsit de *singularitate Clericorum*, inter opera Cypriani, August. Salvian. Victor Uticensis, allique sunt usi. Sed omnino nihil mutandum. — Ludit hic Optatus, inquit *du Pin*, in duabus etymologiis vocis hujus *Catholica*, quarum una est *'απο τῆ κατα λογον*, ab eo, quod est *secundum rationem*; altera, *'απο τῆ κατα & 'ολον. secundum totum*. A prima forte radice *καθολικος* & rationales dicti sunt procuratores fisci. Similis est omnino lusus circa nomen *Catholici* in epist. Dionysii Alexandr. ab Eusebio relata L. 7. hist. c. 10., in qua loquens de Macriano quodam hoste Christianorum sic eum ridet: *'ος προτερον μιν 'επι τῆ καθολικον λογον λεγομενος 'εναι βασιλευς, 'εδὲ 'ευλογον, 'εδὲ καθολικον 'εφηροσεν*: quæ sic reddit Valesius: *Quis initio quidem cum καθολικος, id est, rationalis Imperatoris diceretur, nihil rationi consonum, nihil catholicum sensit aut publicum*. — Quæ eandem fidei regulam ubique teneat & profiteatur, hæc hujusce verbi *rationabilis* videtur esse significatio. Ita *Albasp.*

*ibid.* Quid tantæ pietati &c.

Ne quem in Deo Optimo Maximo *pietatis* offendat vocabulum. *Pro clementia*, id multis auctoribus usurpatum. Sic Claudianus: *Sis pius inprimis; nam cum vincatur in omni munere, sola Deos aequat clementia nobis*. Ita Dracontius: *Magna Dei pietas, semper qui temperat iram*. *Barth.* Hinc nata gallica vox *pisic*, quæ misericordiam tantum significat.

*ibid.* cur figitis limites?

In MS. S. G. *terminos*.

*ibid.* totus orbis.

Ita in MSS. S. T. & S. G. In editis *totius orbis*.

*ibid.* hæreditatem tuam.

In MS. S. G. in *hæreditatem tuam*.

*ibid.* præstitutum a Deo.

In MSS. S. T. & P. S. *Deo*.

*ibid.* cum cæteris.

In MS. S. T. *terris*.

pag. 23. in hæreditate.

In MS. S. G. *de hæreditate*.

*ibid.* fraudare laboratis.

In MS. S. G. *laboratis excludere*.



*ibid.* quid mendacem videre vultis Spiritum S.

Legendum quis conjectet *videri*; sed hoc ex nefandissimo Donatistarum voto non mutandum. Pari phrasi utitur Martialis: *Pendentem volo Zoilum videre*. Ita *Barth.*

*ibid.* vocata est ergo terra.

Vocare hic accipe, monet *M. Casaub.*, ut *Math. IX, 13.*: *Non veni vocare justos, sed peccatores*. Nam & *terra* & *cavo* sunt hic metaphoricæ. Etiam *creationis* verbum mox usurpatum ad spiritualem regenerationem pertinet. Nam ut de prima illa hominis e limo terræ creatione hic agat, quod verba prima facie videntur innuere, præcedentibus verbis accommodari nullo modo potest. Ait igitur vocatos esse gentiles, sicut legitur, id est, quemadmodum prædictum fuerat, vel ut ex historia propagati per gentiles Evangelii, quam sacri N. T. Scriptores contexuerunt, latius patet.

*ibid.* pronuntiate in gentibus.

Bina vice, qua occurrit in *gentibus*. habetur in MS. S. G. *inter gentes*.

*ibid.* qui in omni toto non estis.

In MS. S. G. legitur: *Qui omnino in toto non estis*. Melius: *Qui in omni toto non estis*, qui non estis pars totius, non estis pars universæ Ecclesiæ. *du Pin.*

*ibid.* pagani extralegales.

In MS. S. G. *extra leges*. — Nobis *exleges* comment. *Incert.* — Extra legem Christi. *Albasp.* — Qui legis divinæ participes facti non sunt. *du Pin.*

*ibid.* non sola Ecclesia, quæ in lege est.

*Lege*, id est, *scædere*, & extralegales, qui scædere exclusi sunt. Unde & in *Collat. Carthag. 371 373*. *legalia* vocantur *documenta* sive testimonia, quæ tamen e N. T. proferuntur. Apud Cyprianum quoque *Evangelii legem* est alicubi. Hujus locutionis ignoratio doctissimum Balduinum in magnum errorem induxit. Nam quod Optatus *Lib. I.* *Hæc enim nostra vox est, qui in trinitate baptismatis unionem defendimus: non pro vobis, qui baptismum, in cujus imagine sunt illa duo, audaciter, & quod contra leges est, iteratis*. Id Balduinus de legibus Imperatorum accipiens multum se torquet, ut inveniat, quas Imperatorum leges Optatus intelligere potuerit. Atqui vel sequentes lineæ: *Quamvis & vos ipsi non negetis, quia non debet iterari, quod semel jussum*

*sum est fieri, πολυθρυλλητα, & decantatissima illa: Qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lavandi, quibus se potissimum illorum temporum Martyres armare consueverant, contra vim & importunitatem hæreticorum rebaptizare volentium, quæque ab ipso Optato Lib. 5. multis tractantur, revocare ipsi in memoriam debuerunt, sed ut ad illa Optatum respexisse, ac isto semel alluisse intelligeret. Quod contra leges est, igitur, id est, quod contra Scripturas & Evangelica præcepta. Semel illud ita explicat, & Lib. 5. de hoc lavacro dixit: Qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lavandi. Qui semel dixit, prohibuit iterum fieri. Sed & proprie ac peculiariter leges baptismatis ab Optato nuncupatas eodem Lib. 5. reperias, quæ & præcepta ab illo repetuntur. Vide lector, quantum sit in verbis vel minimis recte expensis & intellectis, tantum certe sani cujusque judicio, ut, qui hæc negligunt, & fastidiunt, ut hodie multi, qui soli sibi sapere videntur, vel optimos quosque veteres Scriptores fastidiant, necesse sit; vel si legant, tantum ex illorum lectione proficiant, quantum si nunquam vidissent. M. Casaub.*

pag. 24. quæ est in toto &c.

In MS S G. & in editis sit.

*ibid.* quinque dotes (scil. Ecclesiæ), quas tu sex esse dixisti.

Quinque dotes illæ a Parmeniano memoratæ, quas agnoscit Optatus, sunt Cathedra, Angelus, Spiritus, Fons, Sigillum. Sexta, quam repudiat, est umbilicus, id videre est in sequentibus. *du Pin.*

*ibid.* conjungi altera dos non poterit, qui est angelus.

In omnibus MSS. loco poterit, potest. — *Angelus.* Ita in MS. S.G. In MSS. S. Th. & Ph.S. *angelus*, quamquam in priori litera *g* sit abrasa, legendum *angelus*; nam de eo postea, ut de secunda Ecclesiæ dote, agitur post Cathedram: *Igitur de dotibus supradictis Cathedra est (ut diximus) prima. . . quæ ducit ad se angelum. du Pin.* — Et quidem allusione facta ad septem angelos, de quibus D. Joannes Theologus Apocalypf. cap. 1. Ex quibus suspicari aliquis posset, *angelus* legendum esse. *Barth.* — *Albasp.* ita: Per anulum, ni fallor, intelligit potestatem dandi Spiritum S., vel ipsummet Spiritum S. Tertullianus de pudicitia: *Recuperabis igitur & apostata vestem priorem, indumentum Spiritus S., & anulum denuo signaculum lavacri, & rursus illi macta-*

*bitur Christus.* Item: *Annulum quoque accepit tum primum, quo fidei pactionem interrogatus obfirmat, atque ita exinde opimitate dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet.* Annulus igitur inter utrumque Baptismi & Eucharistiæ Sacramentum concedebatur; unde patet, de Confirmatione posse explicari, qua ante Eucharistiam Neophyti perficiebantur. Porro non bene suspicantur quidam, pro *annulo* legendum esse *angelum*; nam annulus est *dos*, non *angelus*.

*ibid.* prior Cathedram federit.

In MSS. S. T. & P S. *Carbedra*; sed legendum potius *Carbedram*, phrasi Optato usitata. Sic in Lib. 1. *cujus tu Carbedram sedes* &c.

*ibid.* in urbe Roma.

In MS. S. G. *Romana*.

*ibid.* unde & Cephas appellatus est.

Suspicitur Fr. Balduinus, hæc verba esse ineptæ alicujus glossæ ad marginem temere adscriptæ, & deinde abs librariis contextui insertæ. Certe Optatus Lib. 7. simpliciter ait, Petrum fuisse caput Apostolorum, neque præterea quidquam adjicit. *Incert.* — *Cephas* Syriace est *Petra*. Dixit ergo Christus: *Tu es Cepha, & super hanc Cepha*, quod græce reddidit Mathæus: *ὅτι σὺ εἶ πητραῖος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πητρᾷ, σὺ εἶ Πέτρος, & super hanc Petram.* Sed videtur Optatus id sibi velle, Petrum esse dictum *Cepham* a *κεφαλή*, quod *caput* significat, quæ allusio parum solida est. *du Pin.*

*ibid.* in qua una Cathedra.

In MS. S. T. *in quo*, vitio exscriptoris. — Habet Pontifex Christi Cathedram, & ea Cathedra una, non multiplex; quapropter ut quis eam habeat, oportet, ut eam a Pontifice, cui prima ea est tradita, accipiat. Hæc est Optati doctrina. *Albasp.*

*ibid.* unitas ab omnibus.

Id est, ut omnes adhærerent summo Pontifici; servare enim unitatem in prima illa Cathedra est, ab illa originem ducere & Sacerdotium accipere. Nota hanc loquendi formulam: *Servare unitatem in Cathedra summi Pontificis*; quibus satis liquet, Optatum credidisse & docuisse, primam cathedram, potestatem, missionem, quæ verba apud eum sunt synonyma, Romanam esse, eamque summum Pontificem occupare, ab ea cæteras vim suam & potestatem accipere debere, in ea & cum ea omnibus adhærendum esse, & qui cum ea non communicarent, schismaticos esse; nam

Opta.

Optatus ex his & ex consequentibus missionis & potestatis suæ rationem reddit, eamque non alio argumento probat, nisi quod cum summo Pontifice conjunctus esset. *Idem Albasp.* — Cui adherentes in una communione perstarent. *du Pin.*

*ibid.* singulas sibi &c.

Divisas scil. & separatas. Nam sicut unum est per plures Sacerdotium, ita singulæ Cathedræ ob unitatem Sacerdotii & communionem inter se dici possunt una Cathedra, sicut plures Ecclesiæ sunt una Ecclesia. *du Pin.* — Ergo cæterorum Apostolorum Cathedræ non erant primæ, neque singulæ, sed erant Cathedræ a Cathedra illa una, quam Christus Romæ constituerat; propagatæ & genitæ. *Albasp.*

*ibid.* cui successit Linus.

Probavit Optatus 1<sup>mo</sup> unitatem ac singularitatem Cathedræ Christi. 2<sup>do</sup> Romæ institutam fuisse. 3<sup>tio</sup> D. Petrum primo eam occupasse. 4<sup>to</sup> Apostolorum Cathedras ab ea mansisse. 5<sup>to</sup> illam Cathedram, quæ Petro tradita esset, ad Siricium & Damasum usque per seriem Pontificum maximorum pervenisse. *Idem Albasp.*

*ibid.* Evaristus.

In MS. S. T. *Eucharistus.*

*ibid.* Evaristo Sixtus.

Ita in MSS. hoc in loco.

*ibid.* Telephorus.

In MS. S. T. *Teleporus.* In MS. S. G. *Teleferus.*

*ibid.* Igino Anicetus.

In MS. S. T. male *Anicetus.*

*ibid.* Soteri Eleutherius.

In MS. S. Th. *Sotero.* — In MSS. hic inseritur *Alexander* omisso *Eleutherio*, sed perperam.

*ibid.* Zepherinus.

In MS. S. T. *Zepherinus.*

*ibid.* Eutyichianus, Eutyichiano Cajus, Cajo.

Desunt in MSS.

*ibid.* Marcellino Marcellus.

Deest *Marcellus* in MSS., & utrum ille diversus sit a *Marcellino*, non modica est questio.

pag. 25. Damaso Siricius, hodie.

Fr. Balduinus scribit, sibi hæc videri non *Optati esse*, sed *alicujus paulo post eum Scriptoris*; nam constat, *Optatum scrip-*

scripsisse hos libros circa annum 370. Siricium vero illum non fuisse creatum Episcopum ante annum 383. Constat, Optatum scripsisse hos libros imperante Valentiniano, ut Hieronymus testis est, atqui deinde imperante Theodosio adhuc vixisse Damasum etiam constat, & ipsa Lex Theod. de summa Trinitate & fide catholica id testatur.

*ibid.* qui noster est socius.

Scilicet cum quo communionem habemus, ac per eum cum omnibus aliis Episcopis, qui per epistolas, ut appellant, formatas cum ipso communicant. Ita est una Ecclesia, una Cathedra, unum Sacerdotium &c. quia Ecclesiæ, Cathedræ, Sacerdotes singulorum locorum unam constituunt Ecclesiam universalem, communionem, unum Sacerdotium, cujus pars in solidum a singulis tenetur. *du Pin.* — *Albasp.* ita: Hoc nomen non est nomen dignitatis, sed societatis; quemadmodum enim reges & principes, qui cum mercatoribus ineunt societatem, ac mercaturas faciunt, ratione illius societatis dicuntur socii mercatorum: ita ratione societatis & communionis ecclesiasticæ, quam Episcopi habent cum summo Pontifice, dicuntur ejus socii, quamvis dignitate & potestate longe sint inferiores.

*ibid.* cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.

Hic locus satis affectus est difficulter, legendum suspicamus: *Cum quo nobis totius orbis commercio formatae, uti in una communionis societate concordat.* Videat lector, an quid extendi sententiæ verbisque Afri nostri aptius omnino possit. *Barth.*

*Totus orbis.* Una, inquit *Albasp.*, totius Ecclesiæ debet esse communio; & quemadmodum Ecclesia, quæ per totum orbem est diffusa, unum constituit corpus; ita omnes illius corporis partes inter se semper communicare debent; hoc autem olim per Episcoporum communionem cum summo Pontifice fiebat; nam omnes fideles cum suis pastoribus in Missæ Sacrificio communicabant, pastores autem cum suis Episcopis aut ratione missionis, aut per Eulogias, quæ ad eos mittebantur, aut per Archidiaconos, aut denique in Synodis communionem celebrabant. Episcopi denique per literas communicatorias cum summo Pontifice habebant communionem. Et ita omnes fideles eadem communione fruebantur: hoc docet Optatus hoc loco.

Com-

**Commercio formatarum.** Absentes, notat idem *Albasp.*, per formatas communicabant, de quibus literis scripsit Bernardinus Ferrarius. Igitur ut staret communio, atque ut omnes corporis Christi partes inter se communicarent, omnes Episcopi singulis annis aut sæpius etiam literas communicatorias ad Pontificem mittebant, ut plebis sibi creditæ cum Christo communionem foverent. D. Augustinus contra Cresc. Lib. 3. cap. 34. ita scribit: *Quod hinc maxime credibile est, quod ad Carthaginis Episcopum Romano prætermisso nunquam Orientalis Catholica scriberet, ubi saltem vester scribi debuit, quem soletis Romam paucis vestris mittere ex Africa.* Illud literarum commercium poterat frequentari inter cæteros Episcopos; nam Carthaginensis Episcopus poterat formatam dirigere, & scribere ad Cæsareæ Episcopum, sed prætermisso Episcopo Romano non poterat, hoc est, ab Episcopo Romano debuerat discere, antequam scriberet, quis esset legitimus Cæsareæ Episcopus, & tum demum ad eum scribere: deinde non erat necesse, ut Episcopi mutuas sibi literas scriberent, ut communio inter eos celebraretur; nam cum omnes cum summo Pontifice communicarent, per illam communionem omnes etiam inter se communicabant. — Quod Optatus hic dicit, significat Epistolas illas communicatorias certa formula conceptas, quas tanquam fidei suæ tesseræ & consensionis symbola Episcopi orthodoxi mittebant ad Romanum. Sic formatas appellari testatur ipse August. ep. 163. sed & disputans cum Fortunio Donatista, jactante suam Ecclesiam esse catholicam, quæsit, utrum tales formatas epistolas posset, quo vellet, dare; sic enim facillime illam terminari posse quæstionem. *Bald.*

*Nobiscum.* In MS. S. G. In aliis & in editis *nobis.*

*ibid.* vestræ Cathedralis.

Suæ, inquit *Albasp.*, rationem & originem edidisse videtur Optatus, quando Parmenianum ad id faciendum invitet & compellat. Hoc autem fecit Optatus, docendo se cum summo Pontifice communionem habere, & participare cum prima illa Cathedra, quæ una est. Itaque ex summi Pontificis communionem duo possunt deduci: Episcopum schismaticum non esse, unaque & legitima eum uti potestate & missione.

*ibid.* sed & habere vos in urbe Roma.

Quod scirent Donatistæ, sine Pontificis Rom. communionem Ecclesiam se habere, & in ea esse non posse, atque ab ejus

*com.*

communione ut hæretici separati essent; ideo Episcopum ex suis Romam mittebant, ut possent dicere, se Romæ habere Episcopum, & cum Episcopo romano se communionem habere. Hoc patet ex hoc loco & ex Collatione Carthaginis, in qua volebant Pseudo-Episcopum suum Romanum interesse; quæ res vehementer deberet hæreticos nostros commovere, qui Pontificis auctoritatem minuere conantur: cæterum nota verbum illud *partem habere*, hoc est, communionem habere; cum enim in missione ordinamus, dicimus *partem cum iis habituros*, pollicemur, eos habituros communionem cum iis omnibus, qui bene ministraverunt ab initio. *Albasp.*

*ibid.* ramus est vestri erroris.

In MS. S. G. *ramulus*, non ineleganter. — Hoc est, ille Pseudo-Episcopus, quem Romæ constituistis, est ramus productus ex trunco erroris vestri & schismatis, quod est in Africa; non est radix, sed ramus. Atqui Episcopi Romani non sunt missi ab aliquo, non sunt rami, sed sunt radix, cæteri ab eo manant & originem ducunt, illi a nullo oriuntur. *Albasp.*

*ibid.* Macrobius.

Ille, qui tunc pro Donatistis Romæ agebat. *Albasp.*

*ibid.* ubi illic sedeat.

Quam auctoritatem habeat, & a quo accepit. *Albasp.*

*ibid.* in Cathedra Petri.

Cum Siricius in Petri Cathedra sederet, necesse erat, ut aliam occuparet Macrobius. *Albasp.*

*ibid.* si vel oculis novit.

Neque oculis novit altare, ubi Petrus obtulit; neque Ecclesiam, ubi fidelibus præfuit, & in qua Apostolatam exercuit. *Albasp.*

*ibid.* ad cuius memoriam.

Scilicet ad Petri memoriam: hoc loco accipit memoriam pro reliquiis D. Petri, ad quas non audebat accedere Macrobius, & cum iis communicare, qui erat schismaticus. Omnes olim Episcopi cum decessoribus suis communionem agebant, quia cum eis una eademque persona & corpus censebantur, & quia etiam corpus Christi non solum constat ex membris, quæ videntur, sed ex iis etiam, quæ in pace secesserunt; quapropter ut perfecta esset communio, & ut concinnata a primo Episcopo, qui in ea sede sederet, vi-

dere-

deretur, cum omnibus Episcopis mortuis communionem faciebant: hoc autem fiebat multis modis, vel Missas super eorum reliquias celebrando, vel eas deosculando, vel eorum nomina inter sacra e diptychis efferendo. Ut ergo Optatus ostendat, Macrobiū non esse legitimum Rom. Ecclesię Episcopum, atque adeo Petro non communicare, dicit eum ad ejus reliquias non accessisse. *Albasp.*

*ibid.* contra Apostolum faciens, qui ait, memoriis Sanctorum &c.

Rom. XII, 13. quo loco *μνημεις* pro *χρημεις* ab antiquis nonnullis est lectum. Balduinus ad hunc locum notavit, & plura Lucas Brugensis, in notis ad N. T. *Albasp.* ubicunque *memorias* reperit, *reliquias* interpretandum putat; cum tamen ex antiquissimis, qui lectionis illius meminerunt, quidam pro *recordatione* acceperint, sed neque apud alios *memoriae* idem quod *reliquiae*. Erigebantur enim *memoriae*, *reliquiae* condebantur. Erigebantur autem vel templa, vel altaria, in quibus, si quas Sanctorum veras reliquias habebant, condere solebant & asservare. *Memoriae* igitur sunt templa ut plurimum, aliquando tantum altaria, quae seorsim & singularia saepe extruebantur. Caeterum *Albasp.* tanti facit hanc lectionem ita a se expositam & enarratam, ut, etsi vulgatae versionis ab omnibus receptam lectionem, *necessitatibus Sanctorum communicantes*, plane repudiare non audeat, alteram tamen veteri disciplinae si reciperetur, magis consentaneam non vereatur pronuntiare. Adeo sordebat homini ex mera, quantus erat, antiquitate composito, quidquid ad veteres seu veros seu fictos ab ipso ritus trahere non poterat. Ego vero veteri disciplinae tam consentaneam esse illam versionem ausim praestare, ut nulla magis esse queat. Unde factum est, ut olim, quoties nihil esset, unde necessitatibus pauperum subveniretur, sanctissima quaeque Deo consecrata vasa, vela, quaevis alia, conflare, confringere, distrahere, nulla religio esset, quo sanctissimo huic praeepto quoquo modo satisfaceret. Id saepe a veteribus Ecclesiae praesulibus, viris verae & antiquae pietatis, etsi interdum non sine invidia, majori tamen semper cum laude factitatum esse testes illorum temporum historiae. *M. Casaub.*

*ibid.* memoriis Sanctorum communicantes.

Hunc ad Rom. locum de reliquiis & Sanctorum memoriis, non de necessitatibus explicat cum Hilario, Rufino & Ambrosio, quae



quæ lectio veteri disciplinæ magis convenit. *Albasp.* — In græco exemplari Paulinæ Epistolæ est *χρησις*, id est, *necessitatibus*. Latini videntur legisse *μνησις*, qui verterunt *memoriis*. Sed mirum est, Optatum interpretari de templis Martyrum, quæ memoriæ dicebantur, quasi dicas monumenta. Turrianus allegat antiquum librum Eustachii Constantinopolitani, qui eum Pauli locum retulerit ad memoriam Christianorum defunctorum, pro quibus orandum sic. *Bald.* — Locus Apost. Pauli ad Rom. XII, 13. ubi habetur *necessitatibus* seu *indigentis*, *ταῖς χρεῖαις*, *Sanctorum communicantes*. Sed quidam Codices habuere *ταῖς μνησις*. *memoriis*, & ita Optatus & Hilarius in L. in Constantium, Rufin. Pelagius, Ambrosiaster, Sedulius, Chrysológus homil. 120. & Gregorius III. in Epist. ad Optimates & populum Germaniæ. Id etiam interpretatur de memoriis seu reliquiis Sanctorum, August. Serm. de verbis Domini nunc 137. c. ult.: *Communicatis membris Apostolorum, communicatis membris sanctorum Martyrum*. Attamen de necessitatibus & indigentis Sanctorum, hoc est, Christianorum, intelligendum esse Apostolum longe est verosimilius. Sed excusandus Optatus, qui communem suo tempore lectionem secutus est. *du Pin.*

*ibid.* Præsentes sunt ibi duorum memoriæ Apostolorum.

Tempore Optati reliquiæ D. Petri & Pauli Romæ fuere. *Albasp.* — Ædes sacræ, in quibus extant reliquiæ Martyrum, memoriæ sunt. Conc. Carth. v. c. 14.: *Placuit, ut altaria, quæ passim per agros aut vias tanquam memoriæ Martyrum constituentur*. In Conc. Calced. act. 1.: *ἢ τὰς ἀγίων μνησις*, pro *in Ecclesiis Sanctorum*. Cajus Scriptor Optat. longe vetustior de templis illis, in quibus erant Apostolorum sepulchra, sic apud Eusebium loquitur Lib. 2. hist. c. 25.: *Ego vero Apostolorum trophæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophæa eorum, qui Ecclesiam fundarunt*. *du Pin.*

*ibid.* aut obtulit illic.

In editis *ita ut obrulerit*. — Ita ut Sacrificium Missæ obtulerit super ejusmodi reliquias; quare, cum Sacrificium non potuerit offerre super reliquias D. Petri, cum eo non communicat: & rursus: quia non communicat cum D. Petro, non sedet in Cathedra Petri; & si non sedet in Cathedra, nullam

nullam vos cum Romano Pontifice habetis communionem. Cæterum nota ex Optati doctrina, cæteros quidem Episcopos suæ Cathedralæ rationem reddere ex communionem, quam habent cum summo Pontifice, Pontifices autem maximos suæ rationem non petere ex communionem cum cæteris Episcopis, sed ex communionem, quam habent aut habere debent cum reliquis D. Petri & cum ipsomet D. Petro. *Albasp.*

*ibid.* Ballitanus.

In MSS. C. *Bellitanus*. — Seu *Vallitanus*, erat inter Numidiæ Episcopos. In Collat. Carth. *Episcopus plebis Vallitanæ*. In noticia Episcop. Africæ vocatur *Viletanus*, & in alio Cod. *Villeanus. du Pin.*

*ibid.* Victor Garbiensis.

Primus, qui a Donatistis Romam est missus, ut illic Pseudoapostolatum exerceret. *Albasp.*

*ibid.* ad paucos erraticos.

Ad paucos Donatistas, qui Romæ sine Ecclesia & Pastore erant, qui cum aliis non colligebant, nec synaxin faciebant; qui enim non colligit cum Episcopo, spargit & est erraticus. *Idem.*

*ibid.* quid est hoc, quod pars vestra in Roma &c.

Scimus *rotos pro omnes* hic a melioris notæ Scriptoribus vel Servio doctore poni. Tamen hoc verum non esse, *rotos Afros* sibi successisse in schismatica Donatistarum Cathedrala apud urbem, historis alibi demonstrabimus. Et minus hæc vox ad Afros & peregrinos simul hoc loco facit. Quare necessariam adhuc ego arbitrer correctionem: *Tos jam Afri & peregrini. Barth.*

*ibid.* Episcopum civem.

Episcopi olim debebant esse cives illius loci, in quo ordinabantur, ut eorum mores & vita a civibus, quibus præficiantur, & a quibus nominabantur, cognoscerentur. At contra hanc disciplinam omnes Episcopi Donatistæ, qui erant Romæ, Africæ peregrini erant; quo manifestum hæbat, eos non electos, sed factione obrepisse. *Albasp.*

*ibid.* peregrinus.

Is olim censebatur peregrinus, qui non erat natus in loco illo, in quo ordinabatur, quanquam per multos annos jam commoratus esset ibi. Hoc patet ex epist. Epiphani ad Joan. Antiochenum. Cæterum ex antiqua disciplina peregrinus non debuit ordinari. *Albasp.*

*ibid.* quid est, quod toti Afri & peregrini in illa civitate sibi successisse noscuntur?

Corrigit Barthius, quod tot jam Afri &c. necessaria, ut ait, correctione. Sed nihil temere videtur esse mutandum. Toti Afri locutio Afris usitata & inter cæteros Apulejo. *Incert.*

*ibid.* interea Victor Garbiensis, ut hinc prior mitteretur.

*ro mitteretur* repetitum, turbat ordinem orationis, & intricatam reddit, si continua serie legas ad secundum illud *miseretur*. Possis tamen ita accipere: interea, quod primus Victor Garbiensis hinc sit missus, non dicam consulto consilio factum, ut tanquam *lapis in fontem*, quia revera nil tale consecutum est; sed nimirum, quia quibusdam Afris &c. sublata nempe *τη παροδίου* punctoque post *ro perturbare* geminato. Utcunque tamen legas, non abhorret ab Optati stilo, nec immorari his necessum. *Casaub.*

*ibid.* lapis in fontem.

Ecclesia fons, & hæretici turbant ejus puritatem. *Albasp.* — *Urbica* vel Romana urbs. *Albasp.*

*ibid.* qui illos colligeret.

*Colligere*, græce *συναγω*, vox usitata ad solennes Christianorum *συναγῆς*, seu conventus significandos. *Colligere* is dicitur, qui præest Synaxibus, seu conventibus Christianorum. Apud Iræn. L. 3. cont. Hæres. c. 3. qui, præterquam quod oportet, colligunt, sunt illi, qui præerant hæreticorum & schismaticorum conventibus. *du Pin.*

*ibid.* filius sine patre.

Sine ordinatione, sine decessore, ex se ipso ibi natus, nemini succedens, a nemine Romæ ordinatus. Cæterum Episcopi parens est is, qui Episcopo imponit manus. *Albasp.*

*ibid.* tiro sine principe.

Is tiro Episcopi, a quo ad Episcopum ordinatur. Victor autem ex Africa missus & non Romæ ordinatus, fuit tiro & discipulus sine magistro. *Albasp.*

*ibid.* sequens sine antecedente.

*ante* deest in MS. S. G. — S. Cyprian. L. 1. Epist. 6. dicit: *Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest; quia evangelica & apostolica traditione contempta nemini succedens a se ipso ordinatus est.* *Albasp.*

*ibid.* hospes sine hospitio.

Alludit ad illud: *Jam non advena, sed hospites, docetque, Vi-  
ctorem, quamvis esset Christi hospes, Romæ non habuisse  
hospitium. Albasf.*

*pag. 26. quadraginta & quod excurrit.*

Plures erant Romæ Basilicæ, in quibus colligebatur populus:  
*Albasf.* — Jam tum temporis, cum scilicet Victor missus est  
circa initium schismatis Donatist. erant Romæ 40 Basilicæ.  
Cornelius Papa in Epist. ad Fabium 50 annis ante id tem-  
pus scripta dicit 46 Presbyteros jam tum in Ecclesia Ro-  
mana fuisse, qui Presbyteri pluribus videntur præfuisse Eccle-  
siis Basilicis. Athanasius in apologia contra Arianos di-  
cit, Concilium Romanum 50 Episcoporum in sui gratiam  
habitum a Julio congregatum fuisse eo in loco, ubi Vito  
Presbyter agebat conventus: *ἡ δὲ Βίσις τῶν ἑπισκοπῶν συν-  
ῆεν.* Habuere ergo ab antiquis jam temporibus singuli Pres-  
byteri suas Ecclesias, in quibus colligebant populum, ut  
sacrificaret & synaxin faceret, & nullam ex his Basilicis  
habere potuerunt Pseudoepiscopi Donatiani. *du Pin.*

*ibid.* sic speluncam quandam foras a civitate &c.

Quod est vel quale ipsum hoc tempus? Sodes, iudice me, le-  
ctor, utere & reponere: *ubi pro tempore: possent* quidem  
*ἄντι: potuissent*, usus vulgaris latinitatis poscebat; sed Op-  
tatus, qui fortassis penitius norat, secutus est morem mo-  
dumque loquendi usitatum bonis Scriptoribus, quem *muta-  
tionem temporum in verbis*, licet nobis indigitare, a Dio-  
mede Grammatices L. 2. inter species solœcismi relatum.  
Sic idem Optatus *potuisset* pro *potuerit* usurpat, *facerent*  
pro *fecissent*, *intraverat* pro *intravisset* &c. Hæc cui Afrum  
sapere, aut esse fugienda instar scopuli, ita enim loquun-  
tur solentes Grammaticastri, illi parvuli, videntur, ille,  
me iudice, recentium observatorum libros evolvat, habe-  
bit, quo mutare velit sententiam. Nominatim Laur. Vallam  
L. 3. elegantiar. c. 48. Barrientum Silva annotationum c. 10.  
Bernardium ad Papinium majore conatu, quam effectu illu-  
stratum. Val. Acidallium ad Curtium L. 5. C. Rittershusium  
ad Ligurinum Gunteri L. 1. c. 4. Albericum Gentilem ad  
L. 1. Maccab., & alios, quorum nomina nos nominare nõ-  
lumus. *Barth.*

*ibid.* cratibus senserunt.

*Cratibus.* Ita in MS. S. G. mellus quam id, quod habetur in  
MS. S. T. & P. S. *gradibus.* nec enim *gradibus* sic sequa, sed

*eratibus.* — Gradibus sepire quid sit, non capio; nisi quod de gradibus non alienum, quibus fortasse descensus in speluncam. At *muris* aut *cratibus* (quod aliquando reponendum hic putavi) *sepire* proprie dicitur. Adponam locum Servii, qui non alienus ab hoc loco. Servius igitur ad illa Virgilii L. 4. *Æneidos*: *Centum aras posuit; alii, inquit, templum dicunt, non solum, quod potest claudi, verum etiam, quod palis aut bastis, aut aliqua re tali, & lineis aut loris, aut simili re septum est, quod ecclatum est.* Ita postrema verba commendat Jos. Scaliger ad Festum p. 88., cum antea legeretur, & *factum est.* Quod ait Optatus *ipso tempore*, nihil opus erat Barthiana emendatione, qui pro *tempore* legit *ipso tempore*, valet eo vel *ipso*. Ita Optatus ipse L. 1. *Officialis publicus ipse temporis*, id est, *eiusdem*. Ita & Victor Uticenf. L. 1. *quod ipso gestum est tempore*, & post aliquot iterum paginas: *qui paulatim deficientes nunc simul ipsi superstites sunt res.* Isti, voluit dicere, quos deinceps nominat. Dabit lector veniam, si interdum hæc minima prosequimur. *M. Casaub.*

*ibid.* ubi *ipso tempore* conventiculum potuissent habere.

Quod est, vel quale ipsum hoc tempus, percontatur *Barth.* legitque, *ubi pro tempore, potuissent utriusque possent* positum, quod quidem usus linguæ lat. poscebat; sed Optatus secutus est modum loquendi, quem *mutationem temporum in verbis* licet appellare; a Diomede Grammatico inter species solæcismi relatam, L. 2. *Et ne regredi ad meliora potuissent, ipsi sibi scibismatis compedes posuere.* Arnobius quoque L. 1. *Ipsa denique hircere si animantia muta potuissent, si in linguarum nostrarum facilitatem solvi; imo si arbores, glebæ, saxa sensu animata vitali, vocis sonitum quirent, & verborum articulos integrare.* Qui locus doctissimo critico sollicitandus non fuit, mutando *potuissent* in *possent*. Sic *potuissent* usurpat Optatus pro *potuerint* p. 73. *facerent* pro *facissent*, alibi; *intraverat* pro *intrasset*; quæ omnia, ut & quod dicit p. 53. *loquimur pro locuti sumus*, ejusdem modi haberi decet, nempe *mutati* nomine temporis. *Incert.*

*ibid.* Montenses appellati sunt.

De Montensibus vide Augustin. de unitate Ecclesiæ. Hieronymus in Chronico ad an. Christi 356. *Donatus, a quo supra Donatianos dici memoravimus, Carthagine pellitur. Quidam sectatores ejus etiam Montenses vocant, eoquod Ecclesiam prius*

prius *Roma in monte habere cœperunt*. Idem in Libri sine contra Luciferianos inter eos, qui ab Ecclesia sunt extorres, memorat *Montenses* seu *Campitas*. Aug. Epist. olim 165. nunc 53. post enumeratam ad exemplum Optati, Rom. Pontificum successionem, sic etiam argumentatur: *In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur. Sed ex transverso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis præficens Afris in urbe Roma, Montenſium vel Cutzupitarum vocabulum propagavit.* Pro *Cutzupitis* vel *Cuzupitis* plerique volunt legi *Rupitæ*; Donatistas enim *Rupitanos* vocat Augustinus L. de Unit. Eccl. c. 3.: *In paucis Romæ Rupitanis vel Montenſibus*; sed in postrema editione Op. S. Aug. restitutum est ex fide MS. Floriacensis *Cutzupitanis*. 2 MSS. Vaticani habent *Cutzumpitarum*. Cotelierius ex conjectura putat esse corrigendum *Scotosopitarum*, a *σκotos* tenebræ & *τοπος* locus. Forte & ex Hieronymo hic locus S. Augustini est emendandus, ubi legitur *Campitæ*, quod & convenit Optato, qui dicit: *eos foris e civitate speluncam cratibus quandam sepisse*, hinc & æque *Campitæ* seu *Montenses* dici potuere. Attamen S. August. L. de Hæres. c. 69. tantum de Donatistis Romæ degentibus ait: *Montenses* eos in urbe Roma vocari. In lege Honorii Cod. Th. Lib. 43. quoque *Montenses* vocantur. *du Pin*. — Sic Hieronymus in Chronico ait, sectatores Donati Carthaginensis a quibusdam vocari *Montenses*, quia Ecclesiam Romæ primam in monte habere cœperint. Idem adversus Lucifer. nominat *Montenses* sive *Campates*. Ac quidem Erasmo assentior, *Campates* seu *Campenses* eum adjecisse quadam allusione ad *Montenses*. Sed nunquam dixero, quod Erasmus dicit, *Montenses* dictos esse a *Montano*: sicuti neque Epiphanio subscribam scribenti in suo Ancorato *montanus* Romæ vocari *montanus*. De Novatianis manifesto errore dicit, quod de Donatistis dicendum erat. Augustin. Lib. de Unit. c. 3. Romæ hos vocat *Montenses* seu *Rupitanos*. Credo alteram fuisse allusionem ludibrii causa. Idem in epist. 165. de quodam Episcopo Donatista loquens: *Præficens (inquit) paucis Afris in urbe Roma Montenſium sive Cuzurpitarum vocabulum propagavit.* Suspicio legendum esse *Rupitarum*. Prætereo, quod memini in quadam etiam lege Honorii L. 43. C. Th. de Hæret. scriptum quoque est, Donatistas etiam vocari *Montenses*. Adjiciam potius, quod Aug. Lib. de Hæres. *Ibi*, inquit, *heretici in urbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solens Episcopum mittere, aut*

*hinc illuc Afri Episcopi eorum pergere, si forte eum ibi ordinare placuisset. Ac quidem Optatus hoc loco numerat & nominat quosdam ibi ordinatos. Inter quos cum meminit Macrobiani, venit mihi in mentem, quod Gennadius scripsit, sese ex scriptis Optati cognovisse, Macrobianum (qui, cum adhuc Presbyter esset in Ecclesia Dei, scripserat librum ad Confessores & Virgines) postea Donatianorum in urbe Roma sive Montensium Episcopum occultum fuisse. Bald.*

*ibid.* salutare claves.

*Salutaris* in MS. S. T.

*ibid.* contra Cathedram Petri.

Tertia ex Ecclesie dotibus, de secunda nil dicit. *Albasp.* — Contra hanc Donatistae militabant, qui Ecclesiam non nisi penes se esse iactabant. *Idem.*

*ibid.* super se reverterentur.

Ad Ecclesiam redirent. *Albasp.*

*ibid.* in via ambulatur, non statur.

Optatus verba Danielis sic interpretatur, & *παραφραζου* beatus &c. *Et in via peccatorum non stetit.* Qui si quando ab impiis seductus & abductus eandem cum illis viam institit, non perstitit tamen, sed ab incepto cursu gradum ocius revocavit, & ad sanam mentem cito rediit &c. Cur autem interpretetur ita, hanc rationem reddit: quia, ait, alioquin improprie locutus esset Propheta, si illud *stetit* de ipso standi sive consistendi actu, non de continuato cursu acciperemus. *In via enim ambulatur* &c. mox pro *me ad pacem*, scribe, *nec ad pacem.* *M. Casaub.*

*pag.* 28. non oblatam accipere.

Alias editiones melius hic *nec oblatam*; fortasse tamen non hic temere *non* illud. Expende enim sequentia, & agnosces vix coherere, nisi legas, *quam non ultro*, id est, *nec ultra*, ut *nec opinus*; pro *non opinus*, &c. *voluistis querere, nunc oblatam libenter accipite*: mox, *esse separatos*, illud esse melius abesset; quod tamen Optati, an librariorum vitio hic sit, haud facile dixerim. *M. Casaub.*

*ibid.* quam probavimus per Petrum &c.

Per communionem, quam cum summo Pontifice habemus, & per eum cum divo Petro, probavimus, Ecclesiam & Cathedram penes nos esse. *Albasp.*

*ibid.* quae ducit ad se angelum.

Qui habet Spiritum S., qui habet potestatem S. Spiritum conferendi & manus imponendi, qui trahit ad se Spiritum S.

ex vi Cathedræ, quæ ei tradita est. Per angelum enim intelligit S. Spiritum, ut patet ex his: *Non enim Spiritum sanctum soli vobis vindicare potestis ac includere. Albasp.*

Per angelum nonnisi Episcopum intelligunt, legitimam habentem potestatem regendæ Ecclesiæ. Non habebant hujusmodi angelum Donatistæ, quandoquidem eorum Episcopi non agnoscebantur tales, & ab aliarum Ecclesiarum Episcopis pro Episcopis non habebantur. *du Pin.*

*ibid.* habetis in oculis inclusum.

Habetis S. Spiritum, qui est secunda dos Ecclesiæ, in loculis clausum. *Albasp.*

*ibid.* mittite illum, si potestis.

Si habetis S. Spiritum, mittite illum in Asiam, ad illas septem Ecclesias, quæ ex auctoritate Apostoli censentur illum habere, ut excludat spiritum, qui illas Ecclesias gubernat; & ita concedemus vos habere spiritum sanctum, & dandi potestatem, quæ est secunda Ecclesiæ dos; sed si spiritus vester non potest excludere spiritum illarum Ecclesiarum, non est verus spiritus, sed pseudospiritus. *Idem Albasp.*

*ibid.* apud socios nostros.

Quia cum illis communicavimus. *Albasp.*

*ibid.* cum quibus Ecclesiis.

Quia non probabant ad eos se posse scribere. *Albasp.*

*ibid.* unde vobis angelum.

Unde constat, vos non habere Spiritum sanctum, hoc est, vos eum conferre non posse. *Albasp.*

*ibid.* possit fontem movere.

Possit Ecclesiam vestram animare: alludit ad octavum Caput Apocalypsis, vel si mavis cum Tertulliano, existimabat angelos movere aquas baptismi, & vim aliquam his inspirare, de baptismo: *Igitur medicatis quodammodo aquis per angeli interventum, spiritus in aquis corporaliter diluitur.* Item: *Angelum aquis intervenire.* Item: *Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta corpora libens a patre descendit, super baptismi aquas.* Docet baptizatis Spiritum S. in iisdem aquis infundi, idem hic docet Optatus. *Albasp.*

*ibid.* extra septem Ecclesias.

Qui non communicant septem Ecclesiis habentibus Spiritum S., foris sunt, id est, qui non habent Spiritum S., foris sunt. *Albasp.*



*ibid.* aut si habetis aliquem.

Aut si ab illis Ecclesiis Spiritum S. accepistis, spiritus ille, qui vos regit, facit, ut communicetis cum aliis angelis, a quibus eum accepistis, quia unus & idem spiritus est. Quod si aliis Angelis communicatis, cum illadem Ecclesiis & cum nobis societatem habetis. *Albasp.*

*ibid.* si ita est, litigium &c.

Si ita se res habet, ut, quæcunque Ecclesia unum habet angelum, cæteris quoque per illum communicet angelis & Ecclesiis; cum vos constet aliis minime communicare Ecclesiis, quid superest, quam ut causa plane excideritis? *Casaub.* — Donatistæ perdidissent causam, si cum orthodoxis, vel cum Asiaticis communionem aliquam habuissent; nam perperam rebaptizarent orthodoxos, si eorum communionem approbassent. *Albasp.*

pag. 29. ecce jam apud vos &c.

Vult dicere, Donatistas non sibi vindicare & ita includere posse spiritum, ut non sit apud orthodoxos. Apud eos non potest esse, quia nulla inter eos est communio. *Albasp.*

*ibid.* non enim spiritum &c.

Tertia secundum Parmenianum Ecclesiæ dos est spiritus adoptionis, quo fiunt Christiani Dei filii, hoc ait carere Ecclesiam, cum nonnisi filios gehennæ pareret. *du Pin.*

*ibid.* si hoc convitium faciendum.

Totus hic locus est obscurus; fortasse scripserat Optatus: Si hoc convitium faciendum eras, quamvis sine causa fiat, utinam aliquis (forte alius quis) ex vestro numero hoc dixisset, & tamen (vel te tamen) eum fuisset, satis admiror. Id falso in alterum diceret, vel dicere te ex quo, si ordinationem tuam consideres, possis & erubescere? Quod non licet tanquam glossa, & quamvis sine causa fiat, qualia vulgo solent e margine in ipsum contextum irrepere, penitus expungo. Tamen pro autem, interdum poni ad Vopiscum historicum observatum est. Quod si quis subtilius ista distinguere voluerit, non licet & sine causa fit, per me licet illi; ut mihi tamen integrum sit illud, quod probo magis sequi. Ideo autem dicit Optatus, quod Parmenianus esset peregrinus. Quod licet non hic exerte, alibi tamen disertis verbis ipsi objicit. Possis etiam, si resineas illud, quamvis sine causa fit, ita interpretari. Quandoquidem tamen ita vobis sedet, convitium utcumque illicitum facere, utinam &c. *Casaub.*

*ibid.* utinam alius ex vestro &c.

Utinam alius quam tu hoc dixisset, *Albasp.* — Rebaptizatus  
jam

jam Parmenianus rursus se ad occupandam Carthag. sedem permiserat rebaptizari, & sic eis conveniunt illa verba: *Vos facitis eum filium gehenne dupliciter; dein & hæc: Circuitis maria & terras, ut faciatis profelyrum aliquem,* nam Parmenianus erat peregrinus, & Donatistæ eum ex Hispania in Africam transtulerunt. Hinc & ea verba hanc videntur confirmare explicationem? *Numquid nos adduximus aliquem Hispanum aut Gallum, aut ordinavimus nos ignorantibus peregrinum? Albasp. du Pin.*

*ibid.* sed importune a te dictum &c.

*Dictum est.* Ita in MS. S. G. In aliis & in editis *dictum esse* *estimo*; sic autem minus bene oratio cohæret. — *Foris* deest in MS. S. G.

*ibid.* peragravimus.

In MS. S. G. *circuivimus.* — Vult dicere, in solos Donatistas hoc cadere, qui peregrinauerant. *du Pin.*

*ibid.* ignorantibus.

Apud orthodoxos inde autem non eligebantur peregrini Episcopi, quia populus mores eorum deberet nosse, cui præficiebantur. *Albasp.*

*ibid.* nam & fontem &c.

Cum verba hæc non cohæreant cum cæteris, deesse quid videtur. *Albasp.* — *Bald.* quoque putat, multa hic deesse; ne quis alioquin credat, hanc Optati disputationem de Ecclesia ejusque dotibus ac insignibus esse imperfectam & jejunam. Verba etiam ista Optati, quod Donatistæ socios suos in peccato detectos non rebaptizabant, minime de Maximianistis intelligenda, cum dissidium Primianum inter & Maximianum post Optati ætatem acciderit. Optatus etiam hoc peccatum Donatistis nondum objicere potuit, quod lapsos rebaptizabant, cum ejusdem vitæ tempore id nondum agere solebant, Augustini autem tempore id egere; hinc & is tam sæpe reprehendit eos ob hunc rebaptizandi morem. Imo Optatus refert variis locis, quod Donatistæ, cum baptismum conferrent, nihil, quod in Ecclesia moris est, præterirent. — Enumerationem cæterarum dotium Ecclesiæ a Parmeniano factam leviter tantum Optatus attingit, hinc videtur aliquid deesse. Optatus umbilicum ultimo repudiat, sed non argumento magno, ut Parmeniani allegatum, umbilicum esse altare, levius adhudum est. Ipse Optatus se fufius de Cathedra, quam de aliis dotibus dixisse innuit; nam ait, per Petri Cathedram

& cæteris Ecclesiæ dotes esse apud Catholicos, id est, fluere ex illa. *du Puy.*

*ibid.* nam cum in canticis.

Non cohærent cum præcedentibus; tractatio hæc tota a partibus constabat. Quinque prima parte tractatas dotes a Parmeniano agnoscit Optatus quidem, sed afferit veræ Ecclesiæ, & quæ super his a Parmeniano male, is arguit & rexit. Post & Optatus refutat eum, quod sex adnumeret; cum quinque tantum sint dotes. Versabatur adhuc in prima parte, & agebat de fonte præcedente sententia, & ecce subito agitur res nova, & nova adferuntur argumenta, sine ulla conclusione præcedentium, aut aditu, qui viam faciat ad novam disputationem. Hinc hic asterisci, hiatus indices erant ponendi, non autem ante *re restat*, ut Balduin. putat. Tunc, cum vicit & ostendit, *umbilicum* non tanquam sextam dotem debere accipi, recte concludit: (nulla alia de numero erat controversia) *restat jam ut dotes &c. Casaub.*

*pag. 30. tornatilis.*

In MS. S. G. *tornatus.*

*ibid.* si.

In MS. S. G. *et si.*

*ibid.* vel fero.

In MS. S. G. *vos servos*, sed contra mentem auctoris.

*ibid.* non de se nascitur.

Optatus L. I. contra Donatistas ait, *quod nati essent de se*; in hoc loco putat: Qui non oritur ex alio fonte notæ & conspicuo. *Clericus.*

*ibid.* ramus concisus.

In MS. S. T. & in editis, *a ramo concidi*, licet non ad Scriptoris mentem.

*ibid.* symbolum Trinitatis.

Malo potius hoc simpliciter accipere, quam mystice, & cum Victore Utic. dicere, quod sit *fides integra Trinitatis*; nam symbolum, fidei nostræ summa. *Casaub.*

*ibid.* cum probatum est non esse &c.

In MS. S. G. *cum probatum non est, esse in Ecclesia &c. apud quos - - non est.* Sed lectio illa non immutanda. *du Pin.*

*ibid.* et per Cathedram Petri &c.

Nullam esse Donatistas communionem cum hac Cathedra, hinc & nec dotes illas horum Ecclesiæ esse secundum Optatum. *Albasp.*

*ibid.*

*ibid.* excusatione.

In MS. S. G. *executione.*

*ibid.* post nos rebaptizatis, & post socios vestros in peccato detectos hoc non facitis.

*Baptizatis* in MS. S. G. — Inepte quidam vir doctissimus adnotavit intelligi de Maximianistis. Nam post ætatem Optati accidit illud inter Primianum & Maximianum Donatistas dissidium, quod quidem inter hos schismaticos novi schismatis principium fuit, cum utraque pars obtenderet sui generis Concillium, illa Carthaginense, hæc Bagaiense, & tamen neutra quidquam alterius baptismo detraheret. Nihil est, quod Donatistis sæpius objiciat Augustinus rebaptizantibus post Catholicos. Sed Optatus non potuit objicere, quod nondum erat, vidit tamen aliquid non dissimile, quod hic objicit. Historiam illam Maximianistarum integram exponit Aug. Lib. de gest. cum Emer. & L. 4. contra Cresc. c. 10. & L. 3. c. 53. & 56. sed & in Ps. 36: *Bald.*

*ibid.* constituta persona.

Sum. Pontifex, cum quo communicavimus. *Albasp.*

pag. 31. in Sacramentis & in nominibus Trinitatis.

Id est, personarum trium, Patris & Filii & Spiritus S. *Caf.* —

Id est, in Baptismo, ubi nomina Dei Patris & Filii & Spiritus S. invocantur. *du Pin.*

*icid.* quæ apud acta conficitur angelorum.

Tertull. *obsignatum angeli renuntiant; Pater rato habet*, de matrim. L. 2. ad uxor. *Albasp.* — Aquis lustralibus angelum intervenire dicit Tert. de Bapt. c. 5. & 6. August. de Symbolo ad Catechum. post quædam de professione dicit idem, quod & hic putat Optatus. *du Pin.*

*ibid.* vos, qui facitis.

Dicebant ex opere operantis baptismum & gratiam ejus conferri. *Albasp.*

*ibid.* arca conclusas.

*Arca* optime legitur in MSS. S. G. S. T. & P. S. pro *aqua.* —

Nescio, quid hic *aquæ* mentio, nisi ad eluendum forte mendum, idque tam fœdum, ut mirum sit, tamdiu fefelisse doctos. — Pro *aqua* cum Optato rescribendum *arca.* Olim hæc vox *arca*, *arqua* scribebatur teste Prisciliano, uti & adhucdum plura habemus verba, e.g. *quum, sequuntur, &c.* Hoc verbum *arqua* (arca) igitur a non intelligentibus est conversum in *aqua*; & tamen supra jam verba obveniunt *nisi forte cum vobis vindicantes habetis in oculis clausam; (sum) angelum puta. Casaub.*

*ibid.*

*ibid.* cum agatur de regeneratione,

In MS. S. G. omiffa hæc funt.

*ibid.* profeffio.

In MS. S. G. *promiffio*.

*ibid.* non viscera.

In Baptifterio renafcitur homo, hinc uti in utero renafcitur, & Sacramenta inde recte dicuntur Ecclefie viscera. *Albasp.*

*ibid.* in paradifum Deus plantat.

Cicero jam dicit *in poteftatem*, Plautus *in mentem*, pro *poteftate* &c. *Cafaub.*

pag. 32. quo quotidie a vobis.

Mentiebantur, cum Deum rogarent, ut Ecclefiam fuam adunaret, quam ipfi fuo fchifmate dividerent, dein & mentiebantur, cum eam unam in orationibus facrificii prædicabant, quia plures faciebant. *Albasp.*

*ibid.* nam quis dubitet, vos illud legitimum in Sacramentorum myfterio præterire non poffe?

Significat Optatus formulam folemennem illius (ut etiam vocabatur) canonicæ interpretationis, qua dicitur offerri facrificium pro una Ecclefia in toto orbe diffusa. Sic. & Lib. 3. ait, eos (Donatiftas) non potuiffe prætermittere illud legitimum *pax vobifcum*. Lib. 4. ait, eos etiam ufos in baptifmo fuiffe folemni formula illius ecclefiaftici exorcifmû: *Maledicte exi foras*. Sic Cyprianus fcribit, Novatianos in baptifmo non aufos effe præterire folemennem illam ftipulationem: *Credis remiffionem peccatorum?* tametfi hanc ipfi remiffionem non crederent. Sic & Auguft. fignificat, Pelagianos in baptifmo puerorum adhibuiffe illam quoque formulam: *Abrenuntias Satana?* cum tamen alioquin negarent, pueros aliquo peccato originali obstringi. Imo Firmilianus ad Cyprianum fcribens oftendit, diabolom quoque ipfum, cum per obfeffam quandam vatem etiam baptizaret, obfervaffe verba folemnia atque ufitata. *Bald.*

*ibid.* Deo offerre.

Omittitur in MSS. S. T. & P. F. & in editis hoc *Deo*,

*ibid.* Antiochia civitas.

Traditionis non Arabes & Syros accusabant, tamen non minus rebaptizabant quam Afros. *Albasp.*

*ibid.* unde probamus.

Probare poffumus, ut Coll. Carth. II. videndum. *Cafaub.*

*ibid.*

*ibid.* nos.

In MS. S. G. *et nos.*

*ibid.* in primo libro modo demonstravimus.

In MS. S. G. *in primo modo demonstravimus libro.*

*ibid.* quasi sola Africa habeat &c.

Quoties Catholici ex *catholici* nominis proprietate Donatistis invidiam] faiebant, illi Christianos se esse regerebant, nec tam se de prioris tituli, quam de secundi possessione, quem sibi proprium vindicabant, sollicitos esse palam profitebantur, quanquam nec illum sibi negari paterentur, sed eatenus tamen assererent, quatenus essent Christiani. Igitur Optatus, Parmenianum de duabus Ecclesiis ita differuisse, ut, dum suæ parti christianum nomen vendicat, etiam Africa Christianos concluderet, ut, in qua sola, divisa nempe, per eos Ecclesia, vigerent, & aliquo loco & numero essent Donatistæ. *Casaub.*

*pag. 33.* cruentis moribus.

De expeditione Macarii hoc sumendum. *Albasp.*

*ibid.* sed quia unitas tibi displicet.

Hoc in illud Macarii, qui admonitione non modo, sed & vi, & ut Donatistæ dicebant, effusione sanguinis alios ad Ecclesiam compelleret; hinc & crudelem esse hanc Ecclesiam iidem Donatistæ dicebant. *Albasp.*

*ibid.* reatum putas memoriis Apostol.

Difficile non est eruere, quomodo hæc mentio de Sanctorum reliquiis ad hanc de communionem Ecclesiæ veniat; nam non potest esse perfecta communio, nisi inter omnia ejus membra, nempe vivos & mortuos, fiat. *Albasp.*

*ibid.* quod nobis ex pristini erroris &c.

Siquis ponit pro hoc: *quando vobis ad pristinos errores libertatem factam esse constitit*, vel etiam, *quando vobis ad pristini erroris libertatem &c.* non repugno, cum de reditu Donatistarum ab exilio agatur. *Casaub.* — Idem hic locus partim ex conjectura, partim auctoritate MSS. emendatus est. In MSS. S. T. & P. S. legitur: *quod vobis ad pristini erroris &c. factam esse constitit.* In MS. S. G. *quod vobis — rediisse contigerit.* Mens auctoris est, ostendere primum oportet, quanta lætitia quam malignis gaudiis affecti fueritis, eoquod Julianus Imp. vobis reddiderit libertatem, quam Constantinus abstulerat. *de Pin.*

*ibid.* Constantinus Imp.

Quæ hic ait Optatus de pace Ecclesiæ Africane & statu Donatistarum, potius conveniunt Constantis quam Constantini.

stantini imperio, ille fuit, sub quo Donatistæ suppressi & spoliati sunt templis; dein & Julianus statim successor hujus perhibetur. Ast non mirandum tamen esse hoc verbum *Constantinus*, cum omnes autores & cuncta MSS. conveniant in hoc. *du Pin.*

*ibid.* jacebat.

In MS. S. G. & quibusdam aliis *latabat.*

*ibid.* relegaverant.

In MSS. *religaverant.*

*pag. 34.* vos in regionibus alienis &c.

Constantinus exilio multaverat eos. *Albasp.*

*ibid.* alius Imperator.

Nempe Julianus, qui rursus Donatistis concessit Basilicas. *Albasp.* — Huic Juliano Donatistæ obtulere libellum, ut suas Basilicas reaciperent cum libertate. Hujus libelli meminit Optatus L. 3. ubi preces eorum memorat: *Datus a Casiano &c.* & Augustinus epist. olim 166. jam 105. Factum est hoc anno 362.

*ibid.* suis testatus.

In MS. S. G. additur *ubique.*

*ibid.* ire præcepit.

In MS. S. G. additur *vos.*

*pag. 35.* ab illius.

In MSS. S. T. P. S. & in editis habetur *judicibus.* In MS. S. G. rectius abest, cum relatio mittitur a judicibus ad Imperatorem, non ad iudices.

*ibid.* Zabensis.

In MS. S. G. & aliis *Diabensis*, sed prior lectio retinenda. — In notitia Africæ est Zabensis Episcopus in Numidia, uti & videre est in Coll. Carth. Sed alia est Zabe in Sitifensi, ubi hic Felix fuit Episcopus, ut docet vicinia Lemellensis castelli. *du Pin.*

*ibid.* Januarius Flumen Piscensis.

In MSS. S. G. & S. T. *Flumen piscensis*, non autem *Flamen Piscensis* aut *Piscensis* legendum. In Coll. Carth. inter Episcopos Donatistas recensetur Victor Flumenpiscensis. Est ejusdem nominis Episcopus in notitia Mauritanæ Sitifensis. *du Pin.*

*ibid.* Lemellense.

Est oppidum Maur. Sitifensis. *du Pin.*

*ibid.* duo occisi sunt.

*Primitus & Donatus in Martyr. Rom. coluntur ad diem 9. Febr.*

*du Pin.*

*ibid.*

*ibid.* Thenestinam.

Thenæ urbs in provincia Byzacena. Vide Plinium & Antonium. *du Pin.*

*ibid.* aliud sunt milites missi.

Quod nos fecimus, multum ab actis vestris differt; quod Marcarius vi usus sit, non iussimus, sed vestri adeo Episcopi propria manu multas clades perpetrarunt. *Albasp.*

*ibid.* apud Carpos.

Est urbs Africæ, jam Plinius eam indicat sub nomine Carpi. Duo Episcopi a Carpis adfuere Conc. Carth., unus ex Cathol. alter ex Donatist. parte. *du Pin.*

*ibid.* non tibi videntur.

In MSS. S. T. & P. S. perperam leges *non dividuntur.*

*pag. 36.* cruenta hostilia.

In MS. S. G. *inutilia*, errore Amanuensis.

*ibid.* Tipasam.

Urbs Maur. Cæsariensis. Jam & Ptolomæus, Antoninus in suo Itinerario & Plinius eam memorat. *du Pin.*

*ibid.* Formensis.

Duæ sedes leguntur Episcopales hujus nominis in notitia Numidiæ. *du Pin.*

*ibid.* Idicrensis.

In MS. S. T. *Idiarenfis*, & in eodem MS. *Idicrensis* postea. — Episcopus Numidiæ in notitia, & in Coll. Carth. *du Pin.*

*ibid.* quietorum & in pace positorem.

In MS. S. T. & in editis *qui & horum in pace &c.*

*ibid.* perturbantes.

Fortè *perturbarunt* pro *perurbantes*, uti post aliquot paginas pro *militastis & destruxistis, militantes & destruentes* invenitur; uti & ex Marci Evangello imprimis hoc videntum. *Casaub.*

*ibid.* quantum vult, consumat edacitas vulturum, tamen major est numerus columbarum.

Ad hanc Donatistarum jactationem adjiciam, quod Aug. L. 2. contra Petil. cap. 83. habet. *Isto, inquit, modo & milvus, cum pullos rapere territus non potuerit, columbam se voravit. Bald.*

*ibid.* memoriam custodem &c.

In MS. S. G. *memoriam custodem debere esse mendacis.* In MS. S. T. *memoriam custodem dūberē, esse mendacem.*

*ibid.*



*ibid.* quod.

In MS. S. T. *quid.* In MS. S. G. *quia.*

*ibid.* columbam.

In MS. S. T. *caatholicam*, errore Amanuensis.

*ibid.* iussere Eucharistiam canibus fundi.

Rite ab orthodoxis Eucharistiam consecrari negabant Donatistæ. *Albasp.* — Victor Uticensis non dissimile quidpiam suis temporibus in Africa rursus accidisse narrat, ut hac quoque in parte Vandalos illos Arianos cum Donatistis comparari posse intelligamus. *Bald.*

*ibid.* fundi.

In MS. S. G. *fundere.*

*ibid.* casum.

In MSS. S. T. & P. S. *casu.*

*ibid.* & pag. 37. et possunt ista non fieri.

Observanda *mutari* pro *hac autem minime facta essent, fieri non potuissent*, uti in Cod. Th. & apud Cassiodor. *non iubemus* pro *vetamus*. Sciendum tamen, verbum *posse* sæpe redundare, ubi *in mutari* locus non est. *Casaub.*

*ibid.* laboratis.

In MS. S. G. *voluisti.*

*ibid.* invenerere matres &c.

Possumus Abbatissas interpretari; uti enim Monachi Patres, ita & Moniales Matres possunt vocari. *Casaub.* — Inven-  
erunt eas peperisse, quibus virginitatis velum detraxerant,  
& quas sic de castimonialibus mulieres fecerant. *du Pin.*

*ibid.* fecerant.

Ita in MS. S. G. *Male fecerunt* in MS. S. T. & P. S.

*ibid.* quales.

In MS. S. G. *qualis est*, lapsu Amanuensis.

*ibid.* celas.

Forte *zelas.*

*ibid.* mitram.

Dicatur Deo hoc velamine induebantur. *Albasp.* — Vide &  
Lib. 6. *du Pin.*

*ibid.* Tyfedim.

Ita in MS. S. G. In MS. S. Th. & P. S. *Sedi*, & corrupte in  
editis *Tyfedis*. Erat locus, ubi Donatus erat Episcopus.

In Coll. Carth. est Episc. *Tifedinenfis* in Numidia, & Tifidii  
Salustius meminit de bello Jugurt. c. 62. In notitia Episcop.

porum Africæ *Tiditanus* aut *Teditanus*; & in Leonis notitia *Titisi*.

*ibid.* Donatu-n.

Episcopus orthodoxorum quidam. *Albasp.*

*ibid.* placito.

Melius *de palario*. *Albasp.*

*ibid.* gravaverant.

In MSS. S. G. S. T. & P. S. *crasserant*. — Balduin. putat *gravaverant*; Barth. ait, *crassare* esse verbum sequioris ævi, quo & Sidonius Apoll. & Agoertius usus est dicens: *Crassari corporis est sagina, grassari autem animi & crudelitate*. Vide & Zenonem Veron. *Incere*.

*ibid.* vel idonea.

*Vel* deest in MS. S. G.

*ibid.* qui sancti.

In MS. S. G. *qui quasi sancti*.

*ibid.* et in eo.

Sic in MS. S. G. In MSS. S. T. P. S. & in editis: *in Deo*; sed contra mentem auctoris, qui statim ait: *Nostrum est velle, nostrum currere, Dei autem perficere*. *Casaub.*

pag. 38. femiperfecti.

In MS. S. G. *imperfecti*,

*ibid.* Joannis schola.

Ita in MSS. S. T. & P. S. In MS. S. G. autem *Joannis socii*.

*ibid.* nullum habeatis.

*Nullum* deest in MS. S. G.

*ibid.* manus imponitis.

Pœnitentibus enim manus imponebantur; & dein ad altare sunt reversi Episcopi, *Albasp.*

*ibid.* vocaris.

In MS. S. G. *vocitaris*.

pag. 39. humilitas.

Additur in MS. S. G.

*ibid.* insuper & superbos.

Ita in MS. S. G.

*ibid.* quomodo.

In MS. S. T. & P. S. *quando*.

*ibid.* exorcizatis fideles.

Habet hoc *fideles* MS. S. G. non autem & MSS. S. T. & P. S.

pag. 40. fauciati.

In MSS. S. T. & P. S. & in editis *sagittari*.

*ibid.* quem jugulaveris &c.

*Secure pro servare* alii legunt; sed *servare* melius ad sensum intelligendum. *Casaub.* — *Savire* MS. S. T. & P. P. — Occisos Episcopos dein Donatistæ inter pœnitentes habebant. *Albasp.* — Sacerdotem, quem gradu dejeceris, in pœnitentiæ laboribus detinere. *du Pin.*

*ibid.* vos vivum homicidium.

Sinitis occisos & Episcopatu suo spoliatos Episcopos miseram vitam agere, & hoc dicitur vivum homicidium patrare. *Albasp.*

*ibid.* bene nominant.

Vobis precantur bene, & vos ut sanctos & amicos Dei prædicant. *du Pin.*

*ibid.* malitiæ.

Ita in MS. S. G. In MS. S. T. & P. S. *militiæ.*

*ibid.* silentium est.

In MS. S. G. *fletur.*

pag. 41. commissum.

Ita in MS. S. T. *junctum scil. impietati sacrilegium*; quippe *sacrilegium* est, jurare per hominem; *impietas* de Deo silere, & vocem ejus non audire. *du Pin.*

*ibid.* radere capita Sacerdotum.

Cum nempe Donatistæ Sacerdotibus pœnitentiam imponerent, capita eorum radebant. Pœnitentium enim capita radebantur, & cinere aspergebantur. *Albasp.* — Radebant capita, quasi ad auferendam unctionem sacerdotalem. *du Pin.*

*biid.* videret.

In MS. S. T. *diceret*, lapsu exscriptoris.

*ibid.* in mortes.

Spoliarunt nempe Episcopos honore & officio; hinc & hoc: *jugularunt nomina*, dignitatem detraxerunt; quod & olim turpissimum Episcopi honori factum dicebatur, si honore suo privatus inter pœnitentes numerabatur; hinc hæc vox: *occisi sunt honores.*

pag. 42. extendistis manum.

Pœnitentiam imposuistis, & omnes Episcopos & reliquos Sacerdotes fecistis Laicos. *Albasp.*

*ibid.* animas hominum.

*Lege potius animas omnium. Incert. & Casaub.*

*ibid.*

*ibid.* super omnem ætatem.

In MS. S. G. *super omne caput & omnem ætatem.*

*ibid.* invenistis pueros.

Pueros adeo innocentes ad pœnitentiam cogere sunt ausi, sic & *fideles antiquos*, id est, seniores laicos. *Albasp.*

pag. 43. clausi aeris.

*Bald. clausideris*, alias *clausferis*. Utrumque falsum est. *Barth. clausi oris.* — *Clausi aeris*, uti Saul visus a Davide non tamen videbat Saul Davidem, cum uterque in eadem erat spelunca, quod Sauli a majori lumine oculi adhuc caligarent. Si quis tamen *clausi antri* vel *clausuræ* vel tale aliquid malit, dummodo eodem recidat, ego non contenderim. *Casaub.*

*ibid.* mutare in cædem.

3 MSS. *mittere in cædem* habent, sed in editis recte emendatum.

*ibid.* ut.

In MS. S. T. & in editis *cum*.

*ibid.* cote.

In MS. S. G. *cute*, aliis *corde*, sed *cote* legendum. *du Pin.*

*ibid.* ut cœcos in captivitatem.

In hoc & Apulejus annuit: *deseris ad captivitatem oculis*, *Incert.*

*ibid.* cœcos.

In MS. S. G. *ducitis*, sed superfluum.

*ibid.* jugulatis.

Male in MS. S. G. *jugulastis*.

*ibid.* aliquid.

Deest in MSS. S. T. & P. S.

*ibid.* quidquid iudicium Dei.

Quia, ait, ita solet usuvenire, ut non omnes sint felices, quidquid e nostris alicui contingit adversi, id vos Donatistæ protinus exclamatis, esse factum per vestras maledictiones. *Casaub.*

pag. 44. non curat imitari.

Hæc supplevimus ex MS. S. G. In aliis lacuna, quam Balduin. per vocem *ignorat* supplet. *du Pin.*

*ibid.* Donatum.

Deest in MS. S. G.

*ibid.* inertia.

Negasse inter tormenta Christum, ait *Albasp.* — Metus mortis, tranquillitatis & mundi amor significatur per hanc inertiam, unde & in N. T. *δουλοι τимиδι*, & *απιστοι infideles* conjunguntur, & a cœlo excluduntur. *Casaub.*

*ibid.*

*ibid.* qui evaserunt.

Fidem non negarunt. *Albasp.* — *Idem* etiam putat, pœnitentiam Episcopis lapsis non esse impositam.

*ibid.* figerent.

In MSS. S. T. & P. S. *fiere*, errore Aman. Aut ut publice errorem suum detestarentur. Pœnitentes enim coram omnibus genua figebant, & in porticu Ecclesiæ transeuntes genibus flexis orabant, ut Deum & Ecclesiam pro se exorarent. *Albasp.*

*ibid.* hodie.

Deest in MS S. G.

*ibid.* post unitatem.

Factam a Macario, postquam Donatistæ crudelius sæviere in Episcopos, tanquam in eos, quorum impulsu ea facta esset; quam olim Ecclesia in ipsos lapsos egisset. *Albasp.*

*ibid.* feriatur.

Oleum feriebatur, quia dignitas sacerdotalis pro ludibrio habebatur. *Albasp.*

*ibid.* nam quæ major &c.

Neque major legitur in MSS. S. T. & P. S.

*ibid.* contrivistis sexus &c.

Ita in MS. S. G. — In MSS. S. T. P. S. & in editis *contritas sexu &c.* sed minus bene, nam sexus & ætas duo sunt membra distincta. *du Pin.* — Aut cum aliis editionibus legendum: *Nunquid minor est infelicitas, contritas* (lege cum *contritas*, ut supra, *compressit* pro *cum processit*) *sexu vexastis artes? vere &c.* Aut si illud: *Nunquid minor est infelicitas: ad superiora pertinet, scribendum hic: Contritas sexu vexastis ætates? vere &c.* Sed quid hoc, *contritas sexu ætates?* an subaudiendum, aut restituendum: *utriusque*, & legendum: *Contritas utriusque sexus vexastis ætates?* — *Ætates*, sive seorsum capias, sive cum *contritas* conjungas, eleganter ponitur pro senibus, sive personis senio confectis: ut ædium senectutem; & ædium ætatem, promiscue usurpata reperias. Atqui jam Virginum & Matronarum in superiori periodo meminerat, An igitur hic iterum *sexus utriusque?* an potius *senum: contritas senum vexastis*, ut prius: *invenistis fideles antiquos &c.* Conjeciebam aliquando *contritas saxo vexastis*, cum paulo retro *genua figere* inter pœnas, a pœnitentibus exigi solitas, posuerit. Præterea, quid huc pertinent sequentia Psalmistæ verba, quæ profert Optatus, si hæc contritio, de qua istie agitur, non ab eorum crudelitate, quos hic incessit noster sed

sed ipsa senum ætate? nisi tamen *contritas vexastis* pro *conterendo vexastis*, sit ab eo dictum. Mihi quoque valde placet viri cujusdam doctissimi interpretatio: *Gerere didicerunt, nunquid minor est infelicitas? contrivistis sexus, vexastis atates, vere de vobis &c* ut ad illa alludat, quæ supra: *Væ facientibus velamen super omnem atatem &c. Casaub.*

*ibid.* nec enim acta est.

Nemo eam rogavit. *Albasp.*

*ibid.* æqualibus spatiis.

Et si omnium secundum vos unum esset delictum, dissimilis fuit pœnitentia, quod est acceptare personas, quo apud antiquos nullum gravius poterat esse peccatum, nec quidquam in Episcopo magis reprehendi poterat. Vid. Tertull. de pud. Clem. Constit. *Albasp.* — In MS. S. G. legitur *plenis*.

*ibid.* si consentire unitati &c.

Si peccatum procurasse, ut Macarius unitatem faceret. *Albasp.*

*ibid.* dubium non est, populum &c.

Totus hic locus ita corruptus erat, tam in MSS. quam in editis, ut vix medicabilis videretur. In MS. S. T. sic habetur:

*Dubio non est, populum credentium Israel, i.e. qui mente Deum viderit, & tamen has plebes coegistis, flectere & incurvare cervices, & serie capitum injunctam massam pœnitentium facere.* Ita etiam in MS. P. S., qui ubique ferme concinit cum MS. S. T. nisi quod pro *massam* habetur in *assem*. In MS. S. G. *Dubium non est, populum credentium Israel esse vocatum; plebes singulas filios Israel, id est, qui mente Deum viderint, & Deo crediderint; & tamen has plebes coegistis flectere & inclinare cervices, & serie capitum juncta massa pœnitentium facere.* Ex hoc MS. cæteris ubique ferme emendatori hunc Optati locum restituimus. Hæc est hocce in loco, ni fallor, mens Optati: Christiani sunt populus Israel, singulæ plebes sunt filiæ Israel. Sic appellantur, quod Deum videant, quod in ipsum credant. Vos coegistis fideles, qui stantes, & erecto capite orabant, cervices flectere & inclinare, versa scilicet in terram facie, & humi procumbentes. Multorum capitibus grave jugum imposuistis, & ex iis ita simul junctis, massam pœnitentium fecistis. *Inclinare & flectere cervices* opponit *visioni Dei*, & *pœnitentium massam, credentium plebi. du Pin. Albasp.* —

*Casaubonus* miratur, quid eos, a quibus Optatus hausit, inducere potuerit, ut *Israel* interpretarentur: *qui mente Deum vident?* Antiquam fatetur hanc interpretationem, sed

falsissimam judicat. Et cum non perspiciat, quomodo ista: *mente Deum videre, & flebere, ac inclinare cervices*, quæ hic Optatus tanquam contraria committit, opponantur, persuadet sibi, scripsisse Optatum *recte, vel erecte*, quod postea, quia minus esset notum, etsi magis probum, & ab hebraicis minus remotum, in *mente* mutatum sit, ut, quemadmodum supra in parabola Publicani & Pharisei *erecta facies & inclinata cervix* opponuntur, ita & hic *erecte videns, & inclinans cervicem*: cum Hieronymus ipse etiam vertat *Israel: Directus Dei*, sive *ἰδωτάτος Θεοῦ*. Clericus falli dicit Casaubonum, cum non apud Hieronymum tantum in libro *de nominibus* habeatur, *mens videns Deum*, sed etiam in græcis fragmentis: *ὁρ ὁρον Θεοῦ*, aut *θεοῦ*; in voce autem hebraica non quidem contineatur significatio *mentis*, sed ab interprete suppleatur, quia mente tantum Deus cerni potest.

*ibid.* demonstrobo.

In MS. S. G. *demonstrabimus*. Post hæc verba habetur in MSS. S. T. & P. S. *Explicit Liber secundus*.

### LIB. III.

pag. 46. Liber tertius.

In MSS. S. T. & P. S. *Incipiunt Capitula Libri tertii*; quæ de Pinius sic refert: *Hic liber tertius continet quatuor causas, quibus effectum est, ut non sine asperitate unitas fieret. Prima, quod Basilicas schismatici non necessarias fecerint, & rebaptizationem intulerint* (quod postremum in MSS. S. T. & P. S. deest). *Secunda, quod Donatus Carthaginis provocaverit, ut unitas fieret. Tertia, quod Donatus Bagajensis* (in MS. S. G. *Vagajensis*) *circumcelliones* (in MS. S. G. *cerciliones*) *collegerit, ut operarios unitatis impediret. Quarta, sine voluntate Dei nihil esse factum ex his, quibus putant aliqui unitati faciendum esse convivium*. Quæ ultima verba: *Ex quibus putant &c.* in Cochleana editione perperam initium Libri ipsius faciunt. Quod factum ne quis miretur, etiam quinto libro in eadem editione simile contigit. Ut enim hic pars argumenti cum sequentis libri initio male coaluit, ita & illic ex initio libri plures lineæ argumento accessere, quæ suo loco desiderantur; ab his enim liber incipit: *In qua re, quæ nunc agitur, quaestio &c.* Cætera quæcunque præcedunt, ab argumento libri repetenda sunt. Sed & illud non prætermittam, Fulgentium Afrum, & Optati, quod ex ipso liquet, valde studiosum, iisdem plane, quibus hic orditur Optatus, secundum ad Monimum librum

verbis auspiciari: *Satis, ut arbitror &c. Casaub.* — In hoc libro autem agitur causa Macarii Præfecti, ob cujus animadversiones capitales, Donatistæ odiose declamabant, Ecclesiam nostram esse sanguinariam, neque jam Ecclesiam Catholicam sed Macarianam vocabant, ut scribit August. epist. 161. Idem in epist. 164. ad Emeritum Donatist. *Nos, inquit, appellatis Macarianos.* Ut Catholici Donatistas vocabant partem Donati, sic Donatistæ Catholicos partem Macarii. Testis est August. L. II. contra Petil. c. 39. Injusta tamen erat recriminatio aut retaliatio; nam ipsi Donatistæ sese ab initio vocarant partem Donati, ut Optatus hic probat. Catholici nunquam se dixerant esse partem Macarii. Porro, ut August. causam ipsius Cæcilianiani, quæ etsi bona esset, tamen personalis erat, conatus est semper separare ab Ecclesiæ causa, sic & ipsius Macarii; unde in ep. 203. ad Maximinum Donatist. *Nec tu, inquit, obicias tempora Macariana, nec ego savitiam circumcellionum. Si hoc ad te non pertinet, nec illud ad me. Bald.*

*ibid.* ut unitas fieret.

Ut procuraretur unitas, ut Donatistæ cogerentur ad Ecclesiam Cathol. redire. *Albasp. du Pin.*

*ibid.* miles mitteretur.

In MS. S. T. *moveretur.* In MS. S. G. *moveretur.*

*ibid.* ab operariis unitatis &c.

Operarios vocat administratos unitatis, cujus vocis exempla in sequentibus videbis. & auctorem ex ipso auctore interpretaberis. *Albasp. Barth.* — Intelligit autem Leontium, Macarium, Taurinum, aliosque Proconsules aut Duces, qui conati erant, Donatistas ad unitatem Ecclesiæ revocare. *du Pin.*

*ibid.* Leontio.

In MSS. S. T. & P. S. *Leontio.*

*ibid.* illis primo, qui Dei &c.

Ita in MS. S. T. — *Illi quidem primo, qui populum dividerunt* in MS. S. G.

*ibid.* Basilicas fecerunt non necessarias.

Cum ad Basilicas jam erectas, quas Catholici tenebant, accedere nollent, & cum Catholicis orare, Basilicas alias ædificarunt, quæ necessariæ non erant, cum possent & deberent in veteribus Ecclesiis cum Catholicis convenire. *du Pin.*

*ibid.* Donato Bagajensi.

*Bagaja* urbs celebris in historia Donatist. ibi enim habitum fuit



fuit a Donatistis Episcopis Concilium illud Bagaitanum 310 Episcoporum, cujus tam sæpe meminit Augustinus. Hujus urbis Episcopus Maximianus a Donatistis crudeliter interfectus est, ut narrat Augustin. epist. 88. & 185. & Lib. III. contra Crescon. c. 43. In Collat. Carthag. adfuit Episcopus Bagaiensis e Donatist. parte; sed longe ante in Conc. Carthag. sub Cypriano subscribit Felix a Bagai; & post hæc tempora in notitia Leonis Imp. urbis *Bayus* fit mentio. Attamen in notitia Episcop. Africæ a Sirmondo edita, nullus est Episcopus Bagaiensis, sed duplex Vadenfis in Numidia. Alteruter forte amborum Bagaitanus erat. Nam in MSS. sæpe legitur: *Vagaensis* & *Vagenfis*, unde fieri potuit *Vadenfis*. Ut ut sit, *Bagaia* sive *Vagaia* urbs erat Numidiæ. Namque de Concilii Bagaitani decreto loquens Augustin. L. *de Un. Eccl.* c. 18. exclamat: *O regula juris Numidici; o privilegia Vagaitana!* Non erat certe in Proconsulari; modo enim ait Optatus, hanc provinciam ab illo furore immunem fuisse. *du Pin.*

*ibid.* clamoribus.

Vocem istam in MSS. supplevimus. *du Pin.*

*ibid.* nuntiata unitate.

In MSS. S. T. & P. S. *nuntiatam unitatem.*

*ibid.* nulli dictum est.

Macarii expeditionem & unitatem, quam fecerat, persecutionem; eosque, qui in illo tumultu interierant, Macarianos vocabant Donatistæ; quod ut refellat, ait Optatus, nulli Macarium dixisse, ut thus adoleret, quod in persecutionibus christianis imperabatur. *Albasp.*

*ibid.* nullus erat primitus terror.

Non venerat Macarius, ut terrorem incuteret, sed ut dona ferret: plebem non armis, sed hortamentis & precibus ad unitatem cogebat. *Idem.*

*pag. 47.* cum voto nostro.

De consilio nostro ea acta non fuerunt. *Albasp.*

*ibid.* in ultionem aquæ.

Deus ulcisci volebat per Macarium, quæ contra ejus baptismum facitis, quem, a Catholicis collatum, profanum habuerunt Donatistæ, iterum baptizantes, qui a Catholicis ad se veniebant. *du Pin.*

*ibid.* quam contra interdictum iterum movistis.

Ad plura Ss. Scripturæ loca simul alludit Optatus his verbis. Ad narrationem Evangelistæ haud dubie, & principaliter  
Joan.

Joan. V. sed etiam ad illa Prophetæ Jesaiæ, quæ post pauca profert, ubi de antiqua piscina, quod huc transtulit. Quod ait: *contra interdictum*, idem valet, atque illud, quod antea dixerat, *contra leges L. 1.* ad illa respiciens: *Qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lavandi.* Nisi forte de piscina eadem hoc quoque, quasi nefas ab angelo plusquam semel eam moveri, aut ab eo semel motam, si non nefas, stultum tamen & inane, a quopiam iterum moveri. Cæterum illam piscinam Bethsaidæ, figuram fuisse baptismatis, etiam aliorum fuit opinio. Vid. Tertull. *de bapt.* c. 5.6. Quod hinc autem de pisce colligit Optatus, inde profectum videtur, quod *piscinam* prisca significatione acceperit, pro piscium vivario, ut loquitur Plinius, non pro mera *κολυμβηθρα*; quanquam & illud quoque pro *ἰχθυοτροφειῶ* usurpetur; sive aquarum ad usum, sive alium quem, sive natationis inductarum invecstarumque loco, quæ postea frequens & usitata verbi notio fuit. *Casaub.*

*ibid.* pisce.

Cum Christo, h. e. nescio, an quos baptizatis, renascantur Christiani. Tertull. *Sed nos pisciculi secundum ἰχθυον, nostrum J. Christum in aquis nascimur.* *Albasp.*

*ibid.* qui in lectione Patriarchæ Tobix.

Ita restituit ex MS. S. G. *du Pin.* In aliis MSS. & in editis legebatur *Patriarcharum*. In aliquibus, ut ego conjicio, *Patriarchæ*, quin *Tobia* sit adjectum. *Casaubonus* enim nescire se ait, quid per *lectionem Patriarchæ*, vel *Patriarcharum* sibi velit Optatus. „Tale aliquod scriptum — ait porro *Casaubonus* — neque olim extitisse puto, neque hodie, quod sciam, ullibi est; commentitium & pseudepigraphum quoddam sub XII. Patriarcharum nomine testamentum in Biblioth. PP. vidisse aliquando memini. Non enim dignum videbatur, quod legeretur, etsi non ignorem, tale quid jam olim extitisse. Sed cum totum hoc, quod hic narrat Optatus, sit in *Tobia*, cur testes aliunde conquireret? Non alium igitur, quam ipsum *Tobiam* hic laudari, plane persuasum habeo. Quam recens sit inventum, S. Scripturæ in capita, & versiculos, sive lectionunculas tributio, qua nunc omnes utimur, nemo, opinor, tam parum versatus in V. V. Scriptorum libris, qui non animadverierit. Cum igitur illi non per numeros, ut nos solemus, aut lectiones ipsius Scripturæ præterquam in psalmis, sed alius aliter, multi autem per ipsas materias, aliquot subinde ex ipso

*sobria doctrina dicere audebit, istas aquas coæternas Deo, quia in L. Gen. commemoratas quidem audivimus, ubi autem factæ sunt, non invenimus: Cur non informem quoque illam materiam &c. Idem ait Eusebius Lugd. Epif. quæst. 3. difficil. quæst. in Gen. 6.: Aquas ubi legimus a Deo factas? Et si factas eas in exordio creaturarum non evidenter divina lectionis textus expressit, a Deo tamen factæ sunt &c. Joverit etiam meminisse, aquam ἀρχὴν τῶν πάντων apud Diog. Laert. a Thalete constitui; & Plutarchum de Iside & Osiride commemorare, etiam Homerum ita credidisse, & utrumque affirmare, ex Ægyptiorum Philosophia hausisse: Aliquos ex creationis historia collegisse, aquas, quod earum creationis Scripturæ difertis verbis non meminissent, ante omnia, imo Deo coæternas fuisse. Casaub.*

pag. 48. tota Sion.

Prolixum Jof. locum contra Donatistas prolaturus Optatus, ne nihil dicere videretur, probato primum per *filiam sui generis*, aquam a Deo intelligi, perguit porro, & ostendit, illum Sion, qui ut subjectum proponitur huic prophetiæ, non de corporali (ut loquitur ipse) monte, peculiari illa Sion, quæ fuerat, sed de spiritali, quæ tunc erat Sion, tota nimirum atque universali Ecclesia accipiendum esse: Versio, qua usus est Optatus, ex græcis expressa erat, qui, quod in Hebr. *onus vallis vissonis*, reddiderunt: τὸ ὄροσ τῆς φαλαγγος Σιων, *visio vallis Sionis*. Cæterum *celebrata*, subaudi *ista*, vel *judicia*, ut mox, *ubi nulla lis audita est, nec ab aliquo celebratum judicium &c.* atque iterum L. 7.: *Nullum judicium celebratum, sed sententiæ operatus est effectus*. Nisi fortasse pro *sunt* scripserat Optatus *sententia*: quod cum primum compendiosa scriptura contractum esset, postea mutatum est in *sunt*. Nam etiam infra hoc ipso libro, *actionem celebrare*, ne de solo judicio dici putes. Cas.

*ibid.* per omnem orbem romanum.

Quid intelligat Optatus, tum proxima, *sub toto caelo*, & quæ post pauca sequuntur, *quæ est in toto terrarum orbe*, fatis indicant. Orbem igitur romanum dicit, quem nos universum, ut aqad Lampridium in Alex. Sev. cum consulti Vates respondissent: *Te manet imperium cæli, terræque, marisque*, imperium romanum inde ipsi portendi intellexerunt; & quem ibi Lampridius ipse *romani imperii principem*, mox vocat *humani generis principem*. Nec tamen inde quis colligat, ad omnes omnino nationes jam tum Evangelium penetrasse, aut id Optatum affirmare de sua ætate, quod aliquanto

quanto posterior Augustinus præcise negat de sua, epist. 80. qua de supremo die mundi disputat. Nam neque Romanos, si præcise loquendum, orbis ne tunc quidem noti, totius dominos fuisse, nemo nescit. Alibi autem *orbis romanus* non est, ut hic, universus orbis, sed qui proprie Barbariæ opponitur. Ita noster: *Inventa de Libano, id est, de Imp. Rom.* pag. 50 &c. planum est, Imperium Rom. & barbaras gentes sive Barbariam hic opponi, & his duobus membris totum orbem comprehendi. At illud non æque planum, quo vel accipi vel excusari sensu possit, quod Optatus his verbis Ecclesiam catholicam sui parum memor, si ita capimus, orbe romano barbaris exclusis, includat. Nam sane fuisse, qui promissiones illas, propagandi per gentes Evangelii, ad orbem romanum restringerent, vel ex istis Augustini verbis satis constat. *Interiores autem — de barbaris Afris loquitur — qui sub nulla sunt potestate roman., prorsus nec religione christiana in suorum aliquibus detinentur. Neque ullo modo certe dici potest, istos ad promissionem Dei non pertinere. Non enim romanas, sed omnes gentes Dominus semini Abrabæ, media quoque juratione promissit &c.* Quæ si fuit Optati quoque sententia, quoties *totum terrarum orbem* nominat, romanum dumtaxat eum intelligere, non vicissim, dicendum erit. Ita tamen eum sensisse, haud facile admiserim, quidquid de uno aut altero ejus loco statuatur. Deinde quod addit Optatus, *Sacerdotia apud barbaros esse nulla, neque pudicitiam*, de universis barbaris, falsum est. Posteriores Optato Scriptores Afri, cum barbaros nominant, Vandalos plerique intelligunt, qui per illa tempora in Africam irruerunt, atque omnia crudelissima vastatione miscuerunt. Querunturque adeo passim illius historiæ Scriptores, nullam eos sive rerum, sive personarum rationem habuisse. Sed nec illorum meminisse potuit Optatus, tot annis prior, & illi utcunque in Africa fortasse victorum licentia, contra Afros impotenter & flagitiose abusi sunt; eos tamen alioquin pudicitiae non minus, quam Romanos legibus suis consuluisse, prolixè docet Salvianus *de gubern. Dei* L. 7. qui toto illo libro insignem eorum castitatem ac pudicitiam mire prædicat, & *pudicos barbaros* appellat. Superest igitur, ut *gentes barbaras* non nomine dumtaxat tales Romanis oppositas, sed revera, ac plane barbaras ac feras gentes, adinstar pecudum potius quam hominum, nullo aut jure aut republica viventes, intelligamus, quales vulgo *Sauvages* vocamus. Quas fortassis &

Augustinus intelligit epist. jam supra laudata: *Sunt enim apud nos, h. e. in Africa, innumerabiles gentes, in quibus nondum est prædicatum Evangelium &c. Casaub.*

*ibid.*, gratulatur in psalmo 2.

In MS. S. G. *restatur*. In prioribus edit. non *secundo*, sed *primo*. Olim Psalmus primus & secundus, unus idemque psalmus apud multos; apud illos nimirum, qui Act. XIII, 33. non ut hodie ps. 2., sed ut olim, testibus Hieronymo, Hilario, & aliis antiquis, extabat, ps. 1. vel psalmo simpliciter legebant. *Casaub. du Pin.* — Gratulari autem, ut allucubi Ambrosius, *David se dici filium, ipse Dominus gratulabatur*. Inde & gratulatio pro gratia, L. 5. ut pro humanitate exhibita gratulatio eis referatur. *Casaub.*

*pag.* 49. per singulas provincias &c.

Supplevimus ex MS. S. G., quæ omissa sunt in aliis & editis. *du Pin.* — *Singulas provincias totius orbis, per valles singulas intelligimus montis*, voluit Optatus procul dubio, & scripserat fortasse, nisi pro *per* malit aliquis *præterea* reponere. Pergit enim in explicatione potius verborum Prophetæ, quæ mox descripturus est, & ad Donatistas pertinere contendit. *Casaub.*

*ibid.* dejecti muri &c.

Dejecti fideles & rebaptizati, ut fideles fierent: ut fierent Christiani, facti sunt non Christiani. *Albasp.*

*ibid.* aqua sanctæ &c.

Habetur in MSS. S. T. & P. S. *aqua sancta & piscina.*

*ibid.* aqua humana contra &c.

Suppletum est ex MS. S. G. *du Pin.*

*ibid.* Elamitæ lingua lat.

Frustra se quisquam torqueat, ut *choros castrorum*, vel aliquid affine ex *Elamita* extundat & eliciat. Minori opera ausim elicere aquam ex pumice, Quid autem illud fuerit, quod eos deceperit, qui primi ita sunt interpretati, si nobis ariolari fas est, ego, sed tanquam divinus ita censeo. Cant. VII, 1. ita legitur: *Quid videbis in Sūnamite, nisi choros castrorum?* in margine notata est diversa lectio *Sulamite*, quæ Græcorum & verior scriptura est, ut quæ ex prototypo sit expressa. Cum igitur ista verba: *choros castrorum*, peregrinæ, quæ immediate præcedebat, vocis interpretationem esse putasset Optatus, — nisi quis Optato æquior, glossēma esse malit — postea memoria propter affinitatem vocum lapsus, quod de voce *Sulamite* legerat, aut legisse

legisse se falso putabat, *choros castrorum* nempe significare, id ad *Elamitam* majori errore transtulit. *Casaub.* — Non existimo cum *Casaubono*, *Optatum Sulamitem* pro *Elamita* accepisse, sed potius derivasse *Elamitarum* nomen a vocibus hebræis *Mebolath Mabanaim*. Forte etiam derivavit *Elamitarum* nomen ab alia voce hebræa *Aialim*, quæ *exercitus* sive *copias* significat *Daniel*, XI, 10. & alibi. *du Pin.*

*ibid.* hoc quare factum.

*Quare* supplevimus ex MS. S. G., cujus loco in alijs reperitur: in *Africa*, ex inadvertentia *Amanuensis*.

*ibid.* cujus veneficio &c.

In MS. S. G. *beneficio*. — cujus audacia & impudentia *Macarius* impulsus est ad unitatem faciendam. *Albasp.* — Malis artibus, superbia & livore. *du Pin.* — Si *beneficio* scripsit *Optatus*, aut *ἰσθμικός* aut *ὑψημῶς* pro maleficio dixit, aut beneficium *των μισῶν* erit, quod tam in malam quam in bonam partem accipiatur, ut affinia, *meritum* & *mereri* passim? An ideo *beneficio* dixit, quod sequitur, *dum magnum se videri contendit*, quasi dicat, dum sibi placet, & ambitioni suæ servit, & velificatur *Donatus*. Si nihil horum placet, superest, ut *veneficio* retineamus, & *veneficium* hic positum sit pro maledicentia & impotenti procacitate. *Donati* autem maledicentiæ imputandum esse hoc unitatis negotium hinc incipit, ac multis prosequitur *Optatus*. Quamvis & *veneficium* *ἁπλως* pro *scelere* ab *Optato* dici poruerit; quemadmodum *veneficus* & *φαρμακικός* haud raro pro *scelesto* & *sacro*. *Casaub.*

pag. 50. personis.

Suppletum est ex MS. S. G.

*ibid.* quia peregrinus.

Quia non es natus *Carthagine*, cui præes. *Albasp.*

*ibid.* *Constantem*.

*Concil. Carthaginense I.* hoc non sub *Constante*, sed sub *Constantino* factum narrat. *Qui imperavit religiosissimo Constantiano Imperatori, votum gereret unitatis, & mitteret ministros sancti operis, famulos Dei, Paulum & Macarium. Idem.*

*ibid.* sublevata.

Hoc verbum addidimus ex MS. S. G.

*ibid.* patrem tuum.

Qui te in illa *Cathedra* generavit, cui successisti: omnes *Episcopi* dicuntur filii eorum, quibus succedunt, aut a quibus ordinantur. *Idem.*

*ibid.*

*ibid.* quid est Imperator?

A Donatistis primum provocatum est ad Constantinum, quem cum suis rebus minus favere deprehendissent, his & similibus utebantur. *Idem.*

*ibid.* non enim respublica est in Ecclesia &c.

Hanc sententiam mirifice extollunt homines illi, qui rebus student novis; putantque, hujus sententiæ sensum esse, Imperatores non Ecclesiæ, sed Ecclesiam eis subditam esse, aut sine Ecclesia rempublicam esse: Ecclesiam vero sine republica esse non posse. Et tamen si quis animum ad hunc locum advertat, longe aliter eum explicabit. Optatus enim voluit dicere, Imperatoribus romanis non esse maledicendum, sed pro eis orandum, secundum Apostolum, quia quietam magis vitam Christiani cum eis agerent, quam cum aliis nationibus, apud quas, quod essent barbaræ, non licebat Christianos tam quiete vivere. Igitur: *Respublica non est in Ecclesia*, est, Ecclesiam non facere bella, non leges figere, non populos sub legibus coercere, non res civiles exercere, & similia. *Ecclesiam autem esse in republica*, Christianos sub legibus Imperatorum vivere, protegi, quietam vitam sub eis & ex eorum protectione ducere, & similia. *Albasp.* — Imperium romanum erat ante Ecclesiam constitutum; Ecclesia in ipso constituta est & ædificata, non autem Imperium in Ecclesia. *du Pin.* — Nulla est in Oprato sententia, quæ rarior esse videtur, quam hæc. Alii interpretarentur, rempublicam quidem esse posse sine Ecclesia, ut olim fuit respublica romana, Ecclesiam vero non posse sine republica, imo hujus partem esse, cum in hujus sinu veluti coalescat. Dicam, quod hujus loci magis est. Olim solennes in judaica Ecclesia erant preces pro regno Davidis, in quo Ecclesia intelligebatur esse inclusa, eoque pertinet Ps. 118. & 72. & 122. Fuere deinde in Ecclesia Christiana solennes preces pro Imperio romano multis de causis. Primum enim etsi primis sæculis Imperium illud valde adversarium & infestum esset Ecclesiæ, tamen ejus Imperii amplitudinem prodesse ad propagationem religionis Christiani existimabant, ut Ambros. annotat in Ps. 46. & Euseb. ad finem Lib. 3. *de demonstr. Evang.* & Prudent. Lib. 2. contra Symmachum. Deinde Christiani veteres & locum Pauli ad Thessalonicenses de Apostasia sic interpretabantur, & de Antichristo sic loqui solebant, ut profiterentur, Antichristum, qui Ecclesiam gravius percelleret, venturum non esse ante ruinam & dissolutionem romani Im-

perii, neque orbem prius esse periturum. Ergo Deum precari solebant pro Imperio romano, in cuius incolumitate sentiebant propterea inclusam esse illam Ecclesiæ. Tertulianus, quem in Africa legebat Optatus Afer, sic loquitur in Apolog. ad Rom. : „Nominatim atque manifeste orate, „inquit Apostolus, pro Regibus & pro Principibus, Po- „testatibus, ut omnia tranquilla sint. Vobiscum enim con- „cutitur Imperium, concussis etiam ceteris membris ejus „utique & nos, licet extranei a turbis existimemur, in ali- „quo loco casus invenimur. Est & alia major necessitas „nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni sæcu „Imperii rebusque romanis, quod vim maximam universo „orbi imminentem, ipsamque clausuram sæculi acerbitates „horrendas comminantem romani imperii comiteatu sci- „mus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum preca- „mur differri, romanæ diuturnitati favemus.” Et rursus paulo post: „Oramus pro Imperatoribus, pro ministris eo- „rum, & potestatibus sæculi, pro rerum quiete, pro mora „finis.” Idem ad scapulam non modo illud inculcat: *Sacrificamus pro salute Imperatoris*; sed & profitetur, necesse esse, ut Christianus salvum velit Imperatorem cum toto romano Imperio; & addit: *Quousque seculum stabit*, tam- diu enim stabit Imperium. Idem in Lib. *de resurr. carn.* sic interpretatur locum Pauli ad Thessalon. ut, quemadmodum non est futurus finis sæculi, antequam reveletur Antichristus, sic Antichristum venturum non esse, antequam deficiat romanum Imperium. Itaque ait, romanum statum obstare, quo minus ille veniat. Sane Optatus non vidit ullam romani imperii maximam ruinam, quam Barbari intulerunt; qualem vidit Augustinus, aut etiam Hieronymus, qui & cum urbem a Gothis captam videret, scripsit ad Geront. appropinquare Antichristum. Sed vidit Optatus, Imperii romani sedem sic translatam esse in Orientem per Constantinum, ut simul Imperium illud tunc factum sit Ecclesiæ christianæ propugnaculum, & in eo impletum fuerit illud Esaiæ ad Ecclesiam: *Et reges erunt nutriticii tui.* Quod quidem Optatus commode potuisset objicere Donato rejicienti eleemosynas Constantis Imperatoris. *Bald.*

*ibid*, Sacerdotia.

Ambiguum, an de Christianorum, aut Gentilium Sacerdotiis loquatur. Ad illorum ergo referendum censeo, nam in nonnullis Codicibus legitur: *Sacerdotia sancta*. Sensus igitur est, sub Imperatoribus tantiva, quam apud barbaras gen-



tes Sacerdotia Christianorum exerceri, apud quos virginitas & pudicitia christianarum virginum nunquam est satis tuta; sed apud Romanos est tuta, quamvis non sint Christiani, quia eorum leges ad innocentiam perducebant. *Albisp.* — Generatim intelligendum de Sacerdotiis, pudicitia & virginitate tam Gentilium, quam Christianorum. *du Pin.*  
*ibid.*, quanto quod.

In MS. S. G. *quanto magis, quod.*

*pag.* 51. o consulere miseris, o providere &c.

In MS. S. T. & P. S. *o providere fuerat.* — Si abesset fuerat, nihil mutarem. Sed ut nunc habent verba, potius, quam quidquam eliminetur, restituerim: *Hoc consulere miseris &c.* *Ho* pro *o* sæpe scriptum scimus, unde facile potuit accidere, ut *ho* pro *hoc* scriberetur, ac tandem omissa aspiratione fieret *o* pro *hoc*. Mox apud *Doum*, uon de Beatorum sedibus dixit, quasi & illæ Schismaticos, quales Donatus ille, reciperent, sed de altero mundo sive sæculo, q. d. uterque jam decessit, & vita functus est; paulo post puto scribendum, *Qualis futurus est, qui de levitate & furore laboravit tantis* — id est, *tot*, ut passim, sed fort. *dantes* — *pauperibus impedire. Casaub.*

*ibid.* naves Carthaginis.

Ita Septuaginta: Ὁλοῦξαι πλοια καρχηδονος. In Hebræo *naves Tarfsis*, quod vulgatus, *naves maris*: hac enim voce Tharsis, ut observat Hieronymus, generatim mare designatur, aut regiones transmarinæ. Sed cum Optatus haberet translationem ex versione græca τῶν Septuag adornatam, legit: *Ululate naves Carthaginis.* Eundem locum Ezech. de Principe Tyri, in Donatum intorquet Augustinus L. *de Unit. Ecel.* c. 6. n. 42. *du Pin.* — Ad Diabolum etiam L. 11. *de Gen. ad lit.* c. 25. eundem locum refert August. Sed revera vaticinium Ezechielis de excidio Tyri aliud non est, quam quod ante ipse Jesaias ediderat cap. 23. Neque tamen apud Jes. scriptum est, quod Optatus ait: *naves Carthaginis*, sed *naves Tarfsis*, quo verbo *transmarina Cilicia* significatur; tamen Augustin. in Pf. 47. malit eo verbo intelligi Carthaginem. Sed neque Carthago fuit Tyrus, imo potius Tyri quædam colonia. *Bald.*

*ibid.* Tyrum Carthag.

Habetur in MSS. S. G. & S. T. *Tyrum ipsam Carthaginem.*

*pag.* 52. nisi Principi.

Hunc locum, qui jacebat in mendo, correximus, addendo

vocem *Principi*, quæ necessaria visa est, licet in MSS. non extet. *du Pin.* Præiverat conjectura *Casauboni*.

*ibid.* socios habere.

Omnes Episcopos sibi subditos. *Albasp.*

*ibid.* de quorum oblationibus.

Oblationes Eulogiarum celebrabant in domibus pietatis, ut communionem aliquam facerent. De hac igitur communionem & oblationem volebat cum aliis Episcopis participare Donatus, sed nescio quid secreto faciebat. *Albasp.* — Eulogiis, quas sibi invicem Episcopi mittebant in signum pacis & amicitiae. *du Pin.* — Totum hunc locum & obscurum nonnihil, & corruptum, sic lego, ac distinguo: *De quorum oblationibus nunquam est dignatus accipere, in qua re media est fides, & Deus Christus: hinc (vel inde) & querela multo &c.* In qua re pertinet ad superiora, quod hic cum sequentibus pessime connexum est. Ita loquitur & L. 5. *Fam de baptismo hoc loco dicendum est, in qua re &c.* Ita & L. 1. *Sic igitur pax Christianis omnibus data est: quam rem Dei esse constat &c.* Etiam L. 6. *Manus vestras, quibus ante nos eosdem calices tractabatis. Eam rem tamen passim vendi iussisti &c.* *Casaub.*

*ibid.* in qua re media est fides.

Deus & lex christiana jubent aliter vivere, & pluris facere Episcoporum oblationes. *Albasp.* — h. e. Testis est ejus conscientia, testis Christus, testes multorum querelæ. *du Pin.*

*ibid.* solus secreto.

Communionem cum aliis non faciebat. *Albasp.*

*ibid.* ut solus nescio quid ageret.

Solus ipse in secreto celebrabat divina mysteria, non in publico cum aliis Episcopis, Presbyteris, & Clericis; communionem eorum vitabat, & perfunctorie tantum ac per transennam quasi aliud agens miscebatur. *du Pin.*

*ibid.* raro est appellatus Episcopus, sed Donatus.

Non id criminatur Optatus, quod Carthaginensis Episcopus Donatus, *Donatus Carthaginensis* sit dictus; neque enim aliter Optatus ipse loquitur, quoties Episcopos nominat; sed quod Episcopus quasi quiddam majus esset ipse, non libenter audiret: mox, *ideo, quamvis non sit ausus &c.* alia editiones plenius: *ideo, quia quamvis &c.* *Casaub.*

*ibid.* quia primus.

In MS. S. G. habetur *quam*.

*ibid.* primus Episcoporum.

Primæ sedis in Africa Episcopus, non tamen propterea plus, quam ceteri, quia unum est & idem in omnibus Sacerdotium. *du Pin.*

*ibid.* et dum nihil.

In MS. S. T. habetur *sed.*

*ibid.* Episcopi Deo debeant famulari.

Maxima olim erat episcopalis dignitas. *Albasp.* — Sunt omnes Episcopi Dei famuli; nullus eorum alteri serviliter obsequi debet, nullus inter eos dominatum in alios sibi vindicare. *du Pin* — MS. S. G. habet loco *famulari, famularum.*

*ibid.* tantum sibi de Episcopis.

Habetur in MS. S. T. *sibi Episcopus exigit.*

pag. 53. et si quando. — fit Macarius reus &c. pag. 60. Locus alias corruptus & hiulcus, nunc restitutus.

*ibid.* partis Donati.

Cum olim interrogarentur Episcopi, & coram iudicibus starent, se Christi & Ecclesiæ Episcopos esse profitebantur. In vita D. Cypriani: *Tu es, quem Christiani Papam suam nominant? Sanctus Dei respondit: Ego.* At Donatistæ Donati, non Christi Episcopos se esse respondebant: quod illis ab Optato crimini datur. *Albasp.*

*ibid.* nam cum Ordinatores tui &c.

Tota hæc periodus, *ad quid jam hic responsuri &c.* manifesta ἀνακωλυσις laborat, quæ tamen ab ipso fortasse Optato. Res quidem ipsa, & sententia optime sic habet; ac proinde nec verba temere sollicitanda. *Preces* apud hos Scriptores *libellum* valere, sive *libellum supplicem*, — ut sibi Episcopum ordinarent Parmenianum — non est, quod moneamus. *Allegare autem preces apud iudices* quid sit, Jurisconsulti melius docebunt. Interim sic existimo, preces illas suas non ipsi per se, vel suos, & ut vulgo loquimur, immediate deferebant, sed iudicibus Provinciæ commendabant apud Acta primum subscriptas, ac signatas coram Aëuario, per quem in publica referebantur. Hoc *allegatio*, nisi me ratio fugit; hinc & *gesta allegationis* super hac ipsa re, tum Augustino contra Petil. tum Honorio in edito quodam contra Donatistas memorata. Quod in aliis editionibus post *allegarent* reperimus, *addendum Episcoporum actis, de quibus infra scriptum est.* *Data &c.* ab eorum errore manasse puto, qui Optatum in his verbis, *is qui-*

quibus, aut quemadmodum ipsi legerunt, de quibus *infra scriptum est*, lectorem suum ad *Acta*, his libris quondam annexa (quod sæpe facit Optatus) rejicere putabant. — Manifeste notam sapere ad marginem positam in MSS. S. T. & P. S. *du Pin* afferit. — Mox pro *alio modo* scribo *aliquo modo*. Ait eos, dum se libenter confessi sunt de parte Donati, etsi non exerte, aliquo saltem modo de Ecclesia Christi non esse, confessos. Non displicebit etiam, si quis ita accipiat: *Quid respondebunt in illo imminente iudicio divino, qui in hoc sæculo alio modo confessi sunt?* &c. *Casaub.*

*ibid.* quo supra memorata increpatio clausa est.

Prophetia extat ibidem apud Ezech. XXVIII, 9. *Morievis in interitu occisorum maris.* *du Pin.*

*ibid.* in terra.

Habetur in MS. S. G. *terra sua.*

*ibid.* quam & bene.

Habetur in MS. S. G. *ob quam merito.* In editis *merito & bene.*

*ibid.* sanctus & sapiens.

Habetur in MS. S. G. *fatis & vero sapienter.*

*ibid.* accipere.

Habetur in MS. S. G. *querere.*

*ibid.* in miserationibus.

Habetur ibidem *in miserationes*, additurque: *& eris Deus propitius peccati.*

*pag. 55. post causarum.*

Reperiuntur in MS. S. G. sed minus bene apposita: *Sed dum & te considero, vereor, ne ad te secunda lectio pertineat. Quidquid itaque &c.*

*ibid.* Provincia proconsulari.

Significatur Africa. *Bald.* Provincia Carthagenensis. *Albasp.*

*ibid.* Veniebant Paulus & Macarius, qui pauperes ubique dispungerent.

*re dispungerent* idem est, ac *consolarentur*. Mira phrasia! *Incert.* — Sed mira ejus interpretatio, ait *Casaubonus*, quia nimirum *pungere* non raro pro *urere*, aut *agere*, ideo *dispungere* sit *consolari*. Sed virum d. & cum ratio fugit, dum non intellexit, aut non cogitavit saltem, a rationibus esse hoc verbum, quo frequenter eadem, aut simili, qua hic Optatus, significatione Tertullianus utitur, ut cum *honore, & officio*, vel *visa di-punctum* dicit. Quid mirum autem,

si dicantur dispuncti pauperes, quibus antea dixit eleemosynas a Constantino missas, quibus sublevati possent respirare, vestiri, pasci, gaudere? Neque enim necesse, ut de ipsorum ære alieno intelligamus. Quanquam & illud fortasse verum: sed elegantius, ut ipsa paupertas, quæ gravissimum vel sola onus, dispuncta dicatur. — De corona militis, ubi de donativo Imperatorum agitur: *Expungebantur milites laureati*, id est, recensabantur, notabantur. *Albasp.*

*ibid.* Bagaiensem civitatem proximarent.

Habetur in MSS. S. T. & S. G. *Vagaiensem*. — Afra locutio. *Incere.*

*ibid.* per omnes nundinas misit circumcelliones.

Locus ita distinguendus videtur *Casaubono*: *Præcones per vicina loca, & per omnes nundinas misit, circumcelliones Agonisticos nominans ad prædictum &c.* ut in *Cocleana*. — Vocis hujus *circumcelliones* etymologiam tradit Augustin. contra Cresc. c. 28. his verbis eos describens: *Quis enim nescit hoc genus hominum in horrendis facinoribus inquietum, ab utilibus operibus otiosum, crudelissimum in mortibus alienis, vilissimum in suis, maxime in agris terrigans, & victus sui causa cellas circumiens rusticanas; unde & Circumcellionum nomen accepit, universo mundo pene famosissimum, Africani erroris opprobrium.* Idem Augustin., qui plura eorum scelera vidit, quam Optatus, inter alia injuriam narrat, quæ fiebat creditoribus & dominis, cum Donatistæ & servos ad pileum vocare viderentur, & debitoribus novas tabulas darent. epist. 50. *du Pin. Bald.*

*ibid.* Agonisticos.

Quod pugnarent adversus eos, qui sua tuebantur. *du Pin.*

*pag. 56.* dementia.

Quia immania multa & inaudita perpetrarunt isti circumcelliones, multique eorum sese præcipitaverunt, ut martyrii gloriam assequerentur. *Casaub.*

*ibid.* succensa.

Habetur in MS. S. G. *compressa*, sed perperam.

*ibid.* ante unitatem.

Antequam Macarius ad unitatem cogeret Donatistas, jam a Constantini temporibus erant circumcelliones. *du Pin.*

*ibid.* cum Axido & Fasir.

Duces circumcellionum ita nominati. *Idem.*

*ibid.*

*ibid.* in loco Octavenfi.

Numidiæ oppido. Inter Episcopos, qui sententiam dicunt in Conc. Carthaginensi sub Cypriano, est *Victor ab Octavo*. In noticia Episcoporum Numidiæ est *Octobensis*, sive *Octavenfis* Episcopus. *du Pin*.

*ibid.* per dealbatas aras & mensas.

Per dealbatos tumulos in aræ formam constructos. Cum Donatistæ Circumcelliones illos occisos pro Martyribus haberent, super eorum sepulchra aras extruxerant; nam super tumulos Martyrum aras erigere solebant primi Christiani, & ibi sacra celebrare. Hujusmodi aræ etiam mensæ dicebantur. Insignis est ea de re locus apud S. August, Serm. *de diversis* olim 113, nunc 310. in natali Cypriani M. Denique, inquit, *sicut nostis, quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco mensa Deo constructa est, & tamen mensa dicitur Cypriani: non quia ibi est unquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus, & quia ipsa immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua pascat sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur*. Hujusmodi aras, sive mensas super tumulos Martyrum passim in agris & viis ædificari solitas, præsertim in Africa docet Conc. Carthag. 5. Canon.: *Placuit, ut altaria, quæ passim per agros aut vias tanquam memoria Martyrum constituantur &c.* Alias non desunt exempla, quibus ostendatur, tumulos mortuorum aras & mensas dici potuisse. Apud Ovid. ararum sepulchralium fit mentio. Seneca epist. 86. *In ipsa Scipionis Africani villa jacens hæc tibi scribo, adoratis manibus, & ara, quam sepulchrum tanti viri esse suspicor*. Cicero de L. L. lib. 2. *Sepulchris autem novis finivit modum, cum super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus digitis non altiorem, aut mensam, aut labellum*. Suorum autem, ut putabant, Martyrum sepulchris aras & mensas impositas dealbaverant Donatistæ, ut notiores & insigniores essent, atque a cæteris distinguerentur. *du Pin. Casaub.*

*ibid.* insepultam faceret sepulturam.

Ut ab Ecclesia sepulturas illas ejiceret. *Albasp.* — Ut corpus humatum aut mox humandum exhumaret, aut abjiceret. *du Pin.* — Est imitatio Ciceronis, qui in 1. Philippica de funere Julii Cæs. c. 2. *Cum serperet in urbe insuissimum malum, idque maneret in dies latius, iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam fecerant*. Vid. ad hunc locum Interpretes. *Clericus.*

*ibid.* unde proditum est.

Unde proditum, Donatistas vel suis sepulturam in domo Dei denegasse. *Albasp.* — Hanc inquit occasionem Catholicos traducendi arripuerunt Donatistas, quasi sceleris illius, ac stragis circumcellionum fuissent impulsores & auctores, quia cæsos in Basilicis sepeliri postea non permiserunt, quasi idem esset, sepulturam in Ecclesia negare, & vita privare. Observare nos hoc jubet Balduinus, vetitam tum in templo vel Ecclesia sepulturam. Sed si ea mens Optati est, quod his negatum est, id publica lege ac more negatum esse; non video, qui hinc argumentum vel levissimum mandatæ a Catholicis stragis Donatistæ ducere potuerint, quod tamen innuere, causamque hujus suspicionis & calumniæ reddere videtur Optatus. Scio extare aliquot Canones, qui vetant, fortasse & aliquot Imperatorum leges. Id tamen in Africanis Ecclesiis non ultra obtinuisse suspicor, quam ut sine permissione Episcopi non liceret. Quod tum hic Optatus, tum Augustinus *de cura pro mortuis* non obscure subindicant. Armogastes apud Viçt. Uric. Lib. 1., cum Felicem rogaret morturus, ut se sub filiquæ arbore sepelire dignaretur, respondit Felix: *Abset a vobis, Confessor venerabilis, sed sepeliam te in una Basilicarum, cum triumpho & gratia, quam mereris.* In urbe autem intra muros, nefas fuisse præter paucos, quos nexu communis legis speciale privilegium exemerat, quemquam sepelire per romanas leges, vel quæ extant hodie, abunde fidem faciunt. Quod etiam statim post Constantini tempora cæpit obsolescere, tandemque penitus legibus imperialibus abrogatum est, diutius tamen multo aliis in locis, ut in Galliæ civitatibus, etiam & Angliæ servatum est. Sed hæc obiter. Quod autem Baronius ad A. Ch. 309. ex L. de Rom. PP. elicit, Ecclesiæ romanæ a Maxentio, Maximiani filio, jam tum concessum fuisse, ut corpora christianorum Martyrum intra urbem, sepelire ipsis liceret, donec aliunde confirmetur, probabile mihi non videtur, tam recente adhuc Diocleriani & Maximiani lege, quæ tam aliis omnibus, quam Christianis interdicebat. *Casaub.*

*pag. 57.* quando nec sepultura &c.

Quasi diceret: Immerito omnino id vitio verterunt Catholicis Donatistæ, quod unus ex eorum Presbyteris circumcelliones in Basilicis sepeliri vetuerit, cum sepultura in domo Dei non solet passim concedi omnibus, multo minus sceleratis, qui merito interfecti fuerant. *du Pin.* — Lex quæ-

quædam Gratiani temporibus Optati edita negat, Apostolorum vel Martyrum sedem humanis corporibus esse concessam. L. 2. C. de *Ss. Eccles.* Augustinus tamen in Lib. de *cura pro mort.* laudat eos, qui cupiebant in Ecclesia sepeliri posse prope sepulchra Martyrum. *Bald.*

*ibid.* eorum postea.

Ex his insanis, quibus sepulturam denegastis, Donatus Bagaj. turbam & milites sibi conduxit adversus Macarium. *Albasp.*

*ibid.* habebant illinc vocatorum &c.

Habetur in MS. S. G. *furabant illinc vocatorum infinita millia populorum, quibus etiam annonam &c.*

*ibid.* metatores.

Hos dicit, qui missi fuerant, ut venturis militibus hospitium aut tentoriorum loca designarent. Ii dicuntur *mensores* in jure civili. In Comm. Suidæ *μῆστρος* exponitur, qui nuntius mittitur ante Principem designaturus hospitium. Huc alludit illud Sîdonii Apoll. L. 8. *Metatoriam paginam quasi cum Musa prævia missi*: h. e. inquit Sirmondus, *epistolam adventus sui nuntiam quasi diversorium, ναὶ ναὶ ἀγῶνυς designaturam, hoc enim erat opus metatorum. du Pin.*

*ibid.* contusi sunt &c.

Hic vocem hanc posuimus ex MSS. S. T. & P. S. quia ita postulat hujus loci sententia: patet enim ex seq. eos, qui vexati sunt, fuisse milites missos a Ducibus, non circumcelliones. *du Pin.* — Aliæ editiones: *Qui missi fuerant, cum equis suis contusi sunt ab iis, quorum &c.* Præoccupatos ait, quod seorsim tractati sunt eo modo pauci illi, qui præmissi fuerant, priusquam reliqui, qui non ita longo intervallo sequebantur, pervenire possent, qui eos periculo eriperent. Quos hic *contusos*, mox *vexatos*, quod tantumdem. Non mediocris enim sive contumeliæ sive injuriæ verbum hoc esse *vexare*, sed gravi & atroci rei conveniens, ab A. Gellio & Macrobio pridem observatum est, quæ ipsorum observatio in legendis Scriptoribus ecclesiasticis præcipui usus est. *Casaub.*

*ibid.* ab iis, quorum nomina &c.

A Donati scilicet militibus, quorum nomina ventilabat Parmenianus, ut invidiam faceret Catholicis; sic enim eodem sensu ipse Optatus alibi: *Quare Macarius duos jussit occidi, quorum nomina, ut supra dixi, stabello invidia ventilatis. du Pin.* — Non igitur ad nominum ipsorum odium aut injuriam, sed ad faciendam illis ex istis nominibus invidiam,



eorum nomina, qui metatores præmissos, occupato cæterorum adventu, male multaverunt, & ab iratis militibus postea occisi sunt, tanquam innocentium ac Martyrum usque jactabant, atque *invidia*, ut ait Optatus, *stabelleo venilabant*. Atqui, ut bene excipit ac subjicit mox Optatus: *Ipsi Magistri fuerant invidia sua: & quid pati possent, ipsi prærogatis injuriis docuerunt. Injuriam prærogare inusitatum est. Apud Zenonem Veron. aliquoties prærogare pro erogare, & prærogatio pro dono sive beneficio. Sed plane eo sensu, quo Collat. Carth. Quare nobis non rependitur, quod prærogavimus? Proxima autem sententia ad numeros suos, dixit ordines aut commilitones intelligens, ut Tertull. Apol. cap. 37. Si enim & hostes exercitos non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum. Casaub.*

*ibid.* possunt. — prærogatis.

In MS. S. T. *potuissent*. In MS. S. G. *prærogatis*.

*ibid.* sic admissum est, quod invidiam.

Habet MS. S. G. *admissum est, quod in invidia unitatis factum esse memoratis*.

pag. 58. *audivimus*.

In MS. S. G. *audistis*.

*ibid.* proposita.

In MS. S. T. *præpositi*.

*ibid.* quid nostra.

In MS. S. G. *quid nos pro quid ad nos?*

*ibid.* & tamen in sapore &c. erogatur.

Priores editiones habent: *Es. tamen liquor in lumine, etiam in sancto Sc.* Cum sine sensus dispendio utrumque possit ferri, conjugari vero & variari non uno modo verba possint, sine ope MScI exemplaria, difficile puto de vera lectione statuere, nec minus ineptum, valde laborare. Sed cum de vino prius, Optatus sacrum duntaxat ejus usum, quem habet in spiritali Eucharistiæ Sacrificio, commemorarit, non puto eum olei usum extra sacra ullum attingere voluisse. Quis autem olei sit sacer *sapor*, ignoro. Nam ut *sapor* sit hic *μεταφορικος*, quasi *ὡς ὄσμη ἰωδίας*, vel tale quid vellet, ne id quidem facile concesserim. In *lumine* autem & *chrismate* qui olim, & quam multiplex usus olei, satis notum est. Sed non in omnibus Ecclesiis eadem consuetudo fuit. In Africa autem Victor Utic. L. 2. *lampades & cereos* ut solitum Ecclesiarum ornatum inter alia meminit.

Siquis

Siquis subtilior esse velit, per lumen baptismum, quem *φως* recte dici docet Gregor. Naz. *ἡς τοῦ ἁγίου βαπτισμοῦ*, possit intelligere. Aliter tamen ego censeo. Sed neque *το χρισμα*, quod hic proprie de unctiōe, quæ *κατ' ἰσχὺν χρισμοῦ*, sed in genere de quavis unctiōe sacra, quæ olim a veteri Ecclesia usurpata est. *Casaub.* — Eo innocue utuntur homines in condimentis, in lucernis, in ipsis mysteriis. *du Pin.*

*ibid.* et ipsius vox est.

Additur in MS. S. G. in libro *Levis.*

*ibid.* post utrosque.

Inferuntur male in MS. S. T. hæc verba: in libro *Regnorum*, quæ non occurrunt in MSS. S. G. & P. S. & sensum omnino perturbant. *du Pin. Casaub.*

pag. 59. & cum memoriis Apostolorum.

Nota modum illum loquendi: *cum toto orbe terrarum, & cum memoriis Apostolorum.* Communio ab antiquis perfecta non habebatur, quamvis eam cum toto orbe haberes, nisi cum memoriis Apostolorum, h. e. cum B. Petro communicares. Perfectio communionis christianæ pendet ex communione, quam habemus cum D. Petro, & cum ejus Successoribus; alioquin Deo non potest esse grata. *Albasp.*

*ibid.* quæ placita est.

Habetur in MSS. S. T. & P. S. *placita sunt.*

*ibid.* per unicam religionem.

Quasi aliis in rebus nulla esset religio, neque credendum esset, & jusjurandum interponendum nisi per ejusmodi Martyres. *Idem.*

*ibid.* nominibus.

Quia eorum nomina tanquam præcipuorum Martyrum a Donatistis inter sacra & ex diptychis recitabantur. *Idem.*

*ibid.* aspernantes.

Siqui a Macario sunt occisi, ut Marculus & Donatus, fugitas est fugienda, quæ Martyres facit. *Idem.*

*ibid.* Marculus & Donatus.

Donatus ille est Bagajensis, ut ex August. discere est homil. II. in Joan. *Ecco Marculus de petra precipitatus est: Ecco Donatus Bagajensis in puteum missus est.* Aiebant Catholici, ipsos sese præcipites dedisse; quod incertum tamen esse fatetur August. credibilis tamen censet, quia insolitum erat istud supplicii genus. Marculi passio a quodam Donatiano scripta

scripta prodit Anale&. Mabill. Tom. 4. Prænotatur III. vel VIII. Kalend. Decemb. Ibi Masculus Presbyter tantum dicitur, non Episcopus. Ibi etiam legitur iussu Macarii, quem Constans cum Paulo in Africam miserat, victus primum in possessione Vegesela, in qua Macario cum Episcopis quibusdam Donatianis occurrit, funium ictibus cæsus cum Sociis, inde per aliquas Numidæ civitates sub ar&issima militum custodia usque in Castellum novæ Petræ perductus, & tandem elapso quatridduo de petræ culmine a militibus præcipitatus. In Coll. Carth. Dativus Episcopus Donatistarum Novapetrensis ait, adversarium, hoc est, Episcopum catholicum se non habere, *quia illic est Dominus Masculus, cujus sanguinem exigit Deus in die iudicii.* Hinc Donati & Masculi nomina translata fuisse videntur inter Martyres catholicos; Donati quidem ad diem I. Martii, ubi passus dicitur apud Usuardum: *Donatus Carthagini sub Ursacio Duce & Marcellino Tribuno: & Marculi ad diem 26. Novemb.* nam de eo habet Martyrologium Usuardi: *In Nicomedia (pro Numidia) B. Marculi Sacerdotis & Martyris, qui temporibus Constantis Tyranni persecutiones maximas pertulit, ad extremum ab alta rupe præcipitatus est.* Conveniunt nomen Martyris, Imperatoris, & genus mortis; nomen etiam loci non multum diversum. Constans ibi Tyrannus dicitur, quo epitheto non potuit nisi a Donatistis infamari pius Princeps. In Rom. Martyrologio nomen *Marculi* mutatum in nomen *Marcelli*, *Constantis* in *Constantii*, & ab *Arianis* pro *Macavianis* de rupe præcipitatus dicitur. Rabanus *Marculum* pariter inter Martyres recenfer. Haud dubie non alius is est a Donatiano, de quo hic Optatus. *du Pin.*

*ibid.* nemo erat lædendus.

Macarius neminem debebat lædere, sed neque a vestris unitas erat impedienda. *Albasp.*

*pag. 61.* præcepta sunt vindicata.

Habetur in MSS. S. T. & P. S. *unius Dei processæ sunt vindictæ.*

*ibid.* quem servum.

Habetur in MS. S. T. *quæ, in editis quo.*

*ibid.* Christus venerat pati.

Respondabant Donatistæ, distinguenda esse tempora, & post adventum Christi neminem lædendum esse, gladiumque Petri recondendum, quibus rursus respondet Optatus: Gladium quidem Petrum recondidisse, quia oportebat Christum

sum pati, non defendi; sed illud exemplum ultra Christi passionem non esse producendum. *Albasp.*

*ibid.* si cogitatum suum Petrus &c.

Si Petrus executus esset, quod suus ei zelus dicebat, ut serum illum scilicet occideret; potuit videri Christus passus tanquam reus cædis & homicidii commissi potius, quam innocens pro fontibus. *Casaub.*

*ibid.* Christianorum nullum fenserint bellum.

Imperatorum persecutionem. *Albasp.*

pag. 62. ante annos LX. & quod excurrit.

Habetur in MS. S. G. *prope septuaginta.*

*ibid.* et quia ad sacra &c.

Scribo: *Et qui ad sacra sacrilega venire non poterat, ubique sibus ponere, i. e. adolere, thus offerre, (& inde thurificaci in illius temporis historia decantatissimi) cogebatur.* Morbo vel ætate confectos & *αλιενης* intelligit, quos fontica causa domi retinebat. Unde eleganter infert Optatus: *Omnis locus templum erat ad scelus.* *Casaub.*

*ibid.* sub Macario pigri.

Non hic pigros intelligit, qui negligentius Ecclesias & cœtus ecclesiasticos frequentabant, sed Schismaticos, aliosque, qui non negligentia peccabant, sed consulto consilio aut certo potius furore, Cœtus Catholicorum, quasi impuros & inquinatos, vitabant & averfabantur, in eoque religionis non minimam partem ponebant. Ita Donatistæ Catholicos *pigros* & *infi* vocabant. Noster L. 6. *Ex residens in sinu matris Ecclesie, quasi pigros & tardos accusant.* Vid. & supra ad ista L. 2. *Inertia a confessione Dei delapsos thurifasse.* *Casaub.*

*ibid.* ergo cum videatis usque ad Martyres esse vultis.

pag. 63.

Deerant in omnibus editis, & omissa fuerant in MSS. S. T. & P S. Supplevimus ex MS. S. G. quæ genuina esse, nemo potest ambigere. *du Pin.*

pag. 63. idola rogarentur.

Rogare est adorare. Infra hoc libro: *Testamentum divinum legimus pariter, unum Deum rogamus.* Item *paganum vocas eum, qui Deum per filium ejus ante aram rogaveris.* *Incert.*

*ibid.* quos dicitis appellari Martyres.

Habetur in MS. S. T. *quos dicitis debere appellari.*

**ibid. societas Angelorum.**

Viderur explicare hæc Apostoli verba: *etiam Angelorum*, de aliqua cum eis societate & communione, & loqui omnium gentium linguis, esse epistolas communicatorias ab omnibus gentibus accipere, & cum eis communicare. *Albasp.*

**ibid. unitate catholica.**

Habet MS. S. G. *Carbolica.*

**pag. 64. ab invicem divisi — anteponit.**

Suppleta ex MS. S. G. — Orthodoxi volebant communicare cum Donatistis. Donatistæ autem reluctabantur, & eorum communicationem fugiebant, quapropter sese anteponebant. *Albasp.*

**ibid. nonne pares crevimus.**

Placuit *Albaspineo in ove*, uti *Baldwinus* habet, & loco *pares* legitur etiam *pars*.

**ibid. quod enim scissum est &c.**

Subtiliter distinguit inter ista: *scindere* & *abscindere*, quod tamen discrimen a quoquam observatum vix alibi reperies. Interim res ipsa dignissima, quæ diligenter animadvertatur. *Casaub.*

**ibid. conversatio.**

*Una disciplina. Albasp.*

**ibid. unum Deum rogamus.**

Huic Scriptori *rogare est adorare: negare vero; renegare*, quod verbum hodie in Hispanismo Latinitatis recentissimo integrum remansit. *Barth.*

**ibid. oratio dominica.**

Intelligit Missæ Sacrificium. *Albasp.*

**pag. 65. tempestatem — & accusationes.**

Accusationis nomen, quod hic sæpe repetit Optatus, tanquam ex Propheta, neque in iis, quæ ex eo profert hic, neque in toto illo, ut nunc legitur, Ezech. capite, ullum vestigium. Græcos secutus videtur. Interdum etiam verba aliqua sua interserit Scripturæ verbis, ut (pag. 66.) *non sunt quæ dico, de luto, aut pariete*, quod ipse quasi supplet. Quod autem sequitur *hoc verbo*, seducunt, *videte, cui parvi competat*, ita intelligendum est: Vel hoc uno verbo conjicite, cui reliquus totus locus competat; alioquin *hoc verbum* dicendum fuisset. Etiam paulo ante, quod hic, *sed fundamentis suis se iterum reparavit*, mallet enim aliis editionibus: *sed de fundamentis suis &c. Casaub.*

*ibid.*

*ibid.* quod legitimum est.

Cum per domos discurrerent Donatistæ, ut simplices corrumpere, usurparam & solitam salutandi formam, quæ apud Christianos frequentabatur, non prætermittebant, dicebantque: *Pax huic domui*; quare Prophetæ locus ad eos pertinebat. *Albasp.*

*ibid.* pluviam diffundit.

Conjicit *Barthius*, defendit legendum; defendere autem arere esse, asserit.

pag. 67. et quæ sint verba seductionis.

In MS. S. G. *et quæ sunt seductionis vestra.*

*ibid.* estote Christiani.

Orthodoxorum baptismata respuebant. *Albasp.*

*ibid.* uxorem ejus.

Additur in MS. S. G. *Molossodon.*

*ibid.* quis est ille, nescio quis angelus?

Malus utique, id est diabolus, qui animas nondum redemptas a Christo possidisse mox dicitur. An eo respexit, quod Christus, qui nos redemit, Angelus fœderis Malach. 3. Fuisse etiam Hæreticos; qui *Angelos creatores esse animarum* assererent, docet Augustinus, ubi de Seleucianis sive Hermianis hæreticis, sed illud huc pertinere non puto. *Casaub.*

*ibid.* Cai Sei &c.

Nomina sunt hæc vulgaris, quibus generatim hic & ille designatur. Unde & Tertullianus in Apolog. commemorat vulgare illud de Christiano: *Bonus vir, Cajus Sejus.* Similem Donatistarum ad Catholicos allocutionem refert August. L. 2. de bapt. c. 7. *Bonus homo esses, si non esses traditor. Consule animæ tuæ, esto Christianus.* Ad quæ cum Optato pariter exclamar: *O improbam rabiem, cum Christiano dicitur, esto Christianus! Quid aliud dicitur, nisi, nega te Christianum? Bald. du Pin.*

pag. 68. sunt enim &c.

Vocabant paganos non solum eos, qui essent baptizati ab Orthodoxis, sed etiam eos, qui post baptismum a Donatistis acceptum ad communionem Orthodoxorum transferant. *Albasp.* — Loco ad nostram communionem &c. habet MS. S. G. *A communionem nostram minime recesserant, & ut ipsos seducas, paganos vocas.*

*ibid.*

*ibid.* qui Deum ante aram &c.

Catechumeni ante aram non orabant, neque Deum patrem vocabant. Hoc fidelibus tantum licitum erat. *Albasp.*

*ibid.* manus tuæ porrectio.

De absolutione hæc accipienda esse videtur, eumque loqui de iis, qui essent baptizati apud Donatistas: nisi dicas, & hæc verba: *At si sibi consenseris*, ad eos referenda, qui essent tincti apud Orthodoxos. *Albasp.*

*ibid.* pauca verba.

Oratio manus impositionem sequebatur. *Idem.*

*ibid.* Christianum faciunt Christiano.

Lege de *Christiano*. Antiqui non pluris faciebant peccatorem antequam pœnitentia donatus esset, quam Ethnicum, eumque pro non Christiano habebant. Tertull. *de pudicit.* *Secunda te pœnitentia excipiet, eris iterum de maccho Christianus.* Quapropter hæc verba possunt & ad pœnitentes, & ad rebaptizatos referri. *Albasp.*

*ibid.* de sacrificio adventantis unitatis.

Intellige de Sacrificio Eucharistiæ, quod celebraretur a Presbyteris Macarii. *Albasp.* — In MS. C. habetur, *adventante unitate.*

*ibid.* de sacro gustare.

Intellige de cibus immolatis in sacrificiis Deorum. *Idem.*

*ibid.* fecisse.

Intellige, Interfuisse Missæ, & de Eucharistia sumsisse. *Idem.*

*ibid.* alia ratio exegit.

Quam postea exponit, nempe de imagine. *Idem.*

*ibid.* compleverat.

Habetur in MSS. S. T. & P. S. *oppleverat.*

*ibid.* proferrent illi imaginem.

Loco illi habetur in MS. S. T. *hic*, & in MS. P. S. *illic. Imaginem* intellige Imperatoris. Nam Imperatores pagani imagines sive statuas suas in Provincias & Civitates mittere consueverant, quas populi religiose excipiebant, & colebant. At christiani Imperatores morem hunc sustulerunt. Donatistæ, ut horrorem Sacrorum, quæ celebrabantur a Catholicis, incuterent, fingebant, effigiem Imp. Constantis in eorum altaribus poni consuevisse, dum Sacrificium celebraretur; quo nihil odiosius apud Christianos excogitari poterat. *du Pin.* — Suspicio, quod hic fingebatur, fuisse de profana imagine, sive statua ipsius Imperatoris, a quo missus

missus erat Macarius; ut mirari non debeamus; si tale simulacrum, quod in altari collocaretur, Christianos exhorruisse narret Optatus; cum quidem id fieret contra Imperatorum mandatum. Nam licet Principes ipsi illis temporibus magnificerent suas statuas, idola tamen esse noluerunt. Ipse Theodosius jun. in quadam Constitutione: *Si quando, inquit, nostra statuae vel imagines eriguntur, adsit iudex sine adorationis ambizioso fastigio, vel, ut alii legunt, fastidio.* Sed si nolit Theodosius fastidiri adorationem suae statuae, civilem modo honorem requirit, qualem eo tempore significabant superbo & ambizioso verbo *adorationis*. Saltem in Cod. Theod. adjicitur ejus Constitutioni clausula: *Excedens cultura hominum dignitatem superno Numini reservetur.* Imagines illas vulgo vocabant *Lauratae*. Unde in Actis Synodi Nic. II. ubi de SS. imaginibus agebatur, legimus: *Laurata, & icones, quae mittuntur ad civitates vel regiones, obvii adsunt populi cum cereis & incensis, non cera perfusam tabulam, sed Imperatores honorantes.* Bald. — Hunc locum de *Labaris* Imp. interpretatur quoque Baronius. Nihil ille tamen aliud affert, quam quod Balduinus in notis. Ceterum qui plura de istis, sive ritu, sive voce cupiet, eaque certe, si quae alia, scitu dignissima, Claud. Salmasium in Augustae hist. Scriptores adeat. De iisdem extat & integrum caput in Caroli M. contra imagines L. III. 15. cujus argumentum est: *Contra vos, qui dicunt, si enim imperiales imagines & effigies emissas in Civitates & Provincias, obviabant populi cum cereis & thymiamatis, non cera perfusam tabulam honorantes, sed Imperatorem &c.*

*ibid.* de sacro gustat. —

Qui gustaret de Eucharistia oblata, super altare, in quo posita esset illa imago alterius Dei. *Albasp.* Vid. etiam, quae supra de sacro.

*ibid.* ritu solito perfecta.

Christianorum. *Idem.* — In MS. S. T. L. 7. & P. S. habetur *perfecta est.*

*ibid.* Pax a Deo commendata volentibus.

Alludit ad ista Evangelii verba, quae jam supra protulit: *Pax hominibus bonae voluntatis.* Lucae II, 24. *Hominibus bonae voluntatis* Optatus — quod est magia latinum — *volentes*, sive *volentibus* expressit. *Volens* idem est, ac *Amantibus*, *Desiderantibus*. *Volens* in antiquis ponitur pro *amico*,



*ibid.* diapsalmate.

Quod in Hebr. *Selah*, Græci plerumque *διαψαλμα*. Id autem alterius quasi sensus exordium multi credidere, teste Hieron. Quod & Augustin. in Psal. IV. aliique testantur. Inde aliquando pro parte Psalmi, quamvis in toto nullum *Selah* aut diapsalma reperiri testantur viri docti. Alterum autem, cum jam *ψ. 6.* (non enim sequendi, qui tollunt, cum sit & in Hebr.) præcesserit. Ideo fortasse dictum ab Optato hic est, *sub secundo &c. Casaub.*

*ibid.* septem Ecclesiis & memoriis.

Christianis Asiæ, & reliquiis B. Petri & Pauli, quæ communitio necessaria est, ut quis sit in unitate christiana. *Albasp.*

*pag. 72.* honoribus exspoliastis.

Sine causa & absque crimine Episcopus deponitis: quod non minus crimen erat, quam innocentem ad poenitentiam cogere; utrique enim tollitur gradus & pars, quam habebat in corpore Christi. Adde ex Cypriano Episcopatum divinum honorem esse. *Albasp.*

*pag. 73.* electi estis.

Scribe: *lecti estis*, quod valet: *Scriptum porro est de vobis*, aut aliquid simile. *Lectum* enim pro *scriptum*, cum de sacris Scriptoribus loca proferuntur, & *lectio* κατ' ἑξοχὴν pro quavis S. Scripturæ periocha, aut pericopa. — Capitulum vocant Tertull. & alii — tam frequens est in his & similibus libris, ut nihil frequentius esse possit. Notum ac tritum est, quid Nehem VIII, 8. non pauci *mikra* exponant, vel quid ea voce Hebræi Doctores vulgo designent. Eadem ratione & Alcoranum dici multi autumarunt. Quod autem ait Optatus, *lecti estis &c.* non ita intelligendum, quasi hoc ipsum de iis ac totidem verbis esset scriptum. More enim suo quasi supplet & interpolat verba Scripturæ, ut proposito suo accommodet. Quasi dicat: *Lecti estis, qui sedentes* — quando nempe populum docetis, concionamini, quod sedentes utique pro more tractantium facitis — *detrahitis nobis &c. Casaub.* — Nam, ut ait Optatus, *populus in Ecclesia non habet sedendi licentiam.* Hoc solis Antistitibus, qui populum docebant, erat concessum in Ecclesiis Africanis, ut præter Optatum docet Augustinus in variis locis. Alia consuetudo obtinebat in quibusdam transmarinis Ecclesiis, ut discimus ex eodem Augustino Lib. *de Catech. rudibus* c. 13. ubi consulit iis, qui docent alios, *ut aliquando eis oblata sessione succurrant, quanquam*, inquit,

quit, *sine dubitatione melius fiat, ubi decenter fieri potest, ut a principio sedens audiat, longeque consuleius in quibusdam Ecclesiis transmarinis, non solum Aristites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subjacent.* Alius erge mos erat quarundam saltem Ecelésiarum transmarinarum, alius Africanarum. In illis non solum Antistites loquentes sedebant, sed & auditores; in his vero contra soli Antistites sedebant, cum populum alloquebantur, populus vero stans audiebat. Attamen S. August. hom. 26. testatur, *se in gratiam eorum, qui aut pedibus dolebant, aut aliqua corporis inaequalitate laborabant, consilium dedisse, & quodammodo supplicasse, ut quando aut passiones prolixæ, aut certe aliqua lectio longiores agebantur, qui stare non poterant, humiliter & cum silentio sedentes attentis auribus audirent, quæ legbantur. au Pin.*

*ibid.* ne nos saluent.

Christiani olim & domi, & per vicos, & in Ecclesia osculose se salutabant. *Albasp.*

*ibid.* dignationem.

*Dignatio* a posterioris ævi & cum ævo declinantis latinitatis Scriptoribus, pro *humanitate* sive *facultate* solet accipi. Unde, quod a veteris & germanæ eloquentiæ Principe dictum est: *Qui dignitate Principibus excellit, facilitate par infimis videtur,* a Sidonio Apoll. ita expressum est: *Dignitate clarus, dignatione communis.* L. 1. epist. 9. & 3. L. 7. ad Fontelum Papam sive Episcopum: *Cum fitis opinione magni, gradu maximi, non tamen estis vos amplius dignitate, quam dignatione laudandi.* Hinc & de quovis officio, quod testandæ humanitatis causa invicem præstamus, & exhibemus. Simmachus L. 9. epist. 63. *Sed licet me officii ordine & dignatione praverteris, imposterum tamen nequam residem judicabis &c.* S. August. conf. L. 6. c. 2. *de matre: Sed illa cum attulisset canistrum cum solemnibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam, quam unum pocillum pro suo palato satis sobrio temperatum, unde dignationem sumeres, non ponebat.* Alii ediderunt *indignationem*, quod verius esse puto, si disjunctim legatur: *in indignationem.* Noster hoc loco, ni fallor, pro *osculo*, ut ipse videtur post aliquot lineas exponere, ubi hæc iterum pluribus verbis. *Casaub.* — *Dignatio* apud antiquos pro *gratia* accipitur. Cum igitur aliquem oscularentur, vocabant hoc *gratiam* & *communione* facere, quam cum orthodoxi habere nollent cum Donatistis, osculi officium repudiabatur. *Albasp.*

*ibid.* convitia nostra suis tractatibus.

*Convitia nostra*, pro iis dixit, quæ in nos factata debebat proferre. *Incert.* — *Tractatus* sunt Episcoporum in Ecclesia sermones, & Evangelii explicationes. Cypr. epist. 46. L. 4. *Nec tractantes Episcopos audias.*

*ibid.* qui non aut aliud, initiet.

*Incipiat. Albasp.*

*ibid.* lectiones dominicas.

Per Evangelii lectionem incipitis, sed mox ea omiſſa ad convitia transitis. *Albasp.*

*ibid.* profertis Evangelium.

Sensus est: Evangelium pacis profertis, & odia feminatis. *Idem.*

*ibid.* infunditis odia.

In MSS. S. T. & P. S. *infigitis.*

*ibid.* non ad populum.

Aliquamdiu, fateor, torſit me hic locus. Nam ſiquis hinc *καλος* iret concludum, populo olim, ſive laicis in Eccleſia non licuiſſe ſedere, multa in mentem veniebant, quæ poſſent opponi. Tandem commode occurrit Auguſtini locus, qui ut mihi, ita ſpero lectori abunde ſatisfaciet, & omnes ex Optato tenebras diſpellat. — Vide notam *Dupinii* ad vocem *Electi eſtis*, ubi locus Auguſtini ex L. *de Catech. rud.* profertur. — Illud modo ne quis hæreat, *transmarinas* Eccleſias appellari ab Auguſtino Afro, quæcunque tunc erant Occidentis Eccleſiæ. Optatus L. II. univerſi orbis populos in Africanos, Orientales, ac *Transmarinos* dividit. Plura de hujus vocis uſu congeſſit Juſtellus ad Can. Eccl. Afr. *Cafaub.* — Quod Epſcopi & Presbyteri jus ſedendi in Eccleſia habebant, non autem plebs, quæ ſtando aut genibus flexis orabat, apud antiquos Sacerdotium vocatur, *honor conſeſſus. Albasp.*

*ibid.* non intellectas.

Loca Scripturæ, quæ perperam explicant. *Albasp.*

*ibid.* in perfunctoria.

In civili ſalutatione. Non ſolum christianam ſalutem, ſed etiam civilem nobis denegatis. *Albasp.*

pag. 74. *Praxeas.*

In MSS. omnibus & in editis hic habetur *Ebion* pro *Praxea*. Sed erroris iſtius, Patrem paſſum eſſe, auctor fuit *Praxæas*, non *Ebion*. *Praxæas* etiam nominatur ab Optato L. I. Et

L. V. in MSS. S. T. & P. S. pro *Ebione* legitur *Praxeas*:  
*Apud Praxeam Patripassianum, qui ex toto filium negat, &*  
*Patrem passum esse contendit. Ex his restituimus Praxeam*  
*pro Ebione, quanquam hoc loco MSS. auctoritate destituti.*  
 Forte in his omissa est una aut altera linea, & legendum:  
*Ut Ebion, qui Christum dicebat esse merum hominem: ut*  
*Praxeas, qui argumentabatur, Patrem passum esse. du Pin.*

*ibid.* qui habuit cancerum.

Apud Papinianum qui habuit cancer. In MS. S. G. quem habuit  
 cancer.

*ibid.* Marcion &c.

Tertullianus in L. de *Præscr.* non Episcopum, sed Episcopi  
 filium fuisse ait, & a patre excommunicatum, propter stu-  
 prum. Alioquin Marcionem vixisse Solitarium scribit Epi-  
 phanius. *Bald.* — Quomodo autem duos Christos & duos  
 Deos ponerent Marcionitæ, lege Perronium ad D. Augu-  
 stini locum ad Adimantum. *Albasp.*

*ibid.* Valentinus &c.

Hoc etiam Tertullianus in suis libris contra Valentinianos ut-  
 cunque dissimulet, cum alia eorum portenta exagitet, ta-  
 men in libro de carne Christi non obscure accusat Valen-  
 tinianum, qui, ut ait, carnem Christi spiritalem commen-  
 tus sit, quasi hanc Christus ex cælo attulerit, & per virgi-  
 nem potius, quam ex virgine natus sit. *Bald.*

*ibid.* Scorpiani.

In MSS. S. T. & P. S. *Corpiāni*. Qui fuerint hæretici, qui mar-  
 tyria negabant, præter alios docet Tertull. qui adversus  
 Gnosticos eo nomine infames librum conscripsit de bono  
 martyrii. Sed illi hæretici cur Optato *Corpiani*, non æque  
 in promptu est. In Cod. MS. *Scorpiāni* non *Corpiani* se repe-  
 risse testatur Balduinus. Quodsi hæreticos simul plures ita  
 vocaret Optatus, vel *Scorpiaci* eum scripsisse putarem:  
 Scorpiacum enim librum suum vocat Tertull. quem contra  
 Gnosticos Scorpiis, ut interpretatur ipse, similes scripsit,  
 vel *Copiani* a *καρπες* aut *καρπια* formasse, cum, qui Gno-  
 stici, eosdem *Borbortas* ob obscuritatem tam morum quam  
 doctrinæ nuncupatos constet; vel denique *Coddiani*, quod  
 fuit & illorum nomen, ut antiqui tradidere. Sed cum  
*Corpiani* hæretici, ut unus aut certi cujusdam, cujus hoc  
 proprium nomen fuerit, Optatus meminerit, haud temere  
 quidquam asseverem; nisi sit fortasse singularis pro plurali,  
 aut ipse Optatus in nomine minus noto impergerit. Ait au-

tem Augustinus, Gnosticos quosdam a Nicolaitis, quosdam vero a Carpocrate hæretico derivare. Verum hoc nihil ad *Corpianum*, de quo quærimus, cuique proprium hoc dogma adscribit Opratus noster, quod *martyria negaret*. Mox de *Aria*, qui conabatur docere filium Dei ex nullis substantiis factum esse, id est, quasi *ex tota ex materia*, unde & *Exouconsii* dicti. *Casaub.* — *Albaspianus* invenerit nescio ubi, *Cepiani*. Ex Cod. Tiliano legendum censet *Scorpionis*. — Delusus videtur hoc loco Opratus inscriptione libri Tertull. adversus hæret. qui martyriis obtrectabant, quem *Scorpiace* Tertull. inscripsit. Hinc forte putavit Opratus, hæreticum illum, quem aggreditur, vocitatum fuisse *Scorpionum*. Cum tamen Tertull. initio libri *Scorpius* vocet hæreticos, & profiteatur, se *Gnosticos, Valentinianos, aliosque martyriorum refragatores, qui tempore persecutionis bulliebant*, non autem privatum illum hæreticum insectari, atque ut adversus bestiolas istas suis morderetur, *Tiberiacam promptam filo temperare*. Nullus ergo fuit *Scorpionus*, neque *Corpianus* hæreticus Tertulliano. Sed merito dicti sunt ab illo *Scorpius* hæretici illi, qui martyrio refragabantur. *du Pin.* — Scio, quosdam olim in Africa Cyprianum ignominiose appellasse *Coprianum*, quasi Stercorarium dicas. Sed Cyprianum nemo dixerit alienum fuisse a martyrio, cum exhortationem ad martyrium scripserit, & ipse martyr fuerit. Eusebius L. 6. c. 38. narrat ex Origene, quandam olim Helcesaitarum hæresin, quæ irrideret Christianos, qui propter confessionem Christi, periculum mortis adirent. Sed eam hæresin statim, atque nata fuit, extinctam narrat. *Bald.*

*ibid.* vos tenetis.

Quamdiu apud Orthodoxos manetis. *Albasp.*

*ibid.* convictus.

In MSS. S. G. *conventus*.

pag. 75. hoc exorcismus operatur.

D. Augustinus ad Sixtum Presbyt. epist. 105. *Quid ad hoc respondent, quod exorcizantur, & exsufflantur infantes? Hoc enim procul dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur.* *Albasp.*

*ibid.* vos rebaptizando exorcizatis, & dicitis Deo inhabitanti: Maledicte exi foras.

Magni sane momenti hæc formula exorcismi in baptismo puerorum tunc jam usitata est. Memini Petrum M. familiariter

ter mihi aliquando dixisse, quod & postea scripsit in I. L. Reg., sese, cum quendam Cypriani locum diligenter expenderet, singulariter deprehendisse, atque observasse originem minime vulgo notam exorcismi cum baptismo coniungendi; Cyprianum enim L. 4. scribere ad Magnum, spiritus immundos quandoque fallere servos Dei, dum adjuvati fingunt, sese abire, nec tamen abeunt. Tum vero Cyprianum adjicere: *Verum cum ad aquam ventum est, ibi diabolus minime valet subsistere, profususque discedit.* Hinc Petrus M. jaetat, sese colligere, olim factum esse, ut arreptitii, qui non poterant curari exorcismis, baptizarentur; posteritatem vero generaliter & confuse deinde semper exorcismos conjunxisse cum baptismo. Equidem fateatur, Optatum, ut & Augustinum valde id probasse. Sed utrumque propterea reprehendit, & erroris accusat. Praetereo, quod hic inepte allegat, nescio quem, Optati Lib. 8. qui nullus est. Illud modo dico, tam fuisse Optatum Cypriani temporibus vicinum, ut, quod narrat passim suo tempore factum fuisse, intelligi etiam possit, factum quoque fuisse tempore Cypriani, neque Optatum accusari posse auctorem hujus moris & consuetudinis. *Bald.*

*ibid.* in loca deserta fugatus.

Alludit ad Tobiae historiam. *Albasp.*

*ibid.* fit domus vacua.

Baptismo domus purgabatur; Confirmatione ornabatur; Christus demum in Eucharistia in eam intrabat, & habitabat. Origenes: *Sed non statim domus haec habitatorem habere Christum meretur, nisi sit visa ejus & conversatio ita sancta, ita pura.* *Albasp.*

*ibid.* vas inane.

Habebat Christum, quando eum rebaptizatis: quem quidem per exorcismos fugatis; ideo qui rebaptizatur, egreditur vacuus ex aquis; non enim amplius habet Christum, neque Spiritum S. *Albasp.*

*ibid.* totum suum.

In antiquam suam possessionem restituitur. *Idem.*

pag. 76. quid mihi colligitis?

Quid mihi facitis Ecclesiam? *Albasp.*

*ibid.* quasi qui victimet canem.

Canis ita vile Hebraeis animal, ut ne pretium quidem ejus in templo recipi possit. *du Pin.*

*ibid.* si pudor est ullus, cum dolore recognosce.

In MS. S. G. *Si ullus est pavor, cum pudore cognosce.*

*ibid.* impinguares.

In MSS. S. T. & P. S. *inquinares.*

*ibid.* oleum peccatoris incurrere,

In MS. S. G. *ne homo ejus oleum peccatoris incurveres.*

*ibid.* ut Deus ab homine ungeretur.

Unctio est species communionis, ut habetur apud Dionysium cap. ult. Hierarch, qui autem communionem alicui impertit, is superior esse videtur; unde nemo olim Episcopo Sacramentum impertiri poterat. Ait igitur Optatus, indignum fuisse, ut Deus per hominem perficeretur. *Albasp.*

*pag. 77.* aqua debuit,

Baptismus ante Confirmationem conferebatur. *Idem,*

*ibid.* mysteria,

In MS. S. T. *ministra, & infra ministerii pro mysterii.*

*ibid.* spirituale oleum.

Confirmabantur, ubi erant baptizati,

*ibid.* unde cepit Christus.

Baptismus faciebat filios, Confirmatio Christianos, Ecclesia fideles. *Albasp.*

*ibid.* manus impositio,

Et ne deesset oratio, qua Confirmatio illa perficeretur, non solum manus extensio vocabatur manus impositio, sed etiam orationes, quæ, cum manum admovent, pronuntiabantur. *Albasp.*

*ibid.* inconsummatos.

Ita restituimus ex MSS. Male in editis *consummatos*. In græco Sapientiæ *τικια δι μαχαν ατιλιγα εσαι*. Vox *g ασα ατιλιγα*, sicut latina *inconsummatos* significare potest, aut imperfectos, aut profanos, ac sine sacrificio. *du Pin.*

*ibid.* vitulamina.

Ita latinus interpres, cap. IV, 3. deceptus ambiguitate vocis græcæ *μοσχινματα*, quæ vitulos significat & stolones, sive propagines, ut videre est apud Theophrastum, aliosque rei rusticæ Scriptores. *du Pin.*

*ibid.* veros adulteros excusasti.

Trahens scilicet in sensum spiritualem, quod in ipsos dictum est. *du Pin.*

*ibid.* falsa connubia,

*Per omnia Sacramenta sit synaxis cum Christo. Dionys. de Hier.*

*Hier. Eccl.* Quare eleganter vocat Sacramenta hæreticorum falsa connubia, quia non ununt hæreticos cum Christo, *Albasp.* — In MS. S. G. habetur *convivia*.

*ibid.* exterminium fidei.

Dixit, ut infra, *separationem sine extermínio fieri non posse*, *Incert.*

*pag.* 78. *declinare.*

In MS. S. T. *destinare.*

*ibid.* si enim putas per Prophetas &c.

Hoc quidem vere & graviter Optatus, quod utinam sibi dictum putasset. *Casaub.*

*ibid.* fecerunt sibi idola.

Alludit Optatus ad locum Hieremiæ II. ubi Deus Sabbatho, conqueritur de populo Judæorum, illum se ut fontem verum reliquisse, idola gentium, ut lacus detritos coluisse.

*ibid.* in Deo perennis.

Locus hic restitutus ex MS. S. G. Corruptissimus erat in MSS. S. T. P. S. & in editis. Sic enim habebant: *Ideo perennis male deflans exultant, sicut in fonte aqua largiter defluentibus venis exuberant.* Laudant etiam Barthii conjecturam, qui emendat: *In Deo perennes mare detestantes exultant, Perennes pro fontibus dixit, mare pro eorum lacubus obscænis.* — *Majestatem* iterum post pauca: & recte, ac *ἡμφοριζος* verbum magnitudinis & amplitudinis, quale est illud, *majestas*, idolorum vanitati & inanitati opposuit. *Casaub.*

*ibid.* in idolis virtus naturalis nulla est.

Locus antea corruptus a Casaubono & Dupinio restitutus est. — Optati scopus hic est, ut verba Prophetæ de lacubus effossis & detritis, de idolis interpretanda esse evincat. Hoc ut assequatur, singula Prophetæ verba more suo percurrit & expendit. Ostenso igitur, Deum esse *aquam vivam*, de qua Hieremias, pergat porro, & disputat, qua ratione idola *lacus* primo, deinde *detriti* ac *defossi lacus* dici possint. *Casaub.*

*pag.* 79. *pulsasse legem.*

MS. S. G. *palpasse.* — Forfitan ideo dicit eum *palpasse legem*, quod suis Parmenianus præstigiis & argumentorum calliditate effecerit, ut lex iniquior Catholicis & eorum causæ ipsi autem plus æquo favere videretur; dum nimirum sola promittit ex illa, quæ saltem in specie ipsi commodabant, quæ ipsum autem plane jugulabant, & adversarios *enemica*  
*juva-*



juvabant, omnia malitiose & subdole reticet. *Casaub.* Ceterum hæc lectio eidem suspecta videtur.

*ibid.* aqua baptismatis.

Etiam hic integra periodo pleniores veteres editiones, quam cur Optatus pro genuina non agnoscat, aut cur nos agnitam & liberali assertam manu illi non restituamus, causam non video. Ita igitur ille: *Aqua enim baptismatis res Dei est, non Deus. Et si putatis desertos vos esse, quando &c. apud vos fuerunt, qui apud nos baptizati sunt, ut merito vestri desertores, ad nos venire viderentur. Casaub.*

### LIB. V.

*ibid.* Qui fuerint traditores &c.

Aliæ editiones sic incipiunt: *Fam & qui fuerint traditores &c.* quod verum esse, & sine causa expunctas illas voculas, quovis pignore contenderim. Expungendi autem hæc causa fuit, quod ridiculum videretur, librum ab iis incipere. Sed non viderunt viri docti, verba illa L. IV. *Et intelligendi sibi adicus clausit*; vel potius illa: *Vestri desertores ad nos venire viderentur*, postrema libri verba esse, eumque claudere. Initium libri V. fecerat Optatus in istis: *Probatum est ergo, te non contra nos &c.* Nam alioquin manca esset, quæ mox sequitur, superiorum librorum recensio & anacephaleosis, qua cum *primi, secundi, tertii*que libri meminerit, nullam facit *quarti* mentionem, nisi his verbis, quæ quinto vindicamus. Sed & confer singulorum librorum initia, ut tertii: *Satis, ut arbitror, in secundo libello de Ecclesia &c.* Ita & reliquorum, in quibus, ut hoc quinto, a proxime præcedentis argumento sumit initium. Erroris, si quæris, hæc, ni fallor, causa fuit. Scripserat Optatus: *Probatum est ergo &c. de oleo & sacrificio peccatoris libro quarto.* Male descripserat aliquis *libro quinto*, aut Lib. V. pro Lib. IV. quod postea pro sequentis libri titulo, qui, ut sæpe in MSS. omissus fortasse fuerat, acceptum est. Ita igitur debet hoc initium restitui: *Liber quintus. Probatum est ergo, te non contra nos dixisse, quod ante, vel a te dictum est de oleo & sacrificio peccatoris libro quarto. Fam & qui fuerint &c. Casaub.*

*pag.* 80. insipienter præstruens.

In MS. S.T. *præstringens*. In MS. P.S. *perstringens*. — *Præstruens &c.* id est, cum duas aquas in processu tractatus tui inducturus esses, proposito tuo infeliciter præstruxisti, dum

dicis.

dicis, unicum esse diluvium, & unicam circumcissionem, quæ sunt figuræ baptismatis. *du Pin.*

*ibid.* defendisti catholicam.

Dum apud nos baptismum, quamvis falsum, dicas esse: probas eum verum & legitimum, quia apud Judæos una tantum erat circumcisio. *Casaub.*

*ibid.* rem singularem.

Figuram esse rei, quæ singularis, & quæ repeti non potest. *Albasp.*

*ibid.* semel enim factum servat salutem.

*Salutare est?* Sensus requirit, sed verba non ferunt. *An salutarem vim retinet?* Sed quid hoc? Puto legendum: *Servat ad salutem.* *Casaub.*

*ibid.* quod non potest iterum fieri.

In MS. S. G. *Et sic, ut non possit iterum fieri; & porro loco potest, possit afferre &c.*

pag. 81. aquam veram & falsam.

Duos baptismos, unum falsum, alterum verum. *Albasp.*

*ibid.* non de persona.

Non de sanctitate personæ, sed ex vi Sacramenti. *Idem.*

*ibid.* apud Praxeam.

Falsam apud Praxeam posses invenire aquam, quia filio non credit. *Idem.* — In MSS. S. T. & P. S. deest præpositio *apud*, & additur, *aut Flavionem.* In MS. S. G. deest nomen *Praxeæ*, & habetur *apud Ebionem.* At non *Ebionis*, sed *Praxeæ* fuit error iste.

*ibid.* conversatio.

Una ecclesiastica disciplina. *Albasp.*

*ibid.* communes lectiones.

Eodem modo Scripturas explicamus. *Idem.*

*ibid.* ipsa fidei Sacramenta.

Regulam fidei. *Idem.*

*ibid.* eadem mysteria.

D. Augustinus distinguit inter Mysteria & Sacramenta: *Mysterium* est id, quod confertur aut significatur: *Sacramentum* res visibilis, per quam res spiritualis datur. *Idem.*

pag. 82. virtutum esse vitam:

Quia virtutes sine gratia non possunt perfici.

*ibid.* Trinitatem pro nihilo haberi;

Nihil conferre in baptismo. *Idem.* *20*

*ibid.*

*ibid.* si nobis derogatis.

Cur dicitis personas nostras impedire, quominus recte quis baptizetur apud nos; cum Deus in baptismo invocetur, qui omnia perficere potest? *Albasp.*

*ibid.* in laude aquæ de Genesiorum.

Victor Utic. L. II. *Superferebatur spiritus Dei super aquas, utpote creator virtute potentia sua continens creaturam, ut ex his viva omnia produclurus ipse rudibus elementis ignis propria fomenta præstaret, & jam tunc mysterio emicante baptismatis virtutem sanctificationis liquoris natura perciperet, primaque ad vitam corpora animata produceret.* *Casaub.*

*ibid.* aquas vivas.

Tertull. de Bapt. *Primus liquor quod viveret edidit; nec mirum sit in baptismo, si aqua animare noverunt.* *Albasp.*

*ibid.* non video quartum.

Non video personam humanam aliquid illic conferre. Tres sufficiunt. *Idem.*

pag. 83. christiana secreta.

Mytheria. Tertullianus: *Sequitur ut extranei: at unde extraneis notitia?* *Albasp.*

*ibid.* sed ut quid pulsamus ad cælum, cum habeamus hic in Evangelio testamentum?

Illustrior is in libro hoc locus ex libris Jctorum repetitus est de testamento, cujus testimonio de voluntate testatoris judicari solet, ut tali exemplo probet Optatus, ex tabulis sacrarum litterarum dirimendam quoque esse litem, quam movent Donatistæ. Augustinus, qui Optatum imitari solet, videtur simili usus esse argumento; nam in Ps. 21. compellans Donatistâs inquit: *Fratres sumus, quare litigamus? non intestatus mortuus est pater; fecit testamentum, & sic mortuus est. Tandiu contenditur de hereditate mortuorum, quamdiu testamentum proferatur in publicum, & cum prolaturum fuerit, tacent omnes, ut tabule aperiantur & recitentur. Judex intentus audit, advocati silent, præcones silentium faciunt, universus populus suspensus est, ut leguntur verba mortui. Ille sine sensu jacet in monumento, & valent verba illius. Sedet Christus in celo, & contradicitur ejus testamento.* Idem August. in Lib. 5. de Hæres. *Leges, inquit, habent, ut testatoris voluntati in omnibus pareatur. Siquis contra voluntatem testatoris facere voluerit, careat hereditate. Testamentum profero, verba testatoris recito. Ineptus essem, si ex nostris legum libris nunc ambiciose atque*

atque adeo otiose repeterem multa ejus generis de fide & auctoritate & testimonio testamentorum. Illud magis hujus loci est, ut observemus, Augustinum cautius quam Optatum uti superiori exemplo & comparatione. Optatus enim eo utitur, cum ex N. T. profert scripturam Joannis de lotionem pedum, ut inde probet, non iterandum esse baptismum. Sed August. qui vidit, id coactum esse, mavult uti superiori comparatione, cum ex Psalmis & Prophetarum scriptis probare vult, Ecclesiam Christi esse catholicam. Qua de re cum Donatistis altera lis fuit. Ceterum cum disputat adversus Donatistas de unico baptismum, eoque non iterando, non tam scripturam allegat, quam traditionem apostolicam, quasi nuncupativi potius quam scripti Testamenti testimonio tunc uti mallet, Lib. 2. *de bapt.* c. 7. & Lib. 4. cap. 6. & Lib. 5. cap. 23. Ac quidem etiam aliquando allegavit locum Joannis de lotionem pedum Lib. 3. *de Bapt.* cap. 14. Sed cum Petilianus eum in nostros detorqueret, August. sic respondet, ut non dissimulet, sese non valde urgere tale argumentum, Lib. 2. contra Petil. cap. 26. Itaque & in Lib. *de Unit.* cap. 19. ab eo loco statim transit ad Ecclesie usum & auctoritatem. Sane tamen locus ille Joannis multis etiam post August. annis tam visus est in Africa pertinere ad unicum baptismum, ut furente Vandalarum tyranno, cum 7. illi fratres, quorum non minus nobile martyrium fuit, quam olim fratrum Machabæorum, ab Arianis urgerentur ad alterum baptismum, nihil magis opposuerint. Testis est Victor Utic. Lib. 4. *de persec. Vand. Bald.*

*ibid.* et qui in tumultu quiescit.

Scribe: *Es qui in tumultu quiescit tacitus, de tabulis loquitur vivus.* Totum hunc locum imitatus est August. *Ille sine sensu jacet in monumento &c. Casaub.* — Elegantissime de sepulto, cujus testamentum aut codicilli, oborta e re nata contentione inspiciuntur. *Incert.*

*ibid.* etenim de præscientia.

Ita in omnibus MSS. quod non intelligentes editores ad Christum referri, qui per præsentiam futura noverat, posuerunt: *præsentia.*

pag. 84. magistri exemplo.

Melius in MS. S. G. *magisterio & exemplo.*

*ibid.*

*ibid.* formam humilitatis.

Si Petrus locutus non fuisset, & non recusasset lavari, Christus de baptismo nihil dixisset. *Albasp.*

*ibid.* Christi enim vox est, qui semel lotus &c.

Non primus Optatus, dubium, in re magis, an verbis falsus? hoc loco ita abusus est. Jam pridem Tertull. *de bapt.* c. 12. plane similiter usus fuerat; nisi quod Tertullianus — quod tamen eodem redit — ita vertit: *Qui semel lavit, non habet necesse &c. Casaub.*

*ibid.* non de persona.

Dixit aquam lavare, non personam conferentem aquam. *Albasp.*

*ibid.* nam si esset distantia.

Differentia inter personas, qui baptizant. *Idem.*

*ibid.* tota simplicitate.

Pro omni dixit, ut alias, *totam importunitatem*, alias *totam sanctitatem*, quomodo & Hieronymus & Vopiscus notante Iſa. Casaubono. *Incert.*

*ibid.* in Spiritum S.

Exorcismis eum fugando. *Albasp.*

pag. 85. iterum Christianus.

Quomodo potest renasci, qui natus est? per baptismum novam assecutus est naturam, quomodo potest eam amittere per secundum baptismum, & eandem rursus assequi? *Idem.*

*ibid.* una fides.

Scribe: *Una fides. Hoc loco ab hæreticorum erroribus, & ab eorum varia fide, fides unica separatur.* Proxime citati loci singula percurrit. Jam de uno Deo, uno Christo, sequitur *una fides.* De hac quoque postquam egit, addit: *Deinde sequitur unum baptisma, ut quia quod unum est &c. M. Casaub.* — Sensus est: Cum sit una dumtaxat fides, hæretici, qui veram & rectam de Trinitate fidem non habent, non possunt baptizare, quia fides ab eorum vana fide separatur. *Albasp.*

*ibid.* etiam vobis præscribitur.

Et hoc etiam contra vos pugnat, quia cum sit una fides, non potestis neque debetis aliam dare in rebaptizatione. *Albasp.*

*ibid.* totum ponendo in dotibus.

Omnem vim Sacramentorum ponendo in sanctitate conferentis. *Idem.*

*ibid.* nomen fidei.

Qui baptizatur, debet credere: debet habere fidem; quod si ha-

habeat, & habere debeat, non requireretur fides baptizantis, sed baptizandi. *Idem.*

*ibid.* idem tu exigis alterum credo.

Interrogabantur in baptismo, profitebantur, se in Christum & in Deum credere; quare cum ita esset, non debebant aliud Credo exigere, quia unum est tantum Credo, non duo. *Idem.*

*ibid.* non solum hæreticorum.

Illa fidei unitas non solum hæreticorum baptisma, quod in illa fide & Trinitate datum non est, excludit, sed etiam vetat, ne ipsa duplicetur fides, & aliam a rebaptizatis extorqueatis aut inferatis. *Idem.*

*ibid.* tres esse species.

Tria concurrunt. *Idem.*

*ibid.* prima in Trinitate.

Neesse est, ut baptismus fiat in N. P. F. & Sp. S. *Idem.*

*pag.* 86. videatur mutabilis.

Persona baptizantis non facit, ut gratia Sacramenti remaneat, sed fides baptizati. *Idem.*

*ibid.* ejusdem personæ esse distantiam.

Vultis, ut magna sit differentia inter Donatistam & orthodoxum baptizantes. *Idem.*

*ibid.* vestram superbiam.

Quia vultis sanctitatem & effectum baptismi nasci ex sanctitate conferentis, non ex fide. *Idem.*

*ibid.* & cum ab accipientibus &c.

Baptisma est, quod ab accipientibus desiderari debere dicit, non Trinitas, aut fides, ut quidam hic ineptissime, non advertentes illud desiderare proprium Sacramentis nostris, Baptismo & Eucharistiæ, verbum olim fuisse, de quo multa H. Casaubonus in Exercit. ad Baron. Exercit. 16. Sect. 4. 5. M. Casaub. — Baptizandi summa ope debent eniti, ut perfecte credant; vos autem vultis, ut magis desiderent baptizari a non peccatoribus, & plus sperent a sanctitate baptizantis, quam a fide & Trinitate. *Albasp.*

*ibid.* proprium corpus.

Baptismus constat sua forma & materia, ut ajunt, inter quæ persona baptizantis non numeratur. Cur ergo vobis vindicatis totam ejus rationem & essentiam, & eam in vestra persona ponitis? *Albasp.*

*ibid.* certa sunt membra.

Certæ sunt partes. *Idem.*

id agere, ut *accipientis* esse contra Donatistas probet, sed ut probet, esse *dantis*, non, quem illi volebant, *ministri* sive *operantis*, sed ipsius Dei. Quod autem fidei tribuit, nihil ob stare, quin & Deo vindicet, cum, quidquid impetratur a Deo per fidem in Deum, id recte dici possit, a Deo totum proficisci, & illi uni acceptum referri. Hoc etsi vere dici posse non negamus, cum tamen Optatus exerte: *Deum vacasse, fidem tantummodo operatam esse, nihil de virtute sua promississe, sed post fidem alienam interrogasse;* eam esse Optati mentem non puto. An igitur hoc certe, quasi ironice concedentis est: *Certe dantis est &c. an certe?* q. d. an tu? *dantis est, non accipientis?* *M. Casaub.* — Post hæc verba sequuntur aliquot periodi in MS. S. G. quibus novum continetur argumentum adversus iteratum baptisma, quas quidem Optati esse existimo, licet non habeantur in MSS. S. T. & P. S. Sed hic alieno loco videntur positæ, quare eas rejecimus ad finem libri, quem egregie concludunt. *du Pin.*

pag. 95. ante dictum vel jussione.

Vult Casaubonus legendum: *vel jussione*. Defendi etiam posse a tautologiæ vitio Optatum credit, si, ut suadent ejus verba diligentius expensa, ita distinguamus: Non omnino legitur aliquis illum lavisse, unde colligamus, ideo iterum illum lavatum, ut melius lavaretur. Sed neque hujus collectionis ea necessitas est, ut sufficiat vobis, si prius illud legeretur, nisi & illud quoque expressum esset, ideo iterum eum lotum esse, quod prima lectio nihil profecisset. Quod tamen & ipsum si legeretur, ne sic quidem causam obtinueritis, cum, si contigisset, ideo contigisset, non ut personarum, sed ut aquarum discrimen fieret, idque ad fidem futuræ aliquando Jordanis fluvii præ ceteris excellentiæ. *M. Cas.*

*ibid.* resurrectio repræsentet.

Resurrectio repræsentat regnum Dei & beatitudinem. *Albasp.*

pag. 96. cum filius Dei &c. & tunica natans in aqua.

Casaubonus legit loco *natans, natos in aqua*, id est baptizatos, *quæ multos vestiat &c.* Vult quoque Victorem Utic. *de persecut. Vand. L. III.* cum Optato conferri, cum non gemina solum, sed amplior parabolæ illius de veste nuptiali, quæ mox in Optato sequitur, explicatio apud illum extet; sed & Sabanorum sive lintheaminum, quibus recens baptizatos cingere & tegere mos olim, mentionem faciat, quæ & ad ejusdem parabolæ interpretationem pertinere videntur.

## LIB. VI.

pag. 97. ostendenda sunt &c.

In hoc libro ostenditur, Episcopos partis Donati contra legem fregisse altaria, & inconsiderate confasse, & passim vendidisse vasa dominica, & lavisse, quæ lavanda non erant, & mitellas puellis mutasse, de quibus nulla Scriptura legitur.

*ibid.* membra Christi &c.

Præter corpus Christi, quod in altari offertur, fideles etiam, qui cum eodem corpore uniti & adunati sunt, offeruntur.  
*Albasp.*

*ibid.* pignus salutis æternæ, spes resurrectionis.

Ex D. Paulo: *Vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum in vobis.* Spiritus Dei conservatur in nobis, cujus vi corpora nostra resurgent. Ad Ephes. *In quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ.* Nota modum loquendi: unde in multis, h. e. preces factas in altari tanquam in solemniori loco, & ubi Deus vult exorari, multi acceperunt Spiritum S. *Albasp.*

*ibid.* fraternitatis munera.

De oblationibus fidelium, quæ in altari consecrarentur, hic locus accipiendus; ex quo liquet, omnes olim fideles oblationes obtulisse, & eas in altari consecratas fuisse. *Idem.*

*ibid.* sedes corporis.

Quia ex illis oblationibus corpus Christi confictebatur. *Idem.*

*ibid.* verecundia.

Ne scilicet viderentur cum orthodoxis communicare, & hoc duplici de causa: quia orthodoxorum consecrationem approbassent, si in altari ab illis consecrato obtulissent: secunda, qui offert in altari, in quo Episcopi obtulerunt, cum eis communicare videtur, quia altare est sedes oblationum, & locus, in quo fieri debet, & ad quem Deus magis respicit. *Idem.*

*ibid.* tantæ rei.

Altaribus. *Idem.*

*ibid.* calida de fragmentis.

Ut admisceretur vino; nam communis erat aquæ calidæ usus apud antiquos. *du Pin.* — De usu calidæ apud antiquos, tam mixtæ quam puræ, jam multi multis. Quia tamen non non desunt viri doctissimi, qui *calidam* aliter interpretentur,



& aquam aut non omnino, aut nonnisi in ægrorum aut infirmiorum gratiam, caleferi solitam ab antiquis asserant, dignus hic locus, qui observetur a lectore, qui vel unus refellendæ isti opinioni sufficiat. *M. Casaub.*

**pag. 98.** per certa momenta.

Ubi aliquando corpus Christi servabatur. *Albasp.* In MSS. S. T. & P. S. habetur *per cetera.*

*ibid.* manus nostras.

Sacrificia nostra & vestra. *Albasp.*

*ibid.* vestris antiquis illis oblationibus.

Oblationes, quæ in illis altaribus factæ essent tempore D. Cypriani, ad Donatistas non minus pertinebant, quam ad orthodoxos: ad eas videtur respexisse, cum ait, *antiquis. Idem.*

*ibid.* superbus.

A superbia Donati ceteri superbi vocari poterant. Sed, ni fallor, eos vocat hoc loco superbos, quod se puros jactarent; & cum omnes Presbyteri inter sacra sese peccatores, & tanti sacrificii indignos Sacerdotes sese dicerent, ii sese catharos profiterentur. *Albasp.*

*ibid.* conjuratio.

Cum in hac materia omnium eadem sit sententia, cur tam diverse de altaribus statuistis? *Albasp.*

*ibid.* si enim non licuit &c.

Scribe: *Si enim non licuit; si ut inter vos placuit, recte videtur &c.* Hic quoque videtur ab Optato quædam tautologia admitta. *Casaub.*

**pag. 99.** novitatem quærere in visceribus vetustatis.

His Optati verbis hæc subest notio: Quid vos juvat, o Donatistæ, altaria radere, quasi radendo ea innovare & immutare possitis? viscera, h. e. interiores partes altaris, vetusta sunt; vos tamen vultis novitatem in eis quærere radendo exteriora, quasi detracta corporis cute exteriori, aliam quæreretis cutem in interioribus partibus corporis. *du Pin.*

*ibid.* donum quod ad se pertinet.

Altaris consecratio unica & indivisibilis est; unde cum ex altari aliquid abstuleris, minuere potes altare, at non immutare, hoc est, e consecrato impurum, aut ex impuro sacrum reddere. *du Pin.* In MSS. S. T. P. S. & in quibusdam editis legitur: *donec ad se &c.*

*ibid.*

**H** *ibid.* subinde vester.

**K** In MSS. S.T. & P.S. *subito*, & postea loco *videmus, vidimus.*

**K** *ibid.* quorum species.

Partes. *Albasp.*

*ibid.* eligere voluistis.

Debueratis eos vendere Christianis, ne in sordidos usus a Paganis emerentur. *Albasp.*

*ibid.* passi estis etiam comburi manus vestras, quibus.

Conjiciebam: *passi essetis etiam*, eodem scilicet igne, quo sancta vasa sunt conflata, vestras quoque manus expiari &c. Sed cum jam ante dixerit: *Dum impie persequimini manus nostras illic, ubi corpus Christi habitabat, feristis* (feritis? an feritis per crasin pro feriistis?) & *vestras*. Infra quoque: *Altaria & vasa supra memorata & in manibus vestris jam dudum fuerant, & in nostris. Si infamatis manus nostras, quare illic damnatis & vestras?* Etiam hic fortasse idem voluit, *ro inconsiderate*, quod paulo ante, idem quod *passim*, quod mox sequitur; sive ut idem Optatus, *non electo emtore*; nullo emtorum, piorum aut impiorum, Paganorum an Christianorum discrimine habito. *M. Casaub.* — *Comburi manus vestras* est: liquefieri calices, in quibus obtulistis, & confecistis sanguinem Christi. *Albasp.* — *Censentur comburi manus, cum comburuntur vasa, quæ tractaverunt. Eodem sensu antea dixit: Dum impie persequimini manus nostras, illic ubi corpus Christi habitabat, feristis & vestras. Eodem modo hic sumitur ro comburere, ut illic ro ferire. Infra quoque: Si infamatis manus nostras, quare illic damnatis & vestras? du Pin.*

*pag. 100. in origine.*

De unitate facta per Macarium loquitur, quæ ad Donatum, tanquam ad Arionem est referenda. *Albasp.*

*ibid.* sociasti orientalibus.

Suspensos habebant Afros, Hispanos, Gallos, Italos, quia Donatum damnauerant, & cum Cæciliano communicauerant; sed in orientales nihil quidquam fingere poterant; quare Optatus sæpissime eis objicit, quod non communicarent cum orientalibus, in quos non habebant, quod dicerent. *Albasp.*

*ibid.* assensum accommodavimus.

Quia communicavimus cum eis. Nulla enim major communicatio, quam per assensum, uti Augustinus ait contra Donatistas. *Albasp.*

pag. 101. furtivas.

Corruptas Scripturæ lectiones. Vel vocat furtivas, quia cum non communicarent Ecclesiis, quibus scriptæ essent D. Pauli epistolæ, eas quasi furari viderentur. *Albasp.*

*ibid.* alienas.

Si furtivas non legitis: probate, vos non alienas legere lectiones, cum de epistolis sacris legitis. Hoc autem non potestis probare, quia non communicatis cum Ecclesiis, quibus illæ epistolæ scriptæ sunt. *Idem.*

*ibid.* ut quid audetis.

D. Augustinus eodem utitur argumento, epist. 165. *Quid autem perverfus & insanius, quam lectoribus easdem epistolas legentibus dicere: Pax tecum, & ab earum Ecclesiarum pace separari, quibus ipsæ epistolæ scriptæ sunt?* Cujus vim non facile est reperire; nam poterant epistolas legere, etsi non communicarent iis, quibus scriptæ essent; nisi dicas, D. Paulum communicasse cum Galatis, & Donatistas communicare cum D. Paulo, & tamen non communicare cum Galatis, quod absurdum videbatur. *Idem.*

*ibid.* si peccator.

Si is, qui Sacramenta celebrat, sit peccator. *Albasp.*

*ibid.* tactus.

Actio celebrantis. *Idem.*

pag. 102. tabulam.

Aras consecrabant & vestes. *Idem.*

*ibid.* ut virgines &c.

Sanctimoniales, ut vocabantur, vel Nonnæ, quas olim sic in Africa & Ægypto vocatas fuisse ex Arnobio atque Hieronymo didici. Et quidem Ambros. Lib. 1. *de Virgin.* ait, ex ultimis infra ultraque Mauritanix partibus deductas Mediolanum, sacrari gestiisse ab Ambrosio. Habebant & Donatistæ suas virgines Sanctimoniales; & cum Catholicos audirent in suis ostentare quoddam decus Ecclesiæ, valde hoc agebant, ut eas ad se pellicerent, sicuti indicat Aug. ep. 169. Hoc ergo illud est, quod Optatus, qui & Lib. 2. aliquid de hac re dixerat, tam valde hic conqueritur, tentatas a Donatistis fuisse tales Vestales, & earum non modo raptores, sed & procos tam valde abigit. Paulo ante quam Optatus hæc scriberet, lata fuerat ab Imp. Joviano lex severissima, quæ capitalem pœnam denunciabat illi, qui non modo rapere, sed & jungendi matrimonii causa sacratissimas virgines attentare ausus esset. L. 5. C. *de Sr. Ecclesiæ*  
Tectis.

Testisque est Sozomen Lib. 6. cap. 3. Jovianum id edixisse, ut reprimeret incestam petulantiam, quæ tempore Juliant impie & impudenter grassata fuerat. *Bald.* — Loquitur de virginibus, quæ essent baptizatæ ante schisma, aut de iis, quæ post rebaptizationem ad Catholicos transferant, quibus pœnitentiam imponebant Donatistæ, quod cum Catholicis communicassent. *Albasp.* — In MSS. S. T. & P. S. habetur: *agerent pœnitentiam discentes.*

*ibid.* ut jam dudum professæ signa voluntatis &c.

Fallor, an Optatus scripsit: *Ut jam dudum professæ signa voluntatis capitibus imposita vobis jubentibus immutaret.* Nam profiteri & professæ *ἁπλως* vulgare est. Sed capite profiteri signa voluntatis, mihi non observatum, quemquam ita loqui. Capiti autem imponere, de his ipsis mitellis, iterum Optatus post unam aut alteram paginam. *M. Casaub.*

*ibid.* mitellas.

Mitra, sive mitella generatim vittæ, sive fasciæ genus, quo redimitur aliquid, apud Homerum usurpatur pro cingulo militari, quo ilia & venter cingebantur. Apud Herodotum, Euripidem, Moschum, aliosque Græcos sumitur pro fascia, quæ caput involvebat. Latinis idem etiam est *mitra*. Cicero pro Rabirio: *Deliciarum causa & voluptatis non modo cives romanos & nobiles adolescentes, & quosdam etiam Senatores summo loco natos non in hortis & suburbis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella sæpe videmus.* Mitrarum mitellarumque, quibus redimita erant capita præsertim fœminarum, meminere Poetæ latini, Virgilius, Propertius, Juvenalis, Claudianus. Ut autem observat Servius ad Æneidos Lib. 9. mitræ fœminarum sunt ut pilei virorum. Tertull. in *L. de veland. Virgin.* *Christus est, inquit, qui & alienas sponsas & maritalas velare jubet, utique multo magis suas; sed vos admonemus alterius pudicitie mulieres, quæ in nuptias invidistis, ne sit velaminis exolefcatis. . . . Mitris enim & lanis quedam non velant caput, sed conligant a fronte quidem prosectæ, qua proprie caput est, renuda. Aliæ modice linteolis, credo, ne caput premant, nec ad aures usque demissis cerebro tenus operiuntur.* Ex quo intelligere est, mitras sive mitellas ornamentum fuisse tum maritalarum, ut loquitur ipse, tum etiam virginum Deo desponsatarum. Inde etiam colligitur, quomodo mitella signum esset professæ virginitatis, quia scilicet mitræ illæ non erant omnium virginum: nam pleræque non velabantur in Africa, antequam nubere, ut ex hoc libro Tertul-

liani constat; & licet velarentur, mitras tamen adinstar maritatarum non habebant, ut illæ, quæ virginitatem professæ fuerant. Mitra ergo erat signum virginitatis. Observa etiam jam tum tempore Tertulliani mitras illas fuisse laneas. *du Pin.* — Corrupta proinde est lectio *auræas* in MSS. S. T. & P. S. loco *alias*.

*ibid.* Stabularius ille Paulus Apost.

Alludit ad parabolam hominis, qui in latrones inciderat, & vulneribus confossus fuerat, quem Samaritanus iter faciens sublevavit, & detulit in stabulum, relinquens stabulario duos denarios, ut illius curam haberet. Luc. X, 30. Et Paulum comparat stabulario, qui duos acceperat denarios, ut curaret hominem male mulctatum a latronibus, h. e. homines ægros, male affectos. Duo denarii, quos ad id accepit, dicit esse duo testaments, quorum leges tenentur homines observare, ut salvi fiant. Ea, quæ consilii sunt, ut virginitas, illud esse censet, quod stabularius supererogavit ultra duos denarios. Ita per allegoriam mentem suam exponit Optatus. *du Pin.*

*ibid.* quasi sumtus impendit.

Quomodo virginitate aut matrimonio uti debeamus. *Albasp.*

*ibid.* duos denarios erogasse.

Voluntatem Christi explicasse. *Idem.*

*pag.* 103. talis pannus errare &c.

Ita in omnibus MSS. Alicubi lectum fuerit *deturbari*, cujus loco conjicit *Incerus* scriptum ab Optato *deturpari*.

*ibid.* spiritale nubendi hoc genus est.

Quia, ut observavimus modo, mitræ non erant, nisi nuptiarum fœminarum, aut Deo sacratarum virginum. *du Pin.*

*ibid.* in nuptias sponfi.

Vovebant Christo virginitatem. *Albasp.*

*ibid.* et junctas spirituali sponso solverant crines.

Sponsæ solutis crinibus ad sponsum accedebant. Ausonius describens egredientis sponsæ formam, inter alia istud Virgilii ipsi accommodat: Dederatque comam diffundere ventis. *du Pin.* — Etiam hodie in virginibus consecrandis hic ritus observatur. *Albasp.*

*ibid.* quando mortuus est.

Quia renuntiabant omnibus iis, quæ fecerant, aut professæ fuerant, cum essent apud orthodoxos: vel si mavis: Christus, cui nupserant, estne mortuus, quod eas ad secundas nuptias convolare cogitis? *Albasp.*

*ibid.*

*ibid.* quæ contra raptores &c.

Codex Can. Eccl. Afr. de virginibus etiam minoribus velandis: *Item placuit, ut quicumque Episcoporum, necessitate periclitantis pudicitie virginalis, cum vel petitor posens vel raptor aliquis formidatur &c. Casaub.*

*ibid.* perseveret petere.

In MSS. C. & S. G. *repeteret.*

*ibid.* ut crines iterum solverent &c.

Adnotandus ritus nuptialis præter illum de crinibus solvendis hoc insigni loco: *Hoc — nudari sibi nempe capita velata — nec mulieres patiuntur, quæ carnaliter nubunt: ex quibus, si alicui maritum mutare contigerit, non repetitur illa temporalis festivitas, non in altum tollitur, non populi frequentia procuratur.* Hæc ille. Exemplum Latine gentis, ne quis potius ex more Africano ductum, falso in posterum existimet, ecce luculentum in Lucano, ubi de Martia Hortensii vidua, dum Catoni secundo nuberet, Lib. II. *Festa coronato non pendente limine ferta; Infulaque in geminos discurrit candida postes, Legitimaque faces; gradibusque acclinis eburnis, Stat thorus, & picto vestis discriminat auro; Turritave premens frontem matrona corona, Tralata vitæ contingere limina planta. Non timidum nuptæ leviter reclusa pudorem, Lutea demissis velarunt flamma vultus. Incertus.* — Proprios Africanorum ritus in nuptiarum sive festivitatis, ut hic Optatus & Sidonius Apoll. sive *festis*, ut Aurelius Vict. idem Sidon. Apoll. Symmachus, alique, ab Optato hic tangi, cum Balduino hic censeo. Quamvis enim etiam in Romanorum ritibus aliquid simile, illud tamen huc referri minime debere, recte, mea sententia, iudicavit Petrus Pitæus advers. L. II, 6. Etsi autem eadem, aut similis in altum levatio Gothicis quoque & Longobardis in usum fuerit, ut idem docet, nec inde tamen, quod ille velle videtur, recte concludas, Gothicum hunc & Longobardicum morem fuisse, de quo loquitur hic Optatus. Nam & illud: *Virgines quasi secundas coegistis ad nuptias, ut crines iterum solverent, imperastis*, non alienum videtur ab eorum moribus; cum in eorum legibus, in capillo puella de virgine, sive quæ nupta non sit, usitata sit locutio. Sed quid Afris tum, cum hæc Optatus, cum Gothorum aut Longobardorum institutis, quorum nescio, si vel notum tum nomen in Africa, vel auditum? Ceterum quæ seorsim Optatus hic, *festivitas & frequentia*, Arnobius L. IV. dixit *festas frequentias: & quid de ipsis conjunctionibus la-*

quimur, inquit, quando & quasdam nuptias celebrasse, & festas habuisse frequentias &c. *M. Casaub.* — Solebant nubentes, curru sublimes a paterna domo in mariti ædes transferri. Huc forte alludit Optatus, dum dicit: *Non in alsum tollitur. du Pin.* — Capitis ornamentis non utitur, interpretatur *Albasp.* — Apud Christianos benedictionem nuptialem digami non accipiebant, neque coronabantur apud Græcos. *du Pin.*

*ibid.* bonæ voluntatis indicia.

Mitellas. *Albasp.*

*ibid.* immundis cineribus.

Cineribus pœnitentiæ, quos immundos appellat, quia virgines illæ pœnitentiam non debebant facere. *Albaspq.*

*ibid.* raptores aut petitores.

Non poterant in matrimonium rogari, quod Deo consecratæ essent. *Idem.*

*ibid.* præscriptionem.

Mitellam, qua cum essent ornatæ, non poterant nubere. *Idem.*

*pag.* 104. in lectione.

Cum de mitella in lege & in Evangelio nihil dictum sit. *Idem* supra observaverat, de mitella nihil esse mandatum. *du Pin.*

*ibid.* per judicia sæcularia.

Hæc ad Juliani tempora referenda sunt, quia & Basilicas & sacros Codices Donatistis iussit restitui. *Albasp.*

*ibid.* executione officiorum.

Officia pro *Officialibus*, ut *ministeria* pro *ministris*. *M. Casaub.*

*ibid.* quod pax in commune &c.

Ante schisma.

*ibid.* gentilis executio.

Officiales scilicet gentiles, quorum ministerio ad ea extorquenda usi estis. *du Pin.*

*ibid.* velamina.

Quibus altaria & mysteria tegebantur, quæ pallas postea dicit. Pallæ veteribus erant lintheamina, quibus totum altare tegebatur, cui imponebatur calix, & corpus Christi, quod replicata palla tegebatur instar sindonis. Vide de hoc ritu ordinem romanum & alios, qui de ordine Missæ scripserunt. Eodem modo Christianos sacris Codicibus & instrumentis spoliavit Genserius, de quo Victor Uticensis L. 1. n. 12. *Missit Proculum quendam in Provinciam Zeugisam, qui coarctaret ad tradendum ministeria & libros S. . .*

qui-

quibus se non posse tradere clamantibus Sacerdotibus, ipsi rapaci manu cuncta depopulabantur, atque de palliis altaris, pro nefas, camisas sibi & femoralia faciebant. du Pin. — Puto cum Cochlæo pro *velamina* scribendum esse *volumina*; quanquam aulæis & velis, sive velamenti decorari & ornari solitas Ecclesias non ignorem. . . *Pallas*, quod mox sequitur, suspicor irrepisse pro *pallia*. *Pallas* enim eo sensu, quod ego meminerim, vix reperias apud antiquorum aliquem, qui certæ sit & indubitæ antiquitatis. Nam quæ a Decretorum collectoribus laudantur, Clementis epistolæ, in quibus *pallæ* non semel fit mentio, cujus sint illæ apud doctos auctoritatis, nemo nescit. *Pallia* autem pro quovis operimento sacro, non rarum apud Veteres. Inter alios Victor Utic. *velaminum pallia & pallia altaris*. M. Casaub.

*ibid.* quid de Codicibus.

An laverint Codices, quemadmodum pallas. *Albasp.*

*ibid.* inclusa spatia.

Vel quæ intra *κεκληιδας* altaris, vel in genere, quodcunque parietibus inclusum, nempe pavementum ipsum, sive solum; quod fortasse, quod stratum non esset, ut erant isto tempore Ecclesiæ pleræque non adeo splendidæ: ideo & lavari sicut parietes non poterat. *Locum* postea vocat. *Quid vobis fecerat locus? quid ipsi parietes &c.* M. Casaub.

pag. 105. post promotionem.

Post tanta, quæ Deus per te fecit. Tertull. de baptismo: *Quantum instrumentum feras.* *Albas.*

*ibid.* præsentia Moyfi.

An hic *præsentia Moyfi* pro tempore *Moyfis*, sive vivente *Moyse*? Durius mihi videtur, nisi alio aliunde exemplo molliatur. Interim scribendum existimo: *Prece antea Moyfi &c. tu antea respondet mox, bodie & a Schismaticis, hodie cum Catholicorum turba dulcedo tua vexatur.* De Moyfi autem prece Exodi XV, 25. *Moritur vero pro mortuus est*, ut sæpe, ne dicam semper. *Casaub.*

*ibid.* eadem nos & vos lavacra.

De usu balnearum etiam inter Christianos vid. *Is. Casaub.* ad Spartianum.

*ibid.* cum igitur alibi &c.

*Locus mutilus, suppleri potest: Alibi negligentes estis inventi.*

pag. 106. lota est columna.

Ut quia lavatis parietes, iterum lavatis Christianos. *Albas*  
*ibid.*



*ibid.* quia ad hoc Basilicas &c.

Scribo: *qui ad hoc Basilicas &c. M. Casaub.* — Multis in locis duæ erant Basilicæ: Basilica scilicet Donatistarum; & Basilica Orthodoxorum; sed favente Juliano hanc invaserant Donatistæ, ut orthodoxos sepultura privarent. *Albasp.*

*ibid.* ut vobis solis cœmeteria.

In Basilicis aut in cœmeteriis juxta Basilicas positæ sepeliebantur. Genus erat communionis, sepeliri in Christianorum cœmeteriis; quapropter sibi solis ea vindicabant Donatistæ. *Idem.*

*ibid.* male tractatis.

Hac communionem privatis. *Idem.*

*ibid.* in uno apud Deum.

Cum Christo unitas. *Idem.*

pag. 107. vos estis aucupes.

Aves mortuæ de iis sunt accipiendæ, quos rebaptizaverant; inclusæ vero caveis, de illis, quos ad pœnitentiam coegerant. Sensus igitur est; Cum per domos mittitis pœnitentes, genus est aucupii: nam sunt aves inclusæ, quibus alias vultis allicere; cum vero baptizatos ostenditis, ut eorum exemplo nostras seducatis, sunt aves mortuæ, quibus utimini, ut alias aves capiatis. *Albasp.* — Hanc elegantem Optati similitudinem videtur & Augustinus eum imitatus petiisse in Lib. *de Utilis. cred.* cap. I. *Bald.*

*ibid.* arborem portant.

Qui veram Ecclesiam non habebant. *Albasp.*

*ibid.* portat in cavea.

Pœnitentes, quia non communicabant. *Albasp.*

*ibid.* olim extinctas.

Rebaptizatione. *Idem.*

*ibid.* cantent alieno.

Quia pœnitentes in Ecclesia nec loqui, nec quidquam agere poterant. *Idem.*

## LIB. VII.

*ibid.* Liber septimus.

In hoc novissimo libro continetur, Traditores, qui in primo libello sub nominibus suis & locis, & confessionibus sunt demonstrati, non grave peccatum habuisse, qui necessitate non voluntate peccaverint, bono unitatis etiam tales in communionem recipi potuisse.

pag. 108. præsumptiones.

Quod scilicet sanctitatem personarum baptizare, & peccata remittere dicerent, non autem Sacramenta. *Albasp.*

*ibid.* ad unam communionem.

Compellebantur ad unitatem Donatistæ, ac dicebant: Cur nos ad vestram communionem vi adducitis, cum simus traditores, & traditorum filii, uti dicitis? *Albasp.*

*ibid.* unius corporis.

Ecclesiæ, quæ est in Africa. *Albasp.*

*ibid.* domesticum iudicium.

Quia sese ab Ecclesia separaverant: vel quia in Concilio Numidiæ facti sunt, se esse traditores. *Idem.*

*ibid.* nullum iudicium.

Nullum Concilium celebratum sit, ut illi, qui Majorinum ordinarunt, ab Ecclesia expellerentur; sed ab ea sponte recesserunt. *Idem.*

*ibid.* invidia esset.

Ne ex iis pulsus, aliis invidia fieret, eoquod tot Episcopos eiecissent. *de Pis.*

*ibid.* iudicandi severitas.

Secundus, qui præerat, non ausus est iudicare, ne solus remaneret, ut L. I. habetur. *Albasp.*

*ibid.* quasi superbi.

Quasi alios damnantes, & quasi innocentes, L. VI. *Ibi modo superbus inventus. Idem.*

*ibid.* illi namque.

Sensus est: Qui confessi sunt in Concilio Numidiæ, se Codices tradidisse, non erant puniendi, neque excommunicandi, si bono pacis id factum fuisset, & ne Ecclesia divideretur. *Idem.*

*ibid.* unitas fieret.

In MSS. C. & S. G. *unitatem facere debuerant.* — Post hæc verba in editis habetur lacinia quædam, in qua excusatur crimen traditionis, nescio unde deprompta; nec enim extat in ullo e quatuor Codicibus, quos mihi videre contigit, nec in prima editione Balduini, nec continet cum antecedentibus & consequentibus, quæ hac sublata optime cohærent; nec stilum Optati sapit; & ab ipsius placitis & doctrina prorsus abhorret. His de causis hanc laciniam in appendicem rejecimus. *de Pis.*

pag. 109. nam non pertinuit ad Seth &c.

August. de heres. c. 19. *Sethiani nomen acceperunt a filio Adæ, qui vocatus est Seth. Eum quippe honorant, sed fabulosa & heretica vanitate &c.* Addit Tertull. eos Christum non alium credidisse, quam Seth, Omitto, quæ alii de iisdem. Ad Optati verba quod attinet, non ego is jam sum, qui gravius quidquam de viro sancto pronuntiaverim. Id tantum dicam, vereri me, ne imprudenti & incauto illi hæc exciderint, quæ severioris examinis acrimoniam ægre sustineant. *M. Casaub.*

*ibid.* delinquatur.

Hic inserta est alia lacina in editis, excepta prima Balduini editione, ad excusandum crimen traditionis, quæ rejicienda est propter easdem rationes. *du Pin.*

pag. 110. sed Principes vestri.

Hic in editis, excepta Bald. editione, inferuntur tres Hæc, quæ non extant in MSS. Has habes in Appendice.

*ibid.* ager.

Tota Collatio Carthaginensis hoc argumento conclusa est. Ait igitur: cum peccatoribus vivendum esse, quia Ecclesia est ager, qui triticum & zizania continet. *Albasp.*

pag. 111. nam si sibi totum.

Quid, quæso, Christus in die judicii separabit & judicabit, si Episcopus omnes peccatores velit separare ab Ecclesia? *Albasp.*

*ibid.* bono pacis vos non repellere.

In editis hic habetur: *Non solum vos non repellere, sed etiam parentes vestros, si eorum temporibus contingeret, & unitas fieret, bonum pacis non repellere.* Sed hæc desunt in MSS. & videntur adscititia. *du Pin.*

*ibid.* forma unitatis.

De hac unitatis forma ante Optatum præclare Cyprianus L. de Unit. Eccl. *Ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstraretur, & Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimes consensione pasceatur &c.* Pacianus Optato cœtaneus epist. 3. *Ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno, mox idipsum in commune præcipiens.* *Incert.*

*ibid.*

*ibid.* promisit.

Idem ac *minatus est*, uti & apud Lucifer. Calarit. *M. Casaub.*

*ibid.* qui se negaret.

In editis hæc adjiciuntur: *Apud homines. Et non tamen non se promisit puniaturum scripturam aliquam, qui tradidisset; gravius est enim negare eum, qui locutus sit, quam tradidisse verba, quæ locutus sit. Sed sunt manifeste subditiæ, de Pin.*

pag. 112. *uno titulo.*

In uno peccato. *Alb. sp.*

pag. 114. *miscent tractatibus suis.*

*Tractare est Episcoporum, valetque concionari. In MSS. S. T. & P. S. habetur opponunt.*

*ibid.* a nobis servatur.

Non rebaptizatur. *Albas.*

*ibid.* aut possumus.

Si damus oleo suavitatem, aliquid possumus, & ita possumus baptizare. Si nihil damus, oleum apud nos non fit suave, *Idem.*

pag. 115. *exterminant: quia mors est &c.*

Distinguo *exterminant*. *Quia mors est peccatum, quod non habet indulgentiam, scriptum est: Quia qui peccaverit &c. & quia e superiore fortasse versiculo repetitum, ubi Amen dico vobis &c. Quo plenius probet Optatus, verba illa de muscis morientibus suavitatem olei exterminantibus, in Donatistas competere, postquam jam probavit, illos suavitatem olei corrumpere, dum rite baptizatos rebaptizabant, etiam in eo muscas imitari addit, quod & ipsi morientes id agant. Quare autem morientes, & moritari? quia peccatum, quod rebaptizantes admittunt, non habet indulgentiam, id est, irremissibile. Peccatum autem quodcumque irremissibile, mortem esse, nemo dubitat. Sed tamen hinc non magis liquet, quam si nihil adduxisset, quo probaret. Deinde, qui potuit Optatus dicere, rebaptizantium Donatistarum peccatum condonari non posse? Quare, nisi commodior aliqua interpretatio horum verborum possit excogitari, expungenda ista omnia putaverim tanquam sputia? *Scriptum est, quia qui peccaverit in Spiritum S. non remittetur ei, nec hic, nec in futuro seculo. Ut ista sit Optati verborum sententia: Rebaptizantes contra divina præcepta gravissime peccant: peccatum autem, quod non habet indulgentiam (id est, quamdiu, sive quodcumque non est expiatum & remissum) mors est: ergo vos non sine morte**

*Optati Tom. II.*

vestra &c. Non mirum autem, si lector, qui verba ista: *quod non habet indulgentiam*, de peccato ἀσυγγνωστῶ καὶ ἀσυγγνωστῶ acceperat, locum Scripturæ, qui eo pertinebat, in margine notaverit. In margine autem semel notatum, postea in ipsum textum receptum esse, multo minus est, quod miremur. Et de istis S. S. verbis plane ita sentio, locum hic habere non posse. Istorum autem Optati verborum alium esse sensum, aliamque Optati fuisse sententiam; quàm quam malleus, ac lectori libenter commendarem, Optatus ipse docebit Lib. V. *Abfit, ut Spirit. S. M. Casaub.*

*pag. 116. post:* cum toto orbe terrarum.

Melius deletur interrogandi signum, & colon substituitur.

*ibid.* in ipsa lectione, quæ.

Conjicit Casaubonus, legendum *quam*.

*ibid.* in nos dicant, quæ pertineant.

Supplevimus ex conjectura, quæ desunt in MSS. ne hiulca, & manca foret oratio. *du Pin.* — Eandem huic loco M. Casaubonus medelam adhibuit.

*pag. 117.* antequam inflati essent.

Tertull. de monogamia: *Cum inflamur, & extollimur adversus oleum. Albasp.*

*pag. 118.* tractandi, quod est Episcoporum.

Non aliud ex hac Optati sententia colligi posse puto, quam Episcopis ut summis Sacerdotibus ac supremis Ecclesiarum moderatoribus, nec minus doctrina plerumque ac meritis, quam dignitate ac potestate ceteris antestantibus, id munus, ut omnium gravissimum, præcipue incubuisse, & aliquando nefas fuisse Presbyteris, Episcopis vero inglorium ac probrosum, ut ipsis præsentibus inferioris gradus Sacerdotes populum docerent: non ut Presbyteros etiam absentibus iis, concionari præter fas aut mores fuerit, aut id muneris extra aut supra ipsorum limites officii, crediderint antiqui. *M. Casaub.*

*ibid.* probatur ab omnibus sanctitate vestitus.

*Vestitum* cave hic pro *vestimento* accipias. Non enim de vestitu Episcopali hic agit, sed ait, omnes adstantes tractatum Episcopalem sanctitate vestitum ex duplici salutatione agnoscere & intelligere. Ideo autem usus est hac metaphora, quod antea de laico dixerat, *nude locutus est*. Ceterum ab hac solemni salutandi consuetudine fluxisse videtur, quod, ut ad Propertium observavit Scaliger, locus ipse

unde

unde olim populū alloquebantur, Episcopis latinis *Salus tatorium*, & Græcis *ἁγιασμός* dictus sit. *Idem.*

pag. 119. fumus enim qualescunque iudices.

Quia superioribus verbis de Macario, tanquam sententiæ Episcoporum obnoxio, locutus erat, ne nimium Episcopis in legatum Imperatoris juris tribuere videretur, quod absolute dixerat, restringit jam ad sententias & censuras ecclesiasticas, quarum vis & vigor ad omnes Christianos extenditur. Dicit autem *qualescunque iudices*, quia *Judicis* vox ipsa non minus apud illos propria Magistratibus sæcularibus, quam *Episcopi* spiritualibus: utcunque vim vocis utriusque utrisque in suo genere competere, nemo negaverit. Ceterum jurisdictio Episcoporum in Laicos, & causarum cognitio ab Ecclesia, quam nota & usitata res in Africa fuerit, vide vel Augustinum *de Op. Monach.* c. 29. *Idem.*

*ibid.* quod nos iudices esse veros debere fuisse &c.

Turpe mendum Incerto videtur, ita sanandum: *Quod nos iudices severiores debere fuisse contenditis.*

*ibid.* renovellata nativitas.

*Renovellare* est idem ac *novellare*. Propositione *re* mirum in modum Optatiana ætas delectata fuit; cujus apud meliores etiam Scriptores non desunt exempla; ut causæ non fuerit, cur Hieronymus tam acriter ac severe in Ruffino æmulo fugillaret, quod ille *refestinare* pro simplici *festinare* posuisset. *M. Casaub.*

## LACINIAE L. VII. ASSUTAE.

pag. 121. facere debuerant.

Id est, *fecissent*, vel *facere voluissent*. Mirum, quam redundantibus ac superfluis supra modum vocibus illa ætas sit delectata. *Casaub.*

*ibid.* necessitas excusaverit.

Quia tormentorum metu id fecerant. *Albasp.*

*ibid.* cum ceteris delictis.

Quæ sponte fiunt. *Idem.*

*ibid.* non interdicta.

Quæ ex se non sunt peccata. *Idem.*

*ibid.* data mercede.

Quod scribi curaverant. *Idem.*

pag. 122. denique Moyse post tabulas &c.

Scribe: *Denique Moyse post tabulas scriptas legit & commisit.*

*tas cum non damneri &c. & mox loco proditis lege proditis.*  
*Casaub.*

pag. 123. communionem suam repellere.

Quis voluisset eos deponere? *Albasp.*

pag. 125. unde apparet te parentes tuos.

Nisi Optatum interdum parum caute loqui & alia testarentur, vel eo potissimum nomine abjudicandum ab illo putarim septimum hunc librum. Parum enim solida est tota hæc disputatio, nisi commoda & benigna interpretatione leniatur.  
*M. Casaub.*

*ibid.* quanquam & si illorum unitas.

Sensus est: Etsi majores vestri propter has rationes a communionem non fuissent revocandi, tamen quia peccarant, eam petere & flagitare debebant; vos vero ultro ad unitatem estis invitandi, quia nihil peccastis. *Albasp.* — Legit Casaubonus: *feret, & ad Ecclesiam.*

pag. 127. impedit igitur.

Scribe: *Impendit igitur*, id est, quod & mox sequitur: *Necessitas operata est.* *Casaub.*

*ibid.* quasi non damnantur.

Scribe: *Quare non damnantur?* *Idem.*

pag. 128. qui Antiochus ne aliquid primitivo.

An primitivo populo vocat *rus alexandus*? an, quem S. Historia primogenitum aliquoties? Sed & primitiva pro primogenitis alibi quoque usurpat vulgaris Interpres. Ceterum quam multa in paucis citra omnem historię fidem, miro incogitantię exemplo ab Optato nostro — vel quisquis alius hæc illi supposuerit — hic dicantur, quibus statim animadvertet. II. Mach. VIII, 23. in latina vulgata *Esdras* legitur pro *Elezar*, quod est in Græco, & cum sequentibus verbis, secus quam in græcis, & ipsa ratio suadet, conjungitur. Non id hodie & heri cœpit, aut recentiorum librariorum incuria accidit, ut opinati sunt viri docti; sed jam olim ita lectum est, & antiquissimæ, ut ita dicam, antiquitatis error est. Non enim dubium, quin huic nostro tot hallucinationum, in quas paucis lineis impingit, fons illinc & origo fuerit. *M. Casaub.*

*ibid.* primo recipiendus.

Primo non est excommunicandus. *Albasp.*

*ibid.* deinde sustinendus.

Ejus pœnitentia expectanda. *Idem.*

## IV.

ADNOTATIONES RELIQUORUM VETERUM  
AD DONATISTICAM CAUSAM PERTINENTIUM MO-  
NUMENTORUM ALIQUA ILLUSTRANTES.

## TENOR EDICTI IN CHRISTIANOS ETC.

*Ex Lactantio L. de Mart. persec.*

pag. 131. ad sept. Cal. Mart.

Recte, nam hoc die signantur Terminalia in vet. Calendario Rom. quod editum est tempore Constantini, & ab Herwarto & Bucherio factum publici juris. S. Augustin. L. 7. de Civ. Dei. c. 7. *Terminalia mense Februario dicunt, cum sit sacrum purgatorium, quod vocant februum.* Dies igitur hujus persecutionis, quod notandum, fuit 7. Cal. Martias, ipso Terminalium die, quod & ex cap. 48. probatur, ut illic observabitur.

*ibid.* agentibus Consul. Senib. amb.

Id est, Diocletiano & Maximiano Hercullo, quos an. Chr. 303. Cos. 8. & 7. fuisse constat. Hæc verba porro indicant tempus istius persecutionis, de quo tam graviter disputatur. Nam Onuphrius, Petavius & Baronius, alique contendunt 302. Scaliger, Valesius & alii 303. hanc persecutionem fuisse; & hi ultimi quidem recte dicunt, ex hac ratione, quod, uti ex c. 17. adparet, ea contigerit paulo ante, quam Dioclet. pergeret Romam: atqui certum est, eum exeunte 19. anno sui imperii illic venisse, ac de Narsæ Rege Persarum, ut recte ad Eusebii Chronicon, Scaliger notat, ibi triumphasse. Præterea Lactant. infra c. 18. hujus persecutionis historiam colligens, cum dixisset, Edictum Constantini & Licinii pro Christianis, quo data est Ecclesiæ pax, propositum fuisse Nicomediæ die Iduum Juniarum Constantino & Licinio ter Cos., ait ab everfa Ecclesia Nicomedeni usque ad restitutam fluxisse 10 annos, menses plus minus 4. Atqui si a die septimo Kal. Mart. anni 303, (quo Ecclesia Nicomed. est diruta) usque ad diem Iduum Juniarum anni 313 colligas, invenies ab everfa Ecclesia illa usque ad restitutam fluxisse 10 annos, 3 menses, 19 dies.



Denique & Eusebius dicit, post 8vum annum aliquantulum remittere cœpisse persecutionem; nam si tempora numeres a festis Paschalibus anni 303 usque ad mensem April. anni 311, quo Galerius Maximianus in extremis agens persecutionem quiescere iussit, facile reperies 8 annos integros effluxisse ab initio persecutionis, & initium noni fuisse. Itaque teste Eusebio, cœpit remittere post annum 8, quare & argumenta, quæ Petavius in Lib. II. *de doct. temporum* c. 32. adducit ex Sulp. Severo, ut probet, cœpisse persecutionem anno 302, infirma esse constat, cum eo fundamento nitantur, quod desierit 312, quam certum est non nisi anno demum sequenti conquievisse.

*ibid.* simulacrum Dei quæritur.

Uti inter Paganos, qui templa non esse, nisi simulacra iis inessent, credebant. Plinius eleganter dicit L. 7. c. 7. *Effigiem Dei formamque querere, imbecillitatis humanæ reor.* Desiderius Heraldus ad L. 6. Arnobii notat clare, Ecclesias simulacris caruisse. Vide & Casaub. in notis ad Alex. Sever. Ælii Lampridii.

*ibid.* scripturæ incenduntur.

Sic narrat Euseb. L. 8. hist. c. 2. — res est nota — Inde illa vox *Traditor* adversus eos, qui metu pœnarum tradiderant libros divinos iudicibus imperialibus. Desuper lege Scriptores Africanos, præcipue illum Donatistam, qui descripsit Acta SS. Saturnini, Dativi & Sociorum; lege etiam gesta purgationis Cæciliani Ep. Carthag. & Felicis Ep. Apungitani.

*pag.* 132. postridie.

Sexto Kal. Mart. Hoc igitur die Diocletiani & Maximiani edictum cœpta jam persecutione contra Christianos propositum est Nicomedix. Ast Euseb. L. 8. c. 2. scribit, fuisse propositum mense Mart. appetente die festo dominicæ Passionis; & auctor Chronici Alexandrini ait 25. Martii, ipso die Paschæ. Ista autem sic Baluzius conciliari posse putat, quod edictum primo in regia civitate, nempe Nicomedix, 6. Kal. Mart. deinde missum ad ceteras Imperii civitates; mense quidem Mart. propositum ibi, ubi habitabat Eusebius, mense Aprili in Palæstina, Alexandria, vel alibi ipso die Paschæ.

*ibid.* carerent omni honore.

Ista sic expressit Rufinus apud Euseb. L. 8. c. 2. *Siquis inter nostros alicujus honoris prærogativa muniretur, sublata hac maneret infamis.*

*ibid.*

*ibid.* libertatem non habent.

Clarius hæc vide apud Euseb. L. 8. c. 2. secundum Ruffini interpretationem: reliqui enim interpretes sensum legis non satis sunt adsecuti. Sic ergo habet Ruffinus: *Siquis servorum permansisset Christianus, libertatem consequi non posset*; primum enim pœnæ adversus honoratos, dein adversus plebem, & denique adversus servos sunt constitutæ, quibus adempta omnis spes libertatis, si permansissent in professione religionis christianæ. Fallitur valde hic Henr. Valerius, qui in notis ad Euseb. Ruffini interpretationem ferri non posse dicit. Sic & Niceph. Calixtus L. 7. c. 3. valde errat, qui putat, servis esse libertatem datam, qui christianam fidem abjurarint.

*ibid.* quod edictum quidam.

Ex silentio Lactantii, qui tamen Nicomediæ erat, conjectamus, hominem ex plebe fuisse, qui hoc edictum diripuit; alias, si homo illustris fuisset, certe Lactantius non tacuisset de eo. Eusebium autem in descriptione hujus hominis perdisertum nonnisi ex traditione hausisse hæc, credimus; hinc & nobis valde suspecta sunt illa in vetustis quibusdam Martyrologiis legenda ad 7. Septemb. ubi Ruffinus Eusebium interpretans hæc facta cuidem beato Joanni adscribit. Nam cum ex Lactantio & Eusebio constet, hunc virum statim eductum & morti traditum fuisse exeunte mense Febr., quomodo jam natalis dies ejus in mensem Septemb. incidit? tam procul ab initio persecutionis. Henschenius quidem ex hoc viro S. Georgium facere laborat; sed cum acta hujus Martyris tot fabulis sint plena, & ipsum illum hominem exeunte Febr. fuisse dicat extinctum, non videmus, cur S. Georgio hoc factum imponere velit.

*ibid.* etsi non recte.

Ruffin. ap. Euseb. L. 8. c. 5. *calore nimio fidei ignitus*, reprehendit enim imprudentem & intempestivum ardorem pro fide Christi.

*ibid.* victorias Gothorum & Sarmatarum &c.

Imperatores nempe se in Edicti titulo vocabant Gothicos & Sarmaticos, uti in veteri inscriptione ap. Caspinian. p. 135. in L. de Cæsaribus. Titulus autem Edicti non solum Dioclet. & Maxim. sed & Constantini & Galerii Max. nomina continuit, uti colligi potest ex hist. passionis SS. Martyrum Saturnini, Dativi &c.

*ibid.* legitime coctus.

Modus Christianos coquendi vivos explicatur infra c. 21. *Legitime* autem coctus est, quia secundum leges, quas Augusti tulerant, sicut L. V. Instit. c. 11. *legitima sacra* vocat ea, quæ secundum veterem morem fiebant, quia mos vim legis obtinet. — Fallitur valde Josephus Iſæus, qui vocem *legitime* ironice postam putat.

*ibid.* cum admirabili patientia.

Ruffini interpretantis & explicantis Eusebium hæc sunt verba: *Continuo omni in eum crudelitatis genere savientes, ut hoc quidem efficere quiverunt, ut eum maſtum quis in parvis videret, sed lato atque hilari vultu, cum jam viscera in supplicii defecissent, spiritus tamen lætabatur in vultu &c.* Omnes hæc adnotaciones sunt Baluzii.

## EXECUTIO HUIUS EDICTI.

*Acta S. Felicis Episcopi.*

*pag.* 134. Incipit passio.

Ita Codices 59. & 930. Bibl. Colb. Ast Codex 401. habet: *Incipit passio Felicis Episcopi Bituzacensis XVIII. Cal. Jan.* Brevius Codex 316. *Passio S. Felicis Episcopi.*

*ibid.* Diocletiano octies.

Ita recte omnia vetera exemplaria & editio Dacheriana; male apud Surium, ubi scriptum est: *Diocletiano novies & Maximiano octies Conſs.* Nam certum est, edictum fuisse propositum eo anno, quo Diocletianus VIII. & Maximianus VII. Conſs. fuere.

*ibid.* tunc.

Id est, Diocletiano & Maximiano Conſs. Nam hæc referenda ad annum, qui sequitur post initium persecutionis, cum hæc sint acta Carthagine & in Africa mense Jan.

*ibid.* Tubizacense.

Ita Codex 59. & 930. Sed Codex 401. habet *Tubizocense*; 316. & editio Dacheriana *Tubzocense*. Suriana in hoc loco est mondana. Vocatur etiam civitas hæc in Cod. 930. *Tupusa* pro *Tubysa*. Forte civitas fuit Numidiæ, ipsa illa, cujus Episcopus Frumentius *Tubuscensis*, uti apud Victorium Utic. legit Ortelius, nominatus reperitur inter Episcopos, qui Carthaginem ex præcepto regali venerunt, pro  
red-

reddenda ratione fidei anno sexto Regis Vandal. Hunertci. Sed in editionibus Sirmondi & Chiffletii legitur *Tuburfcen-ss*. In Collatione porro I. Carthag. cap. 121. mentio fit Episcopi *Tuburfcensis Bura*; cap. 142. Maurentii Episcopi *Ecclesie Tuburfcensis*; & cap. 202. Januarii Episc. de *Tuburfcen* sive *Tuburfcio Numidiarum*. Certe tanta est difficultas in constituendis veris nominibus civitatum Africæ, propter eorum inter se similitudinem & affinitatem, ut affirmare non auzim, utrum hic apud Victorem legendum sit *Tuburfcen-ss*, quemadmodum legit Ortelius, an *Tuburfcensis*, ut alii. In eadem Collat. Carthag. cap. 186. nominatur Martinianus loci *Tibuzabesen-ss*.

*ibid.* Magnilianus.

Ita semper in veteribus libris Bibliothecæ Colb. Ado & Dacherii editio habet *Magnellianus*. Suriana & Martyrologium Rom. *Magdellianus*.

*ibid.* ubi est.

Hæc tota pericopa, quæ in Codicibus 401. & 930. non invenitur, est in Cod. 59. & 316. & in editione Dacherianæ sic & in Suriana.

*pag.* 135. date illos igni &c.

Hæc jussio in edit. Dach. omissa; hinc colligi potest, eam etiam esse omisam in veteri exemplari Chiffletii Est tamen in omnibus veteribus exemplaribus, excepto 316. & Surii editione. Et sane constat, sensum non esse integrum in illis exemplaribus, quæ illam Magistratus interlocutionem & Clericorum responsonem non habent.

*pag.* 137. post dies autem sedecim.

Habet Cod. 401. Colb. *duodecim*.

*ibid.* ad Præfectum Prætorii.

Addit Suriana editio: *Idibus Julii*; sed inepte sane; nam cum ista agerentur mense Januar. Idibus Julii mitti non potuit Martyr ad Præfectum Præt. Neque vero illud incidisse potuit in Idus Febr. Quippe Felix Episcopus apprehensus est postridie Nonas Jan. deinde triduo repositus in carcere, ut secum deliberaret, an scripturas traditurus esset? quarto postea die missus est ad Proconsulem; post dies sedecim, quam Carthaginem pervenisset, Proconsuli oblatus est; & tunc missus Romam ad Præf. Præt. Fiunt dies unus & viginti. Adde aliquot dies pro itinere a Tubya usque ad Carthaginem. Missus est ergo Felix Romam sub finem mensis Januarii.

*ibid.* post dies autem duodecim.

Ita in quatuor exemplaribus Bibliothecæ Colbertinæ. Dacheriana editio habet *quatuordecim*, Suriana *novem*.

*ibid.* post Imperatores.

Id est, ad Maximianum Herculium, qui tenebat Italiam, quem vero tum in Campania fuisse propterea certum est.

*ibid.* in subsanio.

Ita tria vetera exemplaria; quartum habet *subsanio*; editio Dacher. *subsanio*. Surtius: *Et fuit in capsâ navis diebus quatuor*. Ex quo patet, per *subsanium* vel *subsanium* intelligi debere imam partem navis.

pag. 138. gladio animadverti constituo.

Supra Præfectus Felicem misit ad Herculium, nimirum ut causa Felicis finem acciperet in præsentia Imperatoris. Et tamen cognitor Nolanæ civitatis iudicium sibi præsumit, & Felicem capite plecti jubet? — Verum id ita intelligi debet, ut cognitor dicatur causam istam suscepisse iudicandam *secundum præceptum*; id est, ex delegatione Maximiani tunc præsentis.

*ibid.* in Nola.

Editio Surii docet, hæc acta esse Venusii, quæ civitas est regionis Apuliæ.

*ibid.* octavo decimo.

Hæc lectio est trium VV. exemplarium. in quarto, & in editione Dacher. legitur *nono decimo*. Apud Surium *tertio Kalendas Septemb.* In vetustis Martyrologiis passio S. Felicis refertur ad IX. Kal. Nov.

*ibid.* ad almam.

Epithetum est urbis Carthag. ut patet ex actis Collat. Carthag. inter Catholicos & Donat. Alibi vocatur *splendidissima*, ut in actis purgat. Felicis Aptung. & *celssissima* in actis Collat. Carthag.

*Omnia ex Baluzio.*

*Acta M. M. Saturnini & Sociorum.*

pag. 139. Acta Martyrum Saturnini &c.

Quamvis Saturnini & aliorum Martyrum nomina apud S. Augustinum non expressa habeantur, tamen ii ipsi sunt, quorum acta a Donatistis sicut producta, & a Catholicis tanquam germana recepta in Collat. Carthag. quæ 411. inter Episcopos cathol. & Donat. habita est. His actis usi sunt Catho-

Catholici contra Donatistas, ut ostenderent, etiam tempore persecutionis Consilium 12 Episcoporum congregari potuisse, quandoquidem tunc Christiani collectas & sacros conventus celebrarant. Vide desuper August. in Breviculo Collat. die 3. c. 17. — Ast hæc acta tunc temporis pura & genuina habita, paulo post a Donatistis, ut Consulium nomina tollerent, aliquatenus sunt depravata, qui adjectis initio breviori præfatione, & in fine longiori appendice, multas calumnias adversus Mensurium Carth. Episcopum, & alios Catholicos his inseruere. Reliqua tamen intacta mansere; hinc & hæc additiones facilius potuere rescindi. — Tempus, quo isti Martyres sunt passi, ex Aug. invenimus, id est anno 304. 12. Febr. — Porro & occasione SS. librorum multi Christiani in Numidia occubuerunt, teste Secundo Tigisitano Episcopo ad Mensurium Carth.; uti & videri potest apud Aug. in Brev. Coll. die 3. c. 13. uti & L. 3. ad Parmen. in Optato. *Ex Ruinarti admonitione ad hæc acta.*

*ibid.* ad num. 1. in archivo memoriæ.

Baronius adnotat, memoriã fuisse dictum illum locum, ubi asservabantur gesta proconsularia. Sed ei non adfentire possumus, cum etiam in palatiis Imperatorum tales magistri memoriæ fuerint, qui teste Salmasio in notis ad Scriptores hist. Aug. ad memoriã dictabant; sed hæc memoriã ab illa, cujus hic mentio, valde est diversa. — Puto *hanc memoriã* Codices publicos significare, in quibus causæ scribebantur, quæ in foro agitabantur, ne earum memoriã aboleretur; vel, cum hic de actis Martyrum sermo sit, Codices ecclesiasticos sub hac voce *memoriã* esse intellectos, in quibus conscripta erant gesta Martyrum.

*pag.* 140. ad num. 2. Alutinenfi.

Ita Codex Surii & Colb. Editio Henschenii habet *Abitinenfi*, ex duobus Codd. antiquis, quæ vox & in Coll. Carthag. & in Concilio Carth. sub Cypriano habito provenit. Sed retinemus potius veterem lectionem imprimis in nominibus urbium Africæ.

*ibid.* Occani.

In Cod. Colb. *Ostavi*. Ita etiam in Trevirensi scriptum fuisse, ait Henschenius.

*ibid.* bellica tuba.

Id est, cantabatur tuba bellica, quod erat signum, ut convenirent Christiani ad templa Ethnicorum, & adorarent Deos eorum. Vide desuper acta S. Alexandri Mart. apud Surium die XIII. Maji.

**pag. 152. ad ædem Pudicitiaë.**

Id est, ad templum Dei. Figurata & elegans loquendi ratio, ut, quæ virginitatem suam dedicare ac consecrare Christo volebat, intelligeretur. De æde Pudicitiaë Patriciaë, quæ Romæ in foro boario erat ad ædem rotundam Herculis, mentio est apud T. Livium L. X. & Festum. Eam in regione octava fuisse scribit P. Victor.

**ibid. sacrum crinem servavit.**

Non totondit ergo Victoria crinem suum, cum se Christo consecravisset. Quippe olim sœminis christianis interdictum erat, ne comam deponerent, etiam quibus placebat perpetuæ professio continentiaë. Sed tamen paulo post, ut in epist. 48. ad Sabinianum scribit Hieronymus, in Ægypti ac Syrii Monasteriis hic mos fuit, ut tam virgo, quam vidua, quæ se Deo voverent, crinem monasteriorum matribus offerrent ressecandum.

**pag. 153. comam.**

Editiones habent *collum*; sed contra mentem Proconsulis, qui his minis infantes, qui comas suas amant, deterrere volebat. Vid. Carmen Statii de coma Carinæ. *Ex Baluzio.*

**GESTA PURGATIONIS FELICIS APTUNGITANI.****pag. 160. gesta purgationis &c.**

Unicum exemplar verus istorum actorum habuit Baluzius, illud ipsum nimirum, ex quo Collationem Carthag. & hæc gesta edidit Papius Massonus. Et ille quidem ea postposuerat actis purgationis Cæciliani, ordinem fidemque ejusdem veteris exemplaris secutus. Sed & tempus repugnat, & auctoritas S. Augustini, qui cum in eundem errorem incidisset, docuit postea L. II. *Retract.* c. 27. absolutionem Felicis præcedere debere. Sed id tamen intelligendum est de secunda ac tertia Cæciliani absolutione, non autem de prima, qua Cæcilianus absolutus est in Concilio Rom. ut recte notat Henricus Valesius in *Diff. de schismate Donatist.* Nam ita docet nos ipse August. epist. 152. nomine Concilii Cirt. scripta ad Donatistas. Vid. idem in *Lib. de unico baptismo* cap. 16. & in *Lib. ad Donatistas* post *Collat.* cap. 33. Recte præterea observat idem Valesius, maximam partem horum gestorum proconsularium temporis injuria perisse, priorem videlicet, in qua acta municipalia & interrogatio-

nes

nes ac professiones Curatorum, ac Stationarii continebantur. Hæc autem ab Imp. Constantino ita fieri iussa sunt, ut omnis criminandi occasio adimeretur Donatistis, qui de Synodo Rom. sive de Melchiadis Papæ iudicio frequentissime apud Constantinum conquesti, affirmabant, non omnem causam ab Episcopis illic auditam fuisse. Nam Melchiades silentio transmiserat Felicem Episcopum Aprungitanum, & reliquos Ordinatos Cæciliani, quos Donatistæ dicebant, reos esse traditionis. Itaque Imperator volens, ut dixi, omnem criminandi ansam ipsis adimere, mandavit Vero, ut vocatur apud S. Augustin. sive potius Lucrino Verino, agenti vicariam præfecturam per Africam, ut de crimine traditionis, quod Felici objiciebatur, diligenter inquireret. Cum vero ille iussionem Principis exequi cœpisset, incommoda valetudine tentus, ut ad Probianum scribit Constantinus, necessario postea abstinuit a cœptione ejusdem negotii. Quare Ælianus Procons. Africæ partibus ejus functus, id negotium ad examen suum atque iussionem credit esse revocandum, ut ait Constantinus. Ex quibus verbis colligitur, Ælianum partes Vicarii non suscepisse mandato Principis, ut putavit Valesius, sed propria sponte, ob repentinum videlicet Vicarii morbum. Quamquam sententia Viri Cl. juvari posset ex L. 1. Optati, ubi scriptum est, Constantinum ad Ælianum Procons. scripsisse, *ut remotis necessitatibus publicis de vita Felicis Aprungitani publice quaereretur*; & ex Augustini epist. 162., in qua scriptum est, Felicem Aprungitanum *ad ejusdem Principis iussionem* proconsularibus gestis fuisse purgatum. Verum hæc verba ita accipienda sunt, ut, quoniam Constantinus ad Verinum Vicarium scripserat de inquisitione criminum, quæ Felici objiciebantur, & is morbo impeditus est, sacræ iussioni parere, Ælianus Procons. qui partibus ejus functus cognitionem & iudicium istius causæ suscepit, *ad ejusdem Principis iussionem* fecisse dicatur, quia rem fecit, quam Princeps iusserat, tametsi specialia ad eum rescripta non emanassent. Nam quomodo fieri potest, ut sat cito post morbum Verini, quem evenisse postremis diebus mensis Januarii, aut sub initium Februarii, colligi non absurde potest ex lege I. Cod. Theod. *de Curatoribus Calendarii*; quomodo, inquam, fieri potest, ut sat cito de hoc morbo admodum potuerit Constantinus, ut novum rescriptum ejus ex Gallia ad Ælianum pervenire potuerit ante diem XV. Kal. Martias? Itaque necesse est, ut dixi, verba Optati & Au-



gustini benigne interpretari, ita nimirum, ut Ælianus de causa Felicis cognoverit auctoritate Rescripti dati ad Verinum Vicarium, cujus partibus pro necessitate temporis functus est. Ceterum postea Donatistæ id reprehenderunt in causa Felicis, quod Episcopus cum esset, proconsulari iudicio, non vero ecclesiastico, purgatus fuit. Quam criminationem graviter refellit August. in eadem epistola. Iidem ei vitio verterunt, ut docet Aug. in Brevic. diei 3. cap. 24. quod abfuerit, cum Ælianus de causa ejus inquireret, & dixerunt, eum præsentem debuisse purgari, ut legitur in Collat. III. cap. 571. Contra Catholici cap. 574. reposuerunt, *majoris esse innocentie documentum, quod absens purgatus est Felix.*

*ibid.* Autumnitanorum.

Id est, *Aptungitanorum*, sive *Aptungensium*, ut apud S. Augustinum frequenter. Sed in veteri Codice & hic & infra *Autumnitani* vocantur, qui alibi *Aptungitani*. Imo qui novam epistolarum S. Augustini editionem curarunt, adnotant ad epist. 43. quæ est 162. in antiquis editionibus, pro eo, quod illic legitur *Felicis Aptungitani*, editiones Amorbachii & Erasmi, & decem MSS. Codices habere *Autumnitani*. Aptungis porro fuit municipium Provinciæ proconsularis, ut manifestum est ex loco S. Aug. in Brevic. diei 3. cap. 16., ubi ait, hanc esse catholicæ Ecclesiæ consuetudinem, ut non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi, Episcopum Ecclesiæ Carthag. ordinent.

*ibid.* Ælii Paulini.

Nulla dubitatio est, quin hic locus sit egregie mendosus. Nam eo tempore, quo hæc gesta sunt, *Ælius Paulinus* non erat Vicarius Africæ, ut planum est vel ex epistola Constantini ad Probianum. Sane Paulinus ea dignitate ornatus multo ante fuerat, nimirum A. 303. cum persecutio ferveret in Africa, cum Alsius Cæcilianus esset Duumvir Aptungitanorum, ut scribitur infra in iisdem gestis. Verinum porro fuisse Vicarium Africæ ineunte A. 304. Volusiano & Anniano Coss. qua tempestate hæc gesta sunt, colligitur ex eadem epistola Constantini. Nam ex L. 5. Augustini contra Donatistas post Collat. cap. 33. discimus, cognitionem de causa Felicis ceptam esse XV. Kalend. Mart. Imo vicariam Præfecturam obtinuisse in ipsis anni initiis, probare videtur lex 1. Cod. Theod. *de Curatoribus Kalendarii*, quæ III. Kal. Febr. ab eo proposita est sub Consulatu eorundem Volus. & Anniani. Omnino sentiendum cum Francisco Ju-

reto & Jacobo Gothofredo, Vicarium illum Africæ, de cuius morbo agit Constantinus in epist. ad Probianum, *Verinum* fuisse; ut propterea emendandum sit nomen ejus in eadem epist. ubi librariorum vitio vocatur *Verus*. Mirum enim videri non debet, hic mutatum esse in *Verum*, qui apud August. in L. ad Donat. post Collat. cap. 33. degeneravit in *Valerium & Valerianum*. Itaque pro nomine *Ælii Paulini*, quod in hæc gesta irrepfit, substituendum est nomen ejusdem *Verini*, qui aliquot etiam post annis vicariam præfecturam Africæ gessisse reperitur apud August. in Brevic. diei 3. cap. 22. item in epist. 152. nomine Cirtenfis Concil. scripta ad Donat. Sumfit autem ista August. ex actis Collat. tertie Carth. cap. 548. ubi ita habetur in editionibus Massoni, Pitæi, & Binii: *Ubi recitatur epistola Constantini ad Vicarium Vicarium destinata, qua libertatem agendi tribuit Donatistis*. Juretus mendum hic videns conjecit legi debere: *ad Verinum Vicarium*, quam emendationem amplexus est Valeſius. Sane in antiquissimo, ex quo gesta Collationis illius edidit Massonus, exemplari diserte scriptum est: *ad Verinum Vicarium*. Alii cum putarent, vitio librariorum superflue *Vicarium* bis hic positum esse, semel tantum posuerunt. His ita constitutis, cum certum sit, epistolam Constantini, quæ refertur in indiculo Collationis tertie, eam esse, quam Augustin. cap. 38. libri ad Donat. ait a Constantino scriptam esse ad Vicarium Valerium, sive Valerianum (ut habet Cod. verus Bibliothecæ Colbert.) Crispo & Constantino iterum Cofs. certum quoque est, mendum hic esse apud Augustinum, & pro *Valerio* reponendum esse *Verinum*. Rursum, cum hinc constet, *Verinum* fuisse Vicarium Africæ sub Consulatu eorundem Cæsarium, qui in A. Christi 311. incidit, & ex variis constitutionibus Codice Theod. comprehensis colligatur, eum annis quoque 318. & 319. eandem vicariam præfecturam administrasse, patet, eum non solum convaluisse ex morbo, quo detinebatur tempore absolutionis Felicis, sed etiam continuatam ei fuisse potestatem. Sed tamen negotium hic faceſſit Augustinus, qui in eodem cap. 33. libri ad Donat. ait, Constantinum ad Eumalium Vicarium scripsisse de purgatione Cæciliani Sabino & Ruffino Cofs. IV. Idus Novemb. id est, A. C. 316. exeunte; cujus epistolæ fragmentum idem Augustinus describit Lib. 3. contra Crescon. cap. 71. eandemque in Collatione 3. Carthag. lectam fuisse docet in Breviculo diei tertie cap. 19. ubi ejus sensum refert. Et

antea quidem, id est, anno superiore, Domitium Celsum Africæ Vicarium fuisse docet inscriptio legis un. Cod. Theod. *De his, qui filios involant alienos*, data Kal. Augustis Constantino Aug. IV. & Licinto IV. Coss. Quare oportet remotum aliquantisper fuisse Verinum, ut spatium daretur Celso & Eumalio, & dein Africæ redditum; sicut post Ælianum reperimus in Cod. Theod. Catullinum Africæ Procons. fuisse per annos 315. 317. 319. & hoc ultimo anno Procurum quoque ea dignitate ornatum, ac postea Ælianum eam recepisse A. 320. annoque 324. Hilarianum proconsulare hoc imperium habuisse, & rursus Ælianum Proconsulatu Africæ fulgentem A. C. 326.

pag. 160. anni sunt undecim.

Ergo Cæcilianus Duumviratum gesserat in Municipio Aptugitanorum A. C. 303. eo nimirum, quo Edictum de diruendis Basilicis & comburendis S. Scripturis propositum est in Africa, ut docent etiam sequentia.

pag. 161. si mei in cera.

Sensus istius loci ita videtur posse constitui: Magistratus Codices publicos domum suam tulit post expletum annum suæ potestatis, atque ideo illi non sunt apud me. Habeo tantum ceratas tabulas, in quibus primo perscripta sunt acta; & inquiri, utrum actus, quos Proconsul petit, in eis inveniuntur. Nam *plerumque*, ut Priscianus ait, *in ceratis tabulis antiqui scribere solebant, & postea delere*. Hoc erat officium Notariorum & Scribarum, qui ea tabulis ceratis excipiebant, quæ dictabantur.

ibid. Ælianus Proconsul.

Cujus crebra mentio apud Augustinum, & in Collat. 3. Carth. tum etiam in Cod. Theod. Itaque cum eum constet eadem prorsus tempestate Proconsulis dignitatem habuisse in Africa, quo Volusianus & Annianus gesserunt Consulatum, sub quibus habitum est Concilium Arelat. In causa Donatist. probabilis sit eorum sententia, qui suspicantur, ad eum scriptam esse epistolam Constantini de Episcopis Africanis Arelatem[mittendis intra diem Kalendarum Augustarum, ac pro *Ælasio*, cui inscribitur in veteri Cod. Thuano; & in editionibus vulgatis, reponendum esse *Ælianum*. Cur autem ad Proconsulem potius, quam ad Vicarium scripta sit, non alia esse ratio potest, quam quia eo tempore Vicarius incommoda valetudine detinebatur, ut docet Constantinus August. in epist. ad Probianum Æliani successorem. Unde pater,

patet, corrigendum esse lemma istius epistolæ in tomis Conciliorum, ubi dicitur scripta ad Vicarium Africæ. Non est mirum autem, Æliani nomen mutatum esse in Ælasium in Codice depravatissimo, id est. Thuano, ex quo unico prodire omnes usque ad hunc diem istius epist. editiones.

*ibid.* Volufiano.

Nomen hoc ex fastis Cod. Theod. & Augustini libro ad Donatist. post Collat. cap. 33. suppletum. Contigit ergo ista Felicis purgatio A. C. 314.

*ibid.* XIII. Kal.

Apud August. hæc inquisitio refertur ad XV Kal. Martias; atque hinc emendanda esse ait Baronius acta purgationis Felicis, quæ alioquin depravata atque mendosa facta esse pronuntiat. Sed Baronium reprehendit Valesius eo inter cetera argumento, quod intra unius diei spatium tot gestorum documenta perlegi, tot personæ interrogari non potuerint: ac propterea necesse ait esse, ut in plures dies protracta sit tantæ causæ cognitio. Itaque contendit ab Æliano inchoatam XV. Kal. Mart. sed propter necessitates publicas & Provinciæ negotia intermissam, & finitam demum XIII. Kal. Septemb. id est sexto mense post initium gestorum. Equidem ut concedi potest, hanc quæstionem pluribus diebus agitatam fuisse, ita minus est credibile, tanto tempore sub iudice pendisse cognitionem, quam Augustinus vocat diligentissimum examen & diligentem ac terribilem inquisitionem; præsertim cum Optatus Lib. I. doceat, Constantinum Imp scripsisse in Africam, *ut remotis necessitatibus publicis de vita Felicis Aptungitani publice quaereretur.* Et cum necesse sit existimare, mendum esse aut in L. Augustini ad Donat. aut in hoc loco gestorum; constet vero, extra mendum esse, quæ ab Augustino referuntur, quod cognitionem de causa Felicis ab Æliano susceptam esse ait quarto ferme mense post iudicium Melchiadis, quod initio mensis Octobris proxime præteriti factum fuerat, non appareat, quomodo repudiari possit Baronii sententia, qui hunc locum gestorum pronuntiavit emendandum esse ex Lib. Augustini contra Donatist.

*ibid.* apud Max. Imperatores.

Constantinum & Licinium, qui cum temporis rempublicam administrabant.

*ibid.* cum persecutio esset indicta.

A. C. 303. unde ortum nomen *Traditorum* in Africa.

*Optati Tom. II.*

M

202.

pag. 162. jussione proconsulari.

Id est, Anulini, quem fuisse tum Proconsulem Africæ produnt acta MM. qui tum apud Africam exagitati sunt pro nomine Christi.

*ibid.* Secundus senex est.

Vetus exemplar habet: *secundum sensus est.* Massonus edidit: *Secundus senex est*, nullo sensu. Hic enim non agitur de *Secundo*, sed de *Alfo Exduumviro Aptungitanorum.*

*ibid.* epistolas salutorias.

*Intra: Epistolas salutorias de Baslica protulerit.* Difficile est explanare, quid hic intelligatur per epistolas salutorias. Neque enim probabile est, quod quidam ex hoc loco colligunt, epistolas salutorias eas esse, quibus quis alicui salutem impertit. Manifestum quippe est, hic agi de Codice quodam venerando, quem Alfius Cæcilianus Duumvir ex Baslica Aptungitana fustulit, haud dubie, ut ureret. Nam post cathedram episcopalem, & epistolas salutorias sublatas etiam *ostia omnia combusta sunt secundum sacrum praeceptum.*

*ibid.* Ingentius Scriba.

Qui postea Decurio fuit civitatis Ziquensium, & tunc convictus est falsasse, & interpolasse epistolam, quam Alfius Cæcilianus scripserat ad Felicem Episcopum Aptungitanum.

pag. 163. Paulino administrante.

A. C. 303. cum cœpta esset persecutio in Africa.

*ibid.* modum cursoris.

id est formam, speciem.

pag. 165. Scribas illo.

*Illo idem ac illi; sic enim plerique veteres, qui etiam alio frequenter scribebant pro alii.*

*ibid.* ejus latera.

Rectius fortasse Massoni editio: *ejus litteras.*

*Ex Baluzio.*

## GESTA APUD ZENOPHILUM.

pag. 168. ordinavit Majorinum.

Cui Donatus, a quo Donatistæ, successit in Cathedra Carth. Itaque primo pars Majorini, quæ postea pars Donati dicta est, ut legitur in epist. 68. S. Augustini. Quare verissima videtur sententia Henrici Valeli, qui in *Diss. de schismate Donat.*

*Donat.* cap. 4. verba illa ex L. 1. Optati: *Datæ a Luciano, Digno, Naffutio, Capitone, Fidentio, & ceteris Episcopis ex parte Donati*, sic emendanda esse pronuntiat, ut sublato nomine *Donati*, hic reponatur nomen *Majorini*.

*ibid.* Constantino.

Valesius probat aduersus Baronium, hæc gesta non esse A. C. 306. sed 320.

*ibid.* Thamugadiensi.

Ita communiter in veteribus monumentis legitur. Gothofredus ad L. 2. Cod. Theod. *de honorariis codicillis* notat, eam urbem fuisse in Mauritania Tingitana, ejusque nomen corruptum esse in Notitia Imp. & in urroque Itinerario. In Coll. I. Carthag. cap. 128. nominatur Faustianus Episc. plebis Tamogadensis, & in Nozit. Episcopor. Africae Secundus Tamogazienſis inter Numidas.

*ibid.* Nundinario.

Hic tunc istius inquisitionis auctor fuit, ut se ulcisceretur aduersus Silvanum Cirtensem Episcopum, a quo læsus erat. Vid. Augustini epistolæ 162. 165.

*ibid.* Constantiniensium.

Sive Cirtensium. Circa enim dicebatur ante, quæ tum Constantina vocabatur. Vid. Valesius in Diss. *de schism. Donat.*

*ibid.* Secundus Episcopus.

Tigistanus, qui tunc agebat in Numidia primatum, ut ait August. epist. 162. Idem principatum Concilii Cirtensis tenuit, ut ibidem August. scribit, ubi præſentes & confessos Traditores reliquit Deo judicandos, & eos in episcopalibus sedibus manere permisit. Vid. eundem L. 1. contra epist. Parmen. cap. 3. Brevic. diei 3. cap. 13. & L. 1. contra Gaudent. cap. 37.

*ibid.* Cæcilianum Episcopum.

Carthaginensem Catholicum, Mensuril successorem, tot tempestates perpeſſum a parte Donati, ut propterea nomen ejus valde inclaruerit.

*ibid.* Alium instituerunt.

Majorinum, cui Donatus successit.

*ibid.* unam Ecclesiam habet.

Id est, Nos Cirtenses nescimus divisionem. Neque enim duos Episcopos habemus, ut pleræque civitates Africae, quæ unum habent partis Donati, alium partis Cæciliani. Nos unicum habemus, sed qui Donato communitur. Postea tamen Cirtenses duos habuerunt Episcopos, Fortunatianum

nimirum & Petilianum, ut patet ex Collat. I. Carth. cap. 65: 138. &c.

*pag.* 169. Silvano.

Episcopo Cirtenſi, qui cum Secundo Tigiftano Primate Numidiæ, & ceteris ordinavit Majorinum adverſus Cæcilianum.

*ibid.* intermiſſo eo.

Henricus Valeſius hæc verba Interpretatur de Cæciliano, cujus Innocentia multis tum indiſiis probata fuerat. Verum hæc interpretatio non caret difficultate. Quippe hæc non dicebantur Carthagine, ſed in Numidia, cujus Conſularis erat Zenophilus. Præterea Victor nondum dixit, ſe non communicare cum Cæciliano. Itaque dubium eſt, utrum hæc accipi debeant de Cæciliano, an vero de Felice Aptungitano.

*ibid.* Purgata.

Ita vetus codex. Editio Maſſoni habet *probata*. Purgari vero de Felice in Coll. 3. Carth. & ab Auguſt. prædicatur.

*ibid.* Traditor.

Donatiſtæ Catholicos, eos nimirum, qui Cæciliano communicabant, Traditores & progeniem Traditorum paſſim vocabant. Contra Catholici prodicionem imputabant Donatiſtis, quos appellabant hæredes Traditorum & ſchiſmaticorum, adeo, ut Optatus Milev. manifeſtum eſſe dicat, principes eorum fuiſſe Traditores.

*ibid.* montem Bellonæ.

Prope Cirtam.

*ibid.* ne ſtrictius interrogeris.

Id eſt, ne torquearis.

*ibid.* Diocletiano VIII.

Id eſt, C. 303. quo cœpit perſecutio.

*ibid.* XIV. Kal. Jun.

Mendum eſt, dum Aug. in *epiſt.* 165. habet IX. Kal. Falfa eſt etiam conjectura J. Broei Biturigis, qui in *Diſſ. de epoſcha Concilii Cirtenſis* ſcribit, menſem Junium in hoc Auguſtini loco mutandum eſſe in Januarium, ita, ut, quæ hic referuntur de Munatio Felice, geſta fuerint menſe Januario, qui poſt coeptam perſecutionem proximus fuit. Omnes enim veteres libri & omnes editiones uno conſenſu menſem Junium præferunt; & iſta res nihil habet commune cum Actis Concilii Cirtenſis.

*ibid.*

*ibid.* Munatii.

Ita rectius, quippe frequens est in antiquis inscriptionibus nomen *Munatorum*, qui etiam plerumque Felices appellantur, ut videre est apud Grut. Hinc inde legitur *Numaricus*.

*ibid.* Paulo Episcopo.

Cirtensi, qui convictus est, instrumenta dominica tradidisse, etiam quæ diligenter fuerant occulta, ut ait August. epist. 165.

*pag.* 170. capitulatam argenteam.

Per *Capitulatam* intelligitur forsan tabula.

*ibid.* orcæ sex.

*Orcæ* est fictile vas. Vid. Dufresn. Glossarium. Apud August. male legitur, *arca*.

*pag.* 171. Felicis Sarforis.

Id est, opificis marmorarii. Hinc opus sarforium apud Ennodium, cum varis discolorum marmorum crustæ committuntur, ut unum corpus & unam quasi picturam efficiant.

*pag.* 172. epistolas Episcoporum.

Quas pro Nundinario scripserant ad Silvanum Episcopum Cirtensem & ad Clerum plebemque ejusdem civitatis. Meminit harum epistolarum August. epist. 162. 165.

*ibid.* a Forte.

Verum est, Fortem quoque scripsisse pro Nundinario. Attamen oportet ejus nomen hic loco non suo positum esse, aut postea defunt aliquot verba, quæ doceant, epistolas Episcoporum factas a Forte & ceteris.

*ibid.* fur rerum pauperum.

Ideo Silvanus dicitur fur rerum pauperum, quia viginti folles, quos Victor fullo dederat, ut fieret Presbyter, apud se retinuerat, nullaque eorum pars pervenerat ad populum, in quo pauperes. Præterea idem cum reliquis Episcopis, quos propterea S. August. l. i. contra Parmen. cap. 3. vocat fures ecclesiastici argenti, diviserat quadringentos folles, quos Lucilla dedit, ut Majorinus fieret Episcopus, quorum nullam partem ad pauperes pervenisse scriptum est.

*ibid.* follibus.

Monetæ genus. Vide Dufresnium, Jac. Goshofredi Notas ad Cod. Theod. & Sirmundum ad Serm. 39. S. August.



*ibid.* Lucillæ.

Fœmina dives factiosa, de qua etiam Optatus.

*ibid.* inde factum est schisma.

Optatus: *Schisma igitur illo tempore confusa mulieris iracundia peperit, ambitus nutrit, avaritia roboravit. Ab iis tribus personis contra Cæcilianum causa confecta sunt, ut vitiosa ejus ordinatio diceretur. A Botro nimirum, Celestio, & Lucilla. Itaque iracundia referri sine dubio debet ad Lucillam, ambitus ad Botrum & Celestium, qui apud Carthaginem ordinari cupiverant, avaritia ad Episcopos, qui Majorinum ordinarunt, qui folles 400, quos Lucilla dederat, inter se dividerunt, & amore pecuniæ Episcopum levarunt adversus Cæcilianum. Erat autem Majorinus domesticus Lucillæ, ut idem Optatus docet.*

*ibid.* Purpurius Episcopus.

Limatenfis, quem homicidam vocat Optatus, quod interrogatus de filiis sororis suæ, quod eos in carcere Milei necasse diceretur, confessus sit dicens: *Et occidi non eos solos, sed & quicumque contra me fecerit.* Sumit ista Optatus ex actis Concilii Cirt. quæ extant apud August. l. 3. contra Crescon. cap. 27. Limata ergo fuit civitas Numidiæ.

*ibid.* lapidatus.

Id est, degradatus, ut ait August. adeoque contumelia affectus. Vid. Gloss. Dufresnil.

pag. 173. sine sanguine spiritali.

Sanguinem spiritalem fundi ait, cum discordiæ gladius sævit in Ecclesiam, cum Episcopi dissident eum Clericis, cum hæc dissensiones erumpunt in vulgus, & dant locum sermonibus.

*ibid.* vestra sunt.

Legendum: *Vera*, ut patet ex epistola Purpuri ad Silvanum.

*ibid.* Fortis.

Cujusnam sedis Episcopus fuerit, non est compertum. In Coll. Carth. prima cap. 163. memoratur *Fortis* Episcopus Cediensis.

pag. 174. pacem celebrare.

*Leve Pascha*, ut seq. probant.

*ibid.* fratribus & filiis.

Id est, Clericis & Senioribus Eccl. Cirt.

pag. 175. Sabinus.

Episcopus Numida.

pag. 176. diebus istis.

Paschalibus.

*ibid.* civem nostrum.

Id est, Donatum.

pag. 177. tabulam argenteam.

Aut *tabulam* mutandum in *Capitulatam*, aut per *Capitulatam* intelligenda *tabula*.

pag. 178. acetum.

Sive acetabulum. Vid. Gloss. Dufresnii.

*ibid.* Luciano Presbyteris.

Ita vetus exemplar & editiones. Substituendum vero nomen *Superii*, quia infra, dum ista repetuntur, semper *Superii* nomen ponitur pro *Luciano*. *Lucianus* enim diaconus tantum fuit.

*ibid.* ante cathedram Episcoporum.

Ergo jam tum certus ac fixus erat Episcopalis cathedrae locus in Ecclesia.

*ibid.* ipsi Episcopi.

Ergo plures Episcopi ordinaverunt presbyterum Victorem fullonem.

pag. 179. ab harenariis.

Non a Clero, nec ab honoratis, sed a plebecula, in qua fuerunt harenarii, ejusmodi tantum generis fuerunt homines illi. Unde paullo post dicitur: *Prostituta illis fuerunt*, ut ostenderetur, electionem Episcopi per vim ac seditionem factam esse.

*ibid.* gestaverunt.

Id est, levaverunt, eulerunt in thronum Episcopi.

*ibid.* area Martyrum.

Aream plerique interpretantur Cœmeterium, auctoritate sumpta ex I. Tertull. ad Scapulam, ubi ait, sub Hilariano præside de areis sepulturarum acclamarum ab adversariis nostris fuisse: *Area non sint*, Verum in isto loco area MM. non potest intelligi de Cœmeterio, cum constet ædificium fuisse, in quo furens plebecula populum Dei, sive cives honoratas inclusit, ut libertatem haberet constituendi, quem vellet, Episcopum. Unde, cum Crescencianus Subdiac. interrogatus esset a Zenophilo, utrum præsens fuisset, cum Silvanus factus est Episcopus, respondit:

*Præfens cum populo fui, inclusus in casa majore. Jam ergo habemus, arcam MM. & casam majorem civitatis Cirtensis eandem rem fuisse.*

pag. 180. nullam dignitatem habeo.

Intellige civilem.

pag. 181. Campenses.

Intelliguntur, qui in campis & agris habitant.

pag. 182. cetera desunt.

Præter ultimam partem horum gestorum, quæ desideratur, lecta sunt apud Zonophilum Consularem gesta Concilii Cirtensis, ut docet Optatus l. i. *Hi & ceteri, quos Principes suos fuisse paullo post docebimus, post persecutionem apud Cirtam civitatem, quia Basilica necdum fuerant restituta, in domum Urbani Carisi confugerunt die III. Iduum Majorum, sicut scripta Nundinarii tunc Diaconi restantur.* Lapsus est, ut hoc obiter moneatur, in hujus loci interpretatione Albasp. persecutionem, quæ hic commemoratur, referens ad Maxentium, cum ex gestis Concilii Cirt. appareat, hic agi de persecutione Diocletiani, quod etiam manifeste colligitur ex August. Breviculo diei tertiæ, cap. 17. Porro gesta Concilii Cirtensis habentur apud August. Ex Balluzio.

## TENOR EPISTOLARUM MENSURII ET SECUNDI.

pag. 185. Ecbola.

Sic dicuntur ejectiones sive res, quarum nullus est usus.

## ACTA CONCILII CIRTENSIS.

pag. 186. Diocletiano VIII.

G sta hæc Cirtensis Concilii in exemplari, quod Carthaginensis Collat. tempore diligentius inspectum fuit, consignata erant anno post Consulatum Diocletiani novies & Maximiani octies, tertio Nonas Martias, id est: A. C. 305: ut testatur August. Brevic. Collat. diei 3. cap. 17. Apud Optatum l. i. idem Cirtensis confessus notatur habitus post persecutionem III. Iduum Majorum, ubi persecutionem non Maxen-

Maxentii, uti Albaspinæus voluit, sed *Codicum tradendorum* ex Augustino in fine capituli præcedentis intelliges. Cessavit hæc persecutio Consulatu Diocletiani IX. & Maximiani VIII.

*ibid.* in domo Urbani.

Optatus l. I. *Quia Basilica*, ait, *necdum fuerunt restituta, in domum Urbani Carisi Confederunt.*

*pag.* 187. a Limata.

Codex Corbej. optimæ notæ habet a *Limata*, in August. epist. 43. nonnulli Codices *Limiacensem* ferunt pro *Limatensem*.

*ibid.* Centurioni.

Habent Mscpta varia *Centurionis*. Optatus legebat lib. I. *Consulti sunt, qui remanserant, id est, Victor Garbimensis, Felix a Rotaria & Nabor a Centurion.*

## SUMMA ACTORUM CONCILII CARTHAG.

*pag.* 188. Collegæ Cæciliani.

Inter Cæciliani collegas ibi traditionis nomine commemoratos fuerunt Novellus Tyzicentis, & Faustinus Tuburbitanus, ex l. August. post. Collat. ad Donat. cap. 22.

## RELATIO ANULINI PROCONS.

*pag.* 194. A. G. G. G. N. N. N.

Has notas præferunt MSS. easque Gervasianus Codex ad marginem interpretatur *Augusto Constantino*. Cui interpretationi favet Henricus Valesius hac eadem relatione edita cum huiusmodi inscriptione: *Constantino Maximo Augusto Anulinus*. At in Carthagin. collat. 3, n. 216. inscribitur *Augustis nostris*, forsitan exscriptoris errore. Quippe Constantino III. Consule, id est A. C. 313. quo relatio illa scripta est, imperabant Augusti duo, Constantinus & Licinius, non tres, ut his notis subintelligendum videretur.

*ibid.* V. C.

Non *Vir clarissimus*, ut alias sæpe, sed *Vir Consularis* legendum.

*ibid.*

*ibid.* scripta.

Hæc refert Eusebius in Hist. Eccl. l. 10. c. 7. quibus videl. Imperator vult Clericos ab omnibus omnino publicis functionibus immunes conservari, ne errore aliquo, aut casu sacrilego a cultu summe Divinitati debito abstrahantur; sed potius absque ulla inquietudine propria legi deserviant. Verba sunt Constantini huic relationi illustrandæ necessario aduicta.

*ibid.* item alium sine sigillo.

Valesius aliique putant, hunc esse libellum supplicem, quem Episcopi partis Majorini ad Constantinum miserunt, petentes, ut ex Gallia sibi iudices daret, qui inter ipsos ac Cæcilianum ejusque collegas judicarent; cujus libelli exemplum refert Optatus l. 1. ejusque mentionem facit Augustinus epist. 43. n. 13. & 76. n. 2.

## EPISTOLA CONSTANTINI IMP.

*pag.* 195. & Marco.

Quisnam sit hic Marcus, quem cum Miltiade Romanæ urbis Episcopo jungit Constantinus, inter doctos ambigitur. Et Baronius quidem ad A. C. 313. cap. 23. mendosum esse existimat Eusebii textum, & pro verbis: *καὶ Μάρκῳ* scribendum esse *Ἰσααχῶν*. Sed cum hoc prædicatum addere Romano Episcopo superfluum videatur, ferri non potest hæc emendatio. Rectius videtur Marcus hic esse Presbyter Rom. Ecclesiæ, quem una cum Miltiade huic Synodo interesse voluit Constantinus: idem fortasse Marcus, qui post Sylvestrum Papam Episcopatum urbis Rom. gessit. Porro hæc epistola extabat in collat. 3. Carthag. c. 319. Verum postrema pene omnium utilissima hujus tertix collationis pars tota periit.

*ibid.* hujusmodi plures libelli,

Duo scilicet libelli crimina Cæciliani Carthag. Episcopi continententes, quos subscriptos Anulino Proconsuli tradidit pars Majorini XVII. Kal. Maji. Carthagine, Constantino Augusto III. & Licinio III. Coss. ut refert Augustinus, epist. 68. Hos libellos *χαρτας* vocat Augustinus, eo quod plures chartas continerent, & acta quam plurima ad probationem criminum Cæciliani,

## EPISTOLA CONSTANTINI IMP.

ag. 200. secundi ordinis.

Presbyteros intelligit, qui secundi ordinis sacerdotes vulgo dicebantur, ut ex Optato & Facundo Hermian. aliisque scriptoribus liquet; unde fallitur Christophorus, qui *secundæ sedis Episcopus* interpretatur, quem fere securus est Sirmondus tomo I, Conciliorum Galliarum.

## EPISTOLA CONSTANTINI IMP. AD PROBIANUM PROCONS.

ag. 206. Saturninum Excuratorem.

Hic ille est Calidius, sive Claudius Saturianus, ut legitur apud Optatum l. 1. qui Curator civitatis Aptungensis fuerat tempore persecutionis tradendorum Codicum, id est, Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Cons. A. C. 303. isque idcirco in iudicium inductus est, ut ex ejus fide, & ex gestis municipalibus apud ipsum olim confectis investigaretur, utrum Felix Episcopus Cæciliani ordinator prodidisset Ss. Codices. Eandem ob causam vocati sunt Superius Centurio, quia nimirum militibus & Centurione utebantur Magistratus, cum scripturas a Christianis vi extorquerent, & Alius Cæcilianus, quod ejusdem persecutionis tempore Magistratum, sive Duumviratum municipii Aptungensis gessisset, quodque examinanda esset ipsius ad Felicem epistola. Calidius vero junior, qui apud Optatum Galidius Gratianus appellatur, quia Curator erat ejus anni, scilicet 314, quo agebatur questio de Felice, accitus est, forte, ut acta municipalia superioris temporis Magistratum proferret.

*bid.* Ingentium.

Conset Baronius hanc epistolam ad Probianum scriptam esse ante Arelat. concilium anni 314. & Ingentium concilio huic exhibitum dicit. Contra Henr. Valesius affirmat, datam epistolam Consulatu Constantini & Licinii IV. id est, A. 315. quo Petronium Probianum Proconsulem Africæ fuisse constat, cum ex Codice Theodosi in tit. de Appellatum ex eo, quod Ælianus, qui ejus Prædecessor hic dicitur, Proconsulatum Africæ sustinuerit Consulatu Volusiani & Aniani, id est, A. 314. At quo mense Proconsulatum adie-

adierit Probianus, & utrum non ante instium a. 315. minime ostendit Valeſius. Porro extat Constantini Conſtitutio ad *Probum* data 1 Aprilis A. 314, ubi Gothofredus conjicit, legendum ad *Probianum*.

## DONATISTÆ CUJUSDAM SERMO.

pag. 218. Sermo de Vexatione Donatistarum &c.

Habitus est IV. Idus Martii in ſolemni & anniverſaria commemoratione quorundam Donatistarum, qui apud ſuos pro Martyribus habebantur. Inſcribitur in Mſcripto: *De paſſione SS. Donati & Advocati*, At in ipſo Sermone neutrius nomen habetur. Fit tantum ibi mentio *Honorati Episcopi Scilibenſis* aut potius *Sicilibenſis* in provincia Proconſulari, qui ex Abvoçatenti oppido Carthaginem venerat. Unde non *Donati* neque *Advocati*, ſed *Honorati* potius Paſſio dici deberet. Deſcribitur autem illic militaris executio adverſus aliquot Donatiſtas Carthagine geſta, in qua erepta eſt eis Baſilica. De tempore nihil conſtat, niſi quod dicitur ibi: *Cæciliano Eudinepiſo tunc inſtante, res geſta, aſſentiente Leontio, Duce Urfatio, Marcellino tunc Tribuno*. Cæcilianus Eudinepiſus non alius eſt a Carthaginenſi Episcopo. Nam & poſtea perſecutio iſta vocatur Cæcillianenſis, erectique dicuntur in memoriam Martyrum tituli, *ne alios quandoque poſtmodum Episcopatus nomine geſta rei expertes deceperit parricida*. Quibus verbis Cæcilianum Carthaginenſem designari perſpicuum eſt. Cum ergo iſ Sardicenſis Concilii tempore, hoc eſt A. 347. e vivis ſublatus fuerit, & Gratus ejus ſucceſſor huic Concilio interfuerit, neceſſe eſt, ea, quæ hic narrantur, ante hunc annum contigſſe. Leontii & Urfatii velut operationum unitatis in Donatiſtas ſævientium non uno in loco fit mentio. Apud Optatum l. III. §. 1. pag. 46 *Ab Operariis Unitatis* &c. & eodem in libro § 10. pag. 66. *Diſplicent vobis tempora* &c. Creſconius apud Auguſt. dicit, Silvanum Cirtenſem communicare noluiſſe Urfatio & Zenophilo perſequentibus, & ideo actum eſſe in exilium. Petilianus quoque Donatiſta commemorans eos comites, qui Donatiſtis inſenſi fuerant, Urfatium inter eos commemorat. In actis collat. Carthag. diei tertie cap. 258. refertur epiſtola Januariani aliorumque Episcoporum Donatistarum, in qua perſecutores Donatistarum ita enumerantur:

cur: Nam ut omittamus, quantus sanguis Christianus effusus sit per Leonzium, Urfatium, Macarium, Paulum, Taurinum, Romanum ceterosque executores, quos in sanctorum necem a Principibus seculi meruerunt; quando plurimi venerabiles sacerdotes occisi, alii in exilium relegati, Christianitas late vexata, sacra stuprata Virginitas, proscripti divites, spoliati pauperes, ablata Basilica, atque acti in fugam profugi sacerdotes, quibus confimiles sunt ex calumniæ, quæ in præsentis recitantur instrumento. De Marcellino Tribuno in Africa nihil habemus: nam is profecto diversus est ab eo, qui collationi Carthag. præfuit. Constat enim hæc contigisse Constantis Imp. tempore, etiam antequam Paulus & Macarius in Africam mitterentur. Quippe in omnibus locis modo citatis Leontius & Urfatius Macario & Paulo ac Taurino præmittuntur; & aperte Optatus Urfatium aliis priorem fuisse ostendit. Leontium verò, qui semper Macario præponitur, ejusdem ætatis cum Urfatio fuisse constat ex præsentis instrumento, in quo eodem tempore Leontius comes, & Urfatius dux fuisse perhibentur. Urfatium autem jam a temporibus Silvani Cirtensis & Zenophili pro Catholica pugnasse constat. Qui Zenophilus A. 320. de causa Silvani cognovit, ut constat ex actis supra relatis. Videntur itaque, quæ hic referuntur, contigisse circa A. 340. aut paulo post certe, antequam Macarius mitteretur in Africam circa A. 348. Donatus autem ille, cujus fit mentio in titulo, videtur esse idem cum Donato Bagajensi, qui cum Marculo passus est; de quo Optatus l. III. §. 6. pag. 59. cujus etiam mentio fit in martyrologio Usuardi ad diem I. Martii, ubi dicitur passus sub Urfatio Duce & Marcellino Tribuno, quod cum actis nostris concinit. Sed Donatus ille ex August. Homil. XI. in Joan. in puteum missus dicitur, quod nulli e Martyribus, cujus hic fit mentio, convenire potest, cum omnes in Basilica a militibus cæsi fuerint. Ergo alienus est ritulus ab ipso sermone.

ag. 219. subdolæ fraudes & blandæ deceptionis insidiæ.

Eratetur ergo hic scriptor, persecutionem in Donatistas non fuisse similem persecutioni Ethnicorum in Christianos. Hujus facta manifesta esse dicit, illius vero obscura, & minus nota. De utriusque discrimine lege Optatum l. III. §. 8.

bid. Eudinepiso.

Videtur istud fuisse Cæciliani cognomen.

bid.



*ibid.* aperta persecutione. †

Ethnicorum scilicet in Christianos.

pag. 220. tenere lapsos illicite Ecclesiasticos honores.

Donatistæ discesserant ab Ecclesia sub hoc obtentu, quod Catholicis traditionis & idololatriæ reos ad Episcopatum pro-  
vexissent, aut in Episcopatu reliquissent.

*ibid.* unitas igitur fiat.

Hinc dicebantur operarii unitatis Leontius, Ursarius, Paulus & Macarius, quia Donatistas invitos ad unitatem Ecclesie compellebant.

*ibid.* catholicam vocans.

Diffiteri non potest scriptor ille, quin Catholica diceretur Ecclesia, quæ Cæciliano communicabat.

*ibid.* mittit pecunias.

Imperator Constans non miserat primus Paulum & Macarium ad faciendam unitatem, sed cum elemosynis, ut testatur Optatus l. III. § 3. Idem de Leontio & Ursario testatur hujus scripti auctor.

pag. 223. Honoratum.

Nomen est proprium Episcopi satis commune apud Afros. Male ergo inscribuntur hæc acta: *Donati & Advocati Passio*, cum potius dici deberent *Honorati Sicilibensis Episcopi*. Dupin. sed quid si *Honoratum* hic adjectivè sumendum, *jugulum* appellet, sicut mox: quam *gloriosus antistes* dicitur?

*ibid.* Scilibensis.

Legendum *Sicilibensis*. In Concilio Carth. sub S. Cypriano sententiam dixit *Satius a Siciliba*. Concilio Carthag. A. 419. adest *Prætextatus Sicilibensis* unus ex Episcopis Provinciæ Proconsularis. Et Collat. Carth. interfuit Episcopus *Sicilibensis* Quadratianus nomine. Nota urbs ex Itinerario Antonini, ubi dicitur *Sicilbra*: apud Anonymum Ravennatem *Siciliba*. Hæc sita erat in Provincia Procons. & utrumque Tuburbum oblique respiciebat a majori M. passuum 18 distans.

*ibid.* titulationibus.

De hujusmodi titulis sepulchrorum Martyrum jam supra ad l. III. §. 4. ad verba: *per dealbatas aras*.

*ibid.* anniversalis dies religiosa.

Festum agebant diem Donatistæ in commemorationem eorum, qui interfecti, aut male mulctati fuerant in illa occasione.

## Pag. 224. memoratus Episcopus.

Honoratus scilicet Episcopus Sicilib. Quod autem dicitur advenisse Carthaginem ex *Abvocatensi oppido*, intelligendum non de urbe, cujus erat Episcopus: nam nulla est urbs hujus nominis Episcopalis in Africa, sed de aliquo oppido vicino, unde Carthaginem profectus fuerat.

## Pag. 225. ubi impune committitur &amp;c.

Sarcasmus est, & lusus in voce *Catholicæ*, quæ rem universalem significat. Ecclesia dicitur Catholica, quia universalis. At Catholica Ecclesiæ illudens scriptor iste alio vocem istam torquet, ut dicatur Catholica, quia impune illic committitur, quod jure publico & communi damnatur. Allusio sane frigida, & ridicula! Ex Dupin.

## PASSIO MARCULI.

## Pag. 226. incipit Passio &amp;c.

Ut suos Ecclesia Catholica Martyres, sic Donatistæ & suos se habere gloriabantur. Hos inter inligniores fuerunt Donatus Bagajensis Episcopus, & Marcus Presbyter, quem a Macarianis sive Traditoribus, ut Catholicos appellabant, ex abrupti montis superoillio actum in præceps, necatumque jactabant. Res ita se habet: Constans Imp. super deploratissimo Africanæ Ecclesiæ statu a Grato Carthaginensi Episcopo pulsatus, Paulum & Macarium primitus non ad faciendam unitatem misit, teste Optato l. III. sed cum elemosynis, quibus sublevata per Ecclesias singulas posset respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas. Hi duo, dum munere suo egregie fungerentur, & pauperes ubique dispungerent, & ad unitatem singulos hortarentur, restitere imprimis Donati duo, alter Carthaginensis, Bagajensis alter, Donatistarum factionis Antistites. Et ille quidem ipsi Imperatori Contumelias ingessit: hic *Agonisticos*, quos vocabat, sive Circumcelliones adversus Paulum & Macarium armavit. Legati vero a Taurino comite militem armatum, qui eorum furorem comprimeret, impetrarunt. Occisi plurimi, detruncati multi, quos pro Martyribus Donatistæ habuerunt. Ex his unus est Marcus, de quo Dativus Episcopus Novapetrænsis Donatista in Collat. Carthag. cap. 188: *Adversarium non habeo, inquit, quia illic est Dominus Marcus, cujus sanguinem Deus exigit.*

*exiget in die iudicii.* Catholici apud Augustinum sub finem tract. II. in Joannem negant Marculum a se præcipitatum, sed se ipsum præcipitem egisse dicunt. Optatus l. III. id ipsum significare videtur his verbis: *sic invenit Donatus Bagajensis, unde contra Macarium furiosam conduceret turbam. Ex ipso genere fuerunt, qui sibi percussores sub cupiditate falsi Martyrii in suam perniciem conducebant. Inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas projicientes se præcipientes dabant.* Quibus verbis Marculum indicare videtur Optatus. Attamen in consequentibus idem Auctor non inficiatur, Marculum & Donatum a militibus Macarianis occisos. Denique idem Martyris titulum prædictis abrogat, quod *Christianorum nullum senserint bellum, quod non amaverint pacem, in qua prima sunt fundamenta Martyrii,* quod nullam habuerint Charitatem, sine qua inane est Martyrium. Marculi acta legerat Rabanus, qui Martyrologio suo eum adscribit ad diem VII. Kal. Decemb. cum horum actorum brevi compendio. Variat dies in MSS. S. Gallensis habet III. Kal. Laudunensis VIII. Kal. ejusdem mensis. Annum 348. his Macarianis turbis Baronius assignat. In additionibus Molani ad Usuardum ex noto Bedæ Martyrologio, fit mentio de quodam Marculo ad V. Kal. Decembr. his verbis: *In Nicomedia B. Marculi Sacerdotis & Martyris, qui temporibus Constantis tyranni persecutiones maximas pertulit, ad extremum ab alta rupe præcipitatus est.* Idem auctor in appendice Utuardi secundo editi suspicatur, hunc esse Marculum Pseudomartyrem Donatistam, Baronius id negat in notis ad Martyrologium Rom., in quo ad eundem diem hæc leguntur: *Nicomedia S. Marcelli Presbyteri, qui Constantii tempore ab Arianis e rupe præcipitatus Martyr occubuit.* Est qui opinatur pro Nicomedia, legendum: *in Numidia;* dein Marculi nomen retinendum, & pro: *ab Arianis* scribendum: *a Macarianis,* quod verosimillimum est. Attamen in additionibus ad Bedæ Martyrologium apud Bollandi socios fit mentio non semel de Marcello Martyre in Nicomedia ad V. Kal. Decemb. Verisimile est, Marcellum quendam Nicomedia passum esse. Sed cum Marculum Donatistam eodem fere die necatum quidam legerent, eundem cum Marcello esse putaverunt; adeoque Marculi genus mortis Marcello tribuerunt.

*ibid.* fulgentem.

Legunt alii melius: *fulgentis*.

*ibid.* indigna.

Habetur in Cod. Corbej. *indiga*.

pag. 228. fustium ictibus.

Legunt alii *funium* infra tamen reddit: *fustium*.

pag. 234. immunia cunctis &c.

Habetur in Cod. Corbej. *immunita*.

Ex Mabillonio.

### PASSIO MAXIMIANI &c.

pag. 237. incipit passio.

Hujus auctor Macrobius Donatista & suorum in Urbe Roma occultus Episcopus, de quo Gennadius l. de script. Eccl. cap. 5. Cresconius objicebat Catholicis tres alios præter Marculum a Macarianis occisos. Illi sunt præcul dubio duo isti Martyres Maximianus & Isaac, cui tertius adjungendus est Donatus. Verba Augustini sunt, l. III. contra Crescon. c. 49. *De aliis autem tribus, quorum mortes pariter objecisti, quid vel quomodo factum ab eis quos nosse existimo, fateor, non quaesivi.* Tres istos objecerat Cresconius, quoniam eorum passionis acta circumferebantur. Scripserat autem Macrobius hanc epistolam ad plebem Carthaginis, ut ex fine hujus instrumenti constat.

pag. 238. siluerat hic apud Garthaginem.

Opratus etiam l. III. §. 4. observat, in Provincia Proconsulari neminem armatum esse visum.

pag. 241. supremi cruciatus examen, cui cum triumpho mittit &c.

Legitur in Codice Corbej. *examine, qui mitteretur &c.*

*ibid.* salvate vestrae unitatis.

Legitur in Cod. Corbej. *faciatis vestrae crudelitatis.*

pag. 246. dimiserunt.

Legitur *ibid.* *demiserunt.*

*ibid.* cominus inhiabat.

Legitur *ibid.* *communis inibat.*

## VALENTINIANI SEN. IN REBAPTIZANTES CONSTITUTIO.

pag. 251. Impp. Valentinianus &c.

Valentinianus Senior Treveris in Gallia constitutus procul dubio etiam Gallicanorum Episcoporum consilio, vel ad relationem ad se ex Africa factam hac lege Sacerdotem, sive Episcopum rebaptizantem Sacerdotio suo, sive Episcopatu per Africam Proconsularem indignum esse pronuntiat, A. D. 373, & procul dubio ea re privari eum oportere jubet; per Africam, inquam, Proconsularem, cujus Proconsuli hæc lex inscribitur. Unde haud inanis conjecturâ, spectare ad Donatistas pariter ut ad eosdem pertinent quatuor sequentes, ut & duæ aliæ, puta Lex. 5. & 38. supr. de hæret. Et vero spectare ad Donatistas qui recentissime Firmo tyranno faverant in Africa, testatur August. epist. 164. Quæque procul dubio toleravit Valentinianus, data sua *ἁποδοθησκίας* cuique licentia, anabaptismo tantum in his damnato, sub pœna Sacerdotii privationis; neque enim ultra progreditur Valentinianus. De hac ipsa porro lege Optatum circa initium l. V. sensisse putat Bald. In quo largiter fallitur: nam, quod & ipse alibi recte tradit, Optatum ante hunc annum 373 scripsisse certum est. Et sane scripsit is, quod aperte Optatus ipse profitetur, sexagesimo, & quod excurrit anno post persecutionem Diocletianeam, i. e. circa a. 367. Illud equidem verum, hanc legem esse de numero quæ a Valentiniano in Rebaptizantes scriptæ fuerunt, quarum meminit Gratianus quoque leg. 2. prox. & quid in Donatistas *ἑστως*, ut Augustinus testatur epist. 166. ad Donatistas. *Huic, (Joviano) inquit, successit Valentinianus. Legite, quæ contra vos jusserit.* Ergo Optati locus accipiendus est de aliis Valentiniani legibus, si quæ ante hanc in Donatistas latae sunt, Constantini item & Constantii, vel potius Constantis. Notabilia duo in hac lege, hæc occurrunt. Primum est, quod ait: *contra Instituta omnia*, quæ mox ad Constitutionem Gratiani latius explicata reperies. Alterum est, quod Baptismum vocat *gratiam* & *divinam gratiam*, quomodo & *gratia communionis* vocatur in l. 5. de apost. Gratianus pariter *audientibus, si qui fuerunt periculo præventi, etsi in exitu constituti, vigilantia vestra non desit implorantibus divinam gratiam, misericordia Domini non denegetur.* Qui locus omnino componendus est cum l. 1. de Scenicis.

Gre.

Græcis quoque ut Eucharistia, ita & Baptismus *χαρις* dicta. Ceterum quæ hac lege, omnibusque aliis hujus tituli constitutionibus in Rebaptizantes constituuntur, accipienda non indefinite, sed de Hæreticorum tantum Anabaptismo, qui illicita usurpatione; collatum semel recte baptismum in Ecclesia Catholica; Catholicæ Ecclesiæ odio iterabant, quod clare ex sequentibus legibus colligitur. Alioquin enim & ipsi Catholici Baptisma quandoque rescindebant, sive quosdam Hæreticorum rebaptizabant. *Gotthofredus.*

### IMP. GRATIANI CONSTITUTIO.

*bid.* Gratiani.

Hæc lex est Imp. Gratiani, ut ex inscriptione patet; data est enim ad Flavianum Vicarium Africæ, quæ utique Africa Gratiano parebat. Quare vitium erat in subscriptione *data C. P.* id est, Constantinopoli: Nam & Gratianus hoc anno versatus est in Gallia, & Treveris quidem vel Moguntiaci. Ut proinde minus dubitem hanc legem scriptam in Gallia ex Consilio, & dictatu Episcoporum Gallicorum: & certe, assurgere eam palam est Gallicano Coahuano. Ergo Gratianus hæc lege Rebaptizantium per Africam errorem, cœtusque damnat: variis tum rationum momentis, tum & sanctionibus, rationum inquam theologicarum, & ecclesiasticarum. Quarum prima est a Baptismatis, quod unum esse debet, neque repeti oportet, natura. Altera est petita ab auctoritate Evangelii, Apostolorum, traditionis incorruptæ, anteriorum tandem Principum præjudiciis, & Constitutionibus. Tria autem adversus Donatistas hujus legis sententia statuuntur. Primum abstinere erroribus suis, Vicarii Africæ jubentur; id est eorum cœtus inhibere his jubetur. Quod mirum: Flavianus enim hic Vicarius Africæ, partis Donatistarum erat, quod Augustinus epist. 164. ostendit, ubi Donatistas sic inducit loquentes: tum & eis respondet. *At enim & malos Christianis non licet persequi? Esto, respondet Augustinus, non liceat: sed nunquid hoc potestatibus ad hoc ipsum ordinatis, fas est objicere? An apostolum delebimus? Sed vos inquit, talibus communicare non debetis? Quid ergo?* respondet Augustinus, *vos Flaviano quondam Vicario partis vestre homini, quia legibus serviens nocentes quos invenerat, occidebat.*

*debat, non communicastis?* Et sane l. 4. de Hæret. idem Gratianus (a. 378 existimo) cœtus hæreticos dissimulatione Judicum agitari permittos testatur. Et vero ea lex — addatur & lex 5. Cod. — huic firmandæ lata videtur & utroque anterior aliqua lex antiquior adversus cœtus Hæret. confirmatur. Secundo Ecclesias, quas adhuc nonnullas retinebant Donatistæ, Ecclesiæ Catholicæ restituere jubentur. Tertio loca, in quibus coierint, confiscari jubentur. Ubi notandum, ad id delegisse eos magnas domos, sive fundos. De hac Confiscatione Augustinus l. 1. contra litt. Petil. Tandem sibi quisque noctura quod sentit, sentire monetur, sibi que solis favere *viras* (in loco *viros* legendum) impiæ disciplinæ. Quod omnino congruit sententiæ simul & verbis l. 5. de Hæret. quæ biennio ferme post hanc legem data est. Et hæc quidem omnia Donatistas respiciunt. Neque enim audiendus Baronius, qui posteriorem hujus legis partem ad Manichæos spectare existimat. Nam tota legis series contrarium ostendit. Denique duo Donatistarum genera hic constituntur: unum eorum, qui Ecclesias adhuc quasdam contra fidem retinebant: alterum eorum, qui de Ecclesiis licet expulsi, occulto tamen furore grassabantur, loca magnarum domorum, sive fundorum illicite frequentantes,

pag. 252. traditio incorrupta.

Qua se jam olim ruitus hac in re ipsa adversus Anabaptismum Stephanus P. Anabaptismum omnem damnans, adversus Cyprianum, Firmilianum, & Africæ Concilia, ut testatur ipse Cyprianus epist. ad Pompej. Sabracensem & Eusebius H. E. l. 7. c. 1. Augustinus quoque l. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 23. Vincentius tandem Lirin. commonit. c. 9. Et Cyprianus tamen illud in Stephano reprehendebat, quod scripturis, quibus suam niti docerent PP. Africani, obduceret & opponeret traditionem, atque adeo traditionis nomine pravam vendicaret consuetudinem, quæ non esset ab Apostolis, sed postea irrepisset. Sed traditioni quam Stephanus allegabat, obsecuta est omnis posthac Ecclesia: eam ipsam plures PP. ex Apostolorum ævo derivarunt, vocaruntque *apostolicam fidem*. Augustinus vero, etsi traditionem & consuetudinem urgeat, tamen ne videretur humanis tantum argumentis agere, ex Evangelio documenta & testimonia protulit. Contra Donat. l. I. II. c. 14. IV. c. 7. V. c. 4. &c.

*ibid.*

*bid.* sicut & lege divali.

Provocat Imperator etiam hæc lege ad superiorum Principum Constitutiones, Constantini M. Constantii (malim Constantis, cui & Africa cesserat, non Constantii, qui etiam hæretica labe adspersus erat,) itemque Valentiniani.

*bid.* dudum ad Nitentium.

Quale hoc sit præceptum, nondum comperio. Crediderim anteriorem ipsiusmet Gratiani Constitutionem hic indicari: & quidem emissam ad *Nitentium Tribunalis & Notarium*, (cujus mentio apud Ambrosium epist. 64.) extra ordinem in Africam missum cum mandatis sive præcepto ad cohibendos Hæreticorum cœtus: ut ceteroquin Tribuni & Notarii ab Impp. cum mandatis & præceptis missi etiam in negotio religionis. *Ex Gothofredo.*

## DECRETUM HIPPONENSIS CONCILII.

*bid.* in præcedentibus Conciliis.

Vetus Ecclesiæ Africanæ disciplina hæc fuit, ut hæretici & schismatici in Clero constituti ad Ecclesiam redeuntes, sive prius in Catholica ordinati vel apud Hæreticos aut schismaticos promoti ea conditione susciperentur, ut communicarent tantum ut Laici & satis haberent, quod admitterentur ad pacem; nullam autem ordinationis & honoris prærogativam retinerent. Ita Cypr. epist. 72. Eandem legem primum in Rom. Ecclesia viguisse constat ex Innocent. I. epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ. Idem statutum legitur in Concilio Eliber. can. 51. Attamen mitius actum est aliquando cum Schismaticis, ut in Concilio Nicæno cum Novatianis, quos in Clero manere synodus permisit; & cum Meletianis, quos etiam ulterius provehi non vetavit. Idem Donatistis initio schismatis indultum. Nam ut observat Augustinus epist. 43. Miltiades Donato solo expulso paratus fuit Communicatorias mittere ceteris, qui a Majorino ordinati fuerant, eosque pro Episcopis habere: ita, ut in iis locis, ubi duo essent Episcopi, quos dissentio geminasset, eum confirmari veller, qui foret ordinatus prior. In Concilio Arelat. nihil novi circa hoc statutum, quanquam hujus synodi P. optassent, ut severior in Donatistas sententia proferretur, quemadmodum ex eorum ad Miltiadem ver-



bis intelligere est. At subsequētib; in Conciliis Africanis vetitum fuisse, nequis Donatistarum cum honore suo susciperetur, diserte hic asseritur in Concilio Carthag. anno 401. In hoc Hipponensi anni 393. proponitur hujus severitatis relaxatio, in gratiam eorum tantum, *quos aut non rebaptizasse constiterit, aut qui cum suis plebibus ad communionem catholicam transire voluerint.* Sed antequam quidquam statueretur, transmarinam Ecclesiam consulti placuit. In Concilio Carthag. A. 397. mandatum est, ut consulerentur Præsules Romanus, & Mediolanensis, utrum infantes baptizati a Donatistis ad Clerum promoveri possent. Iterum in Concilio Carthag. A. 401. missa legatio ad eosdem Antistites, ut liceret Clericos Donatistarum in ordinibus suis suscipere. Tandem in Concilio universali Africæ ejusdem anni pro bono pacis & ob inopiam Clericorum, potestas facta est omnibus Episcopis Catholicis, Donatistarum Clericos suscipiendū cum ordinibus suis. *du Pis.*

## LEX HONORII DE RESCRIPTO &c.

pag. 265. Imp. Arcadius & Honorius.

Undecim in universum de Donatistis Honorii Constitutiones hoc titulo Cod. Theod. de Hæret. numeramus; ex quibus discimus, quæ Honorii mens, quod odium in Donatistas fuerit. Nempe hæc illa Honorii tempora sunt, per quæ Donatistæ potissimum desæviere: & quidem Circumcelliones in Africa, quæ Donatistarum nutricula erat. Donatistis per omnium ora traducendis, desperatæque & fucatæ eorum perfidiæ publicandæ: contra, Catholicorum confidentiæ & stabilitæ constantiæ efferendæ Honorius Imp. hac constitutione, quæ data est A. 400. Rescriptum, quod a Juliano Apost. ante 40 ferme annos impetraverunt, proposito programme, celeberrimis in Civitatum locis *referri*, id est proponi ab Hadriano PP. simul *et gesta*, quibus hujusmodi allegatio, sive Rescriptum insertum fuerat, subnecti jubet. Hæc aperta est hujusce legis sententia, quæ nullam juris Constitutionem continet, sed Donatistarum tantum odium præfert.

*ibid.* Rescriptum.

Donatistæ ante Julianum Imp. a Constante Imp. repressi, puls.

sis eorum Ducibus, Principibus & Basilicis eis ereptis, Juliano Apost. ad Imperium evecto, legationem sive Legatos, & in his Pontium, ad eum destinarunt, restitui se, sibi que Basilicas a Constante ereptas reddi, precibus petituros: qui utique adulationis plenissimi, Julianum adorti, dicentes: *Quod apud eum solum justitia locum haberet, quæ hic fucata perfidia dicitur.* Id quod a Juliano facile impetravere eo Rescripto, cujus hæc lege mentio fit. Cujus tum libelli, tum Rescripti meminere Optatus l. II. Chrysoft. l. I. c. *gentes* August. contra litt. Periliani l. II. c. 92. & 96. Epist. ad Vincent. 48. & ad Donatist. 166. Nempe eo Consilio, ut ita Christianos inter se committeret, cui pax & unitas Christiana nimium displicebat; quem Juliani animum ut in genere Ammianus Marcell. lib. 22. describit, ita Chrysoftomus l. I. *contra gentes* & Optatus l. II. & August. l. I. c. Parmen. & Epist. 166. hæc in re nominatim tradit. Porro hujus Rescripti quædam inter cetera & ad locum refert August. l. II. contra litt. Petil. c. 97. *Quod Julianus inquit, constituit, dicens; Hoc quoque supplicantibus Rogatiano, Pontio, Cassiano & ceteris Episcopis, sed & Clericis, accedit ad cumulum, ut abolitis, quæ adversus eos sine Rescripto perperam gesta sunt in antiquum statum cuncta revocentur.*

*bid.* gesta.

Per gesta primum hic accipienda videntur acta a Legatis, sive allegationes Donatistarum apud Julianum, & sic supplicatio, sive preces ipsæ, quibus in scripta redactis, Rescriptum deinceps insertum. Quo sensu hoc codice non una lex ex parte Actorum apud Principem, sive in Consistorio ejus exhibetur. Secundo hic accipienda gesta Judicum Africæ; ubi Donatistæ una cum Rescripto a Juliano impetrato, preces Juliano oblatas allegarunt, insinuarunt. Vid. Optatus l. I. I. August. l. I. contra Parm. c. 7. in fine. Contra lit. Petil. l. II. Nempe Rescripta Principum, qui impetraverant, ea Judicibus & Judicum gestis allegabant, ut ex variis in Cod. Theod. legibus liquet. Et ita quidem Rescripta gestis allegabantur, ut simul etiam preces, ad quas Rescriptum emanaverat, allegarentur sive intimarentur, quod & hic factum a Donatistis. Qua causa Honorius gestorum publicationem imperat; nam nonnisi ex his fucata Donatistarum perfidia innotescere potuit: vice versa Catholicæ Ecclesiæ stabilita confidentia. Nempe quod Donatistæ, at non & Catholici adulatione fucata & perfidi-

da Juliano obrepserant, atque omne illud, quod ab eo impetraverant, malis artibus impetraverant. Putat haud absurde Baronius Donatistarum, & nominatim Petilianum Donatistæ, epistolam sive invektivam in Catholicos huic constitutioni occasionem dedisse: quæ, ut docet August. pluribus locis, exprobravit Catholicis, quod a Principibus adversus se sæpe expetissent auxilium: atque inter cetera hæc in eam sententiam dixerat: *Quid autem vobis est cum . . . sæculi, quos nunquam Christianitas, nisi invidios sensit &c.* Has scilicet invektivas ad aures Honorii pervenisse per Legatos Africanos A. 399. vel ipsum Possidium Calamensem Episcopum: Honorium his commotum, in eorum Donatistarum opprobrium, procaciam eorum efferri voluisse, qua ipsosmet a Juliano Imp. Apost. Rescriptum sive auxilium, impetrasse innotesceret. Fortassis & illud putet quis Donatistas de legibus ab Honorio Imp. adversus se latis querentes, Juliani factum jactasse exprobrandi animo, quasi minus æquitatis & juris Christiani ipsi a Christiano Principe ferrent, quam a gentili Imp. olim tulerant, Christiani alioquin nominis osore. Quare visum Honorio, Rescriptum Juliani cum precibus Donatistarum publice omnibus proponi, ut ita sciretur, quam bonis, imo fucatis artibus id Donatistæ impetrassent, imo quam desperata & fucata perfidia eorum fuerit. Quam interpretationem juvare videtur quod Augustinus scribit tum passim, tum l. 1. adv. Parmenianum cap. 7. Contra quam aliis longe artibus, puta Catholica confidentia, Catholicorum constantia stabilita fuerit, quos ut a veritate, ita & sinceritate nihil dimovere unquam voluerit; quod sane ex Juliani temporum historia liquet. Quidquid hujus sit, ut omittam, quod Augustinus testatur de Actis Collat. Carthag. quæ in Ecclesiis Africanis publice Quadragesimæ tempore recitari mos fuit, l. *de gestis cum Emeriso*: ut omittam, quod idem Honorius l. 55. voluit eadem gesta in publica monumenta relata, etiam mortuo cœgnitore Marcellino, perpetem habere firmitatem. Simili certe postea exemplo A. D. 412. & Marcellinus acta de sceleribus Donatistarum post Collat. Carthag. publice proponi voluit in Theopropria, quo frequens, ut videtur, multitudo confluebat, velut locum Carthagine celeberrimum, eademque Augustinus per Ecclesiam recitari desideravit. *Gosbofredus.*

## CONCILII MILEVITANI DECRETUM.

pag. 271. Ut & ipse ab Episcopatu discedat.

Maximianus Bagaj. Episcopus ex Donatistarum schismate ad Ecclesiam Catholicam conversus, cum pacifice a populo haud reciperetur, bono pacis consulens, ipse Episcopatu cedendum existimavit, deque ea re litteras ad synodum misit, quibus annuentes Milevitani PP. spontaneam illius abdicationem admiserunt, atque in ejus locum alium, Castorium fratrem ipsius subrogarunt, ad quem extat epistola Augustini & Alipii 238., quæ laudes continet abdicantis se Maximiani his verbis: *Longe est gloriosus Episcopatus sarcina: propter Ecclesie vitanda pericula deposuisse, quam propter regenda gubernacula suscepisse. Ille quippe se honorem, si pacis ratio pateretur digne accipere potuisse demonstrat, qui acceptum non defendit indigne. Voluit ergo Deus etiam per fratrem tuum, filium nostrum Maximianum ostendere inimicis Ecclesie, esse in visceribus Christi ejus, qui non sua querant, sed que Jesu Christi. Neque enim illud ministerium dispensationis mysteriorum, devictus aliqua seculari cupiditate deseruit, sed pacifica permotus pietate deposuit, ne propter ejus honorem fœda, & periculosa, aut fortasse etiam perniciofa in membris Christi dissensio nasceretur . . . Te vero fili charissime, qui nulla tali necessitate a suscipiendo Episcopatu impediris, obsecramus, ut in Episcopatu Bajagensis Ecclesie, fratri tuo non ingeminose cadenti vel gloriose cedenti succedas.*

## CARTHAGINENSIS CONCILII DECRETUM

## DE CONVENIENDIS DONATISTIS.

pag. 272. amplissimæ sedis.

Baronius ad a. 403. intelligit *Apostolicam sedem urbis Romæ*, & censet *missas ab ipsa litteras hic recitandas peti, quibus, quæ ab ea fuerunt impetrata, nota fiant.* Agitur profecto isthic de ipsa, quæ ejusdem Concilii Carthag. precibus petita mox fuit, & impetrata a Septimio Procons, Sive a Vicariæ Præfecturæ sede, consuecendorum gestorum facultas. Unde dicitur: *Recitata autem jussione illius videlicet amplissimæ sedis, qua jussione Magistratibus præcipiebatur, ut Catholicis Episcopis fieret potestas*

conveniendi Donatistas per Codices publicos. Hæc & *illustrissima sedes*, & *sedes illustrium potestatum* vocatur in Collat. Carthag. 3. c. 167. & 170. *du Fin.*

## HONORII LEGES IN REBAPTIZANTES.

pag. 277. Nemo Manichæum.

Donatistas hac lege junguntur *Manichæi*: de quibus tamen nulla mentio fit iis sive Patrum, sive privatorum, quæ ad Honorium perlata sunt, querelis, quæque huic edicto occasionem præbuerunt. Attamen non inani conjectura duor, ab Augustino impetratum hoc, qui superioribus pariter Coss. disputationem habuit cum Felice Manichæo, quem ad fidem Catholicam convertit. Vide August. *contra Manich.* l. II. in fine. Sed & ipse Honorius ipsemet initio legis indicat nempe hæc duo hæreticorum genera Africam tum turbasse: quod etiam ex aliis hujus tituli legibus constat.

*ibid.* una fit Catholica.

Manichæorum & Donatistarum spiritus, furor, & error, cætusque seditio sic ab Honorio Imp. hoc Edicto a. 405. retunduntur: firmatis anterioribus in eos constitutis, suaque lege nuper lata pœnis severissimis propositis, atque ad unitatem omnibus invitatis. Nempe hoc unitatis edictum est Honorii Imp. per Africam missum, cujus ipse mentionem facit l. 2. de Relig. proximo sequenti mense hujus anni. *Edictum*, inquit Honorius *quod per Africanas regiones clementia nostra direxit, per diversa proponi volumus, ut innoscescat Dei omnipotentis unam & veram fidem Catholicam, quam recta credulitas confitetur, esse retinendam.* De eadem accipienda & illa auctoris Consularium, quæ Idacio subdita. *Scilichone*, inquit, H. & *Anehemio*, Coss. *His Coss. inter Catholicos & Donatistas Unitas facta.* Unitas facta, id est: Unitatis Edictum, sive Hæreticum factum. Meminerunt & PP. Africani triennio post in Concilio Carthag. decimo a. 407. can. 99. Cod. Africani: *Unitatis* inquam, *Edictum* quod & illa verba ostendunt: *Una fit Catholica veneratio: una salus fit: Trinitatis par sibi congruens sanctitas expectatur.* Cujusmodi Edicta Græci *ἐνωτικὰ* vocant. Hujusmodi Honoriani Henotici pars est quoque l. 3. *ne sacrum Baptisma iteretur,* quæ

quæ proinde huic coassanda est. Quin imo & hujus Edicti partem facio eam legem, quam memorat Augustinus epist. 196. Quin huic Edicto de *Unitate* exequendo eadem die simul specialia ab Honorio mandata ad Hadrianum Præfectum Prætorio emissa fuere, quæ continentur l. 4. & 5. Cod. tit. *ne S. Baptisma iteretur*. Ac specialius adhuc mox peculiari ad Proconsulem Africæ lege Edictum istud suum per diversa proponi iussit l. 7. de *Religione*. Causam huic Edicto præbuere tum PP. Africani superiore anno 404. congregati, tum ea, quæ exinde a parte Donatistarum secuta sunt. PP. nempe Africani cum Donatistarum & Circumcellionum pertinaces spiritus & furorem, quos ad amicabilem a. 404. de Religione collationem invitaverant — quod liquet ex can. 91. 92. Cod. Afr. sive can. ultimo & penult. Concilli Carthag. 8. habiti superiore anno 404 — viderent, legatione ad Honorium Imp. missa, & unitatis studium commendarunt, & pœnas adversus Donatistas sanciri expetiverunt — quas utique sanctitas docet l. 4. & 5. — & adversus Donatistarum furorẽ præsidium deponere. ut plenissime eo can. 93. continetur, ubi inter cetera ajunt: *Donatistas pacifica collatione sprete ad immanes violentias conversos fuisse, ita ut multos Episcopos multos Clericos — ut de Laicis ræcamus — insidiis oppresserint, Ecclesias etiam aliquas invaserint, aliquas invadere pertentaverint. Et mox: Nota est enim, & sæpe legibus conclamata Circumcellionum, qua furunt, detestabilis manus: qua etiam ipsorum religiosissimorum supra Principum frequentibus sanctionibus condemnata est, adversus quorum furorem possimus non insolita, nec a scripturis S. aliena impetrare præsidia.* His addendæ & querelæ etiam privatæ Episcoporum, & in his Maximiani Episcopi Bagajensis, quæ ad Honorium Imperatorem eodem tempore perlatæ; de quibus Augustinus epist. 48. 50. ad Bonifacium l. 3. contra Cresconium cap. 43. l. 3. contra Julianum cap. 1. In Breviculo Collat. diei 3. cap. 11. Hinc igitur Honorius his compertis, quod ipsemet hoc edicto profiteretur, Edictum hoc promulgatum ivit, furori & errori Donatistarum cohibendis & seditionibus inhibendis. Hinc pœnæ propositæ l. 4. *Ne S. Baptisma*: firmatis in hac re anterioribus Constitutionibus frequentibus quas & ipsas PP. Africani ibidem memorant, suaque lege nuper promulgata.

*ibid.* laqueos non evadat.

His verbis intelligo multam pecuniariam decem librarum a Theodosio promulgatam, quæ antea statuta fuerat: id enim inter alia per *legis laqueos* intelligendum esse jam ostendi. Imo & severiorem pœnam comminatur, si turbæ convenerint. Certe PP. Africani eo; quo dixi, Concilio habito anno superiore, id ab Honorio petendum per legatos decreverunt, ut legem Theodosii, *quæ de auri libris decem in ordinatores vel ordinatos hereticos, sive etiam in possessores, ubi eorum congregatio deprehenditur, promulgata est, ita deinceps confirmari præcipiat, ut in eos valeat, contra quos propter eorum insidias Catholici provocati contestationem deposuerint.* De quo ipso est Augustini locus, qui id egregie explicat, epist. ad Bonif.

*pag.* 279. adtributæ libertatis præsidio defendantur.

Hoc adjectum videtur propter Crispinum Calamentem Donatistarum Episcopum, qui colonos quosdam mercede abstractos rebaptizaverat; de quo Augustinus Epist. 173. & contra litt. Petil. cap. 88. Hic interim casus aliis addatur, quibus servi & coloni pro præmio libertatem adipiscuntur.

*ibid.* non solum testandi sibi &c.

Hoc ad PP. Africanorum petitionem & legationem fancitum; sic enim illi in Commonitorio legatis dato: *Petendum etiam ut lex, quæ hereticis vel ex donationibus, vel ex testamentis aliquid capiendi vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum quoque pietate hætenus repetatur, ut eis relinquendi, vel sumendi jus adimat, qui pertinaciæ furore cæcasi in Donatistarum errore perseverare voluerint.*

*ibid.* nisi pravæ mentis errorem.

Ceterum illis qui consideratione unitatis & pacis — addunt PP. Africani — *se corrigere voluerint, absque interdicto hujus legis capiendæ jus hæreditatis pateat, si adhuc in errore heretico constitutis aliquid ante donationis vel hæreditatis obtulerint.* Limitatio tamen, a PP. addita: *His sane exceptis, qui lite pulsati putaverint ad Catholicam transendum: quia de talibus credibile est, non metu cælestis judicii potius, quam terreni commodi aviditate unitatem catholicam præoptasse:* Honorio displicuit A. 407. in l. 41. de Hæret. quæ hanc in rem est elegantissima & humanissima.

*ibid.* illos quoque par.

Rectoribus Provinciarum, officialibus eorum, Provincialibus,

bus, item & Defensoribus — quatuor hæc erant hominum genera in Provinciis, qui oppressis tuitionem præbere debebant, quosque vigilare oportuit, ne quid adversus leges admitteretur — hæc cura injungitur, ut postulatum a PP. Africanis in commonitorio. Tralatitium hoc & quidem eidem Honorio gemina germana lege ab eodem Honorio l. 40. de *Hæret.* similiter in negotio Manichæorum, Phrygum, sive Priscillianistarum usurpatum, ut & l. 45. eodem tit. & l. 46. similiter, ut iisdem injunxit, ut vim a Judæis & Gentilibus amolirentur in quiete degentibus l. 24. de *Paganis.* *Ex Gothofr.*

---

## LEX HONORII

de Edicto Unitatis per Africam proponendo.

pag. 280. Edictum quod de Unitate.

Intelligitur Henoticon missum ab Honorio in Africam adversus Manichæos & Donatistas hoc ipso a. 405. mense superiore febr. Cujus quidem pars est l. 38. de *Hæret.* & lex 4. *Ne S. Baptisma iteretur.* Ejusdemque mentio fit triennio post in Concilio Carthag. decimo A. 407. can. 99. Cod. Afr. Huic igitur Edicto exequendo ut eodem die simul specialia ab Honorio mandata ad Hadrianum P. Italiz (sub quo erat Africa) missa fuere, quæ continentur l. 4. 5. *Ne S. Bapt.* Ita uno mense post, Martio nimirum, peculiari hac ad Proconsulem Africæ lege, Edictum istud per Africam Honorius proponi jubet, quo omnibus innotesceret.

---

## LEX HONORII

qua multa statuitur in Donatistas.

pag. 282. pœnam debitam.

Multa auraria decem auri librarum Clericis Hæreticorum ministris a Theodosio M. imposita, A. 392. l. 22. hac Honorii filii ipsius Constitutione ad Donatistas Hæreticos, qui tamen se hæreticos negabant, ubicunque fatentes vel convictos expresse porrigitur: porrigitur, inquam nam hoc est illud; quod illis verbis indicatur: *legis tenore servata*  
*pœnam*



penam debitam absque dilatione persolvere decernimus: ut mirer, Baronium consignata hac lege, nihilominus scribentem, Honorarianam de multa auraria decem librarum persolvenda, constitutionem desiderari. Nos illud videamus, quibus gradibus ad hanc legem ferendam Honorius adductus fuerit. Primo quidem A. superiore 404. PP. Africani eo Concilio ita decreverant, ut haberetur can. 93. Cod. Afr. simul etiam petendum, ut illam legem, que a religiosa memoria eorum patre Theodosio de auri libris decem in ordinatores, vel ordinatos hereticos, sive etiam in possessores, ubi eorum congregatio deprehenditur, promulgata est, ita deinceps confirmari precipiant, ut in eos valeas, contra quos propter eorum insidias Catholici provocati contestationem deposuerint: ut hoc saltem terrore a schismatica vel heretica pravitate desciscant, qui consideratione aeterni supplicii emendari, corrigique dissimulant. Sequantur nunc loca Augustini hanc in rem: 1) Epist. 50. ad Bonif. comitem rei militaris de moderate coercendis hereticis. Antequam istae leges, quibus ad convivium S. cogantur intrare, in Africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram, quamvis Donatistarum rabies usque quaque saeviret, non esse petendum ab Imperatoribus, ut ipsam haeresin juberent omnino non esse, penam constituendo eis, qui in illa esse voluissent, sed hoc potius constituerent, ne eorum furiosas violentias non paterentur, qui veritatem catholicam vel predicarent loquendo, vel legerent constituendo. Quod eo modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur, si legem piissima memoria Theodosii, quam generaliter in omnes hereticos promulgavit, ut quisquis eorum vel Episcopus, vel Clericus ubilibet esse inventus, decem libris auri multaretur, expressius in Donatistas, qui se negabant hereticos, ita confirmarent, ut non omnes ea multa ferirentur, sed in quorum regionibus aliquas violentias a Clericis vel a Circumcellionibus, vel populis eorum, Ecclesia catholica pateretur, ut scilicet post protestationem Catholicorum, qui fuissent ista perpeffi, jam cura ordinum ad persolvendam multam Episcopi sive Ministri ceteri tenerentur. Ita enim existimabamus, eis terris, & nihil tale facere audentibus, posse libere doceri & generi Catholicam veritatem, ut ad eam cogeretur nemo sed eam qui sine formidine vellet, sequeretur, ne falsos & simulatores Catholicos haberemus. Et quamvis aliis fratribus aliud videretur, vel etate gravioribus, vel multarum

civi-

civitatum & locorum exempla curventibus, ubi firmam & veram Catholicam videbamus, quæ tamen ibi talibus beneficiis Dei constituta esset & firmata, dum per priorum Imperatorum leges ad communionem homines Catholicam venire cogerentur, obtinuimus tamen, ut illud potius, quod aucti ab Imperatoribus peteretur, decretum est in Concilio nostro, legati ad Comitatum missi sunt. Sed Dei major misericordia, qui sciret, earum legum terror, & quædam medicinalis molestia, quam pravis & frigidis animis necessaria, & illi duritiæ, quæ verbis emendari non potest, sed tamen aliquantula severitate disciplinæ potest, id egit, ut legati nostri, quod susceperant, obtinere non possent. Jam enim nos præveniant ex aliis locis quadam Episcoporum querelæ gravissimæ, qui mala fuerant ab ipsis multa perpassi, & a suis sedibus exturbati: præcipue horrenda, & incredibilis cædes Maximiani Episcopi Catholici Ecclesiæ Vaggiensis effecit, ut nostra legatio jam quid ageret, non haberet. Jam enim lex fuerat promulgata, ut tantæ immanitatis heresis Donatistarum, cui crudelius parci videbatur, quam ipsa severabat, non tantum violenta esse, sed omnino esse non siveretur impune. Non tamen supplicio capitali propter servandam etiam circa indignos mansuetudinem Christianam, sed pecuniariis damnis propositis, & in Episcopos vel Ministros eorum, exilio constituto. Et mox: Hinc ergo factum est, ut Imperator religiosus & pius perlati in notitiam suam talibus causis mallet piissimis legibus illius impietatis errorem omnino corrigere, & eos, qui contra Christum Christi signa portarent, ad unitatem Catholicam terrendo & coercendo redigere, quam severi tantummodo auferre licentiam, & errandi ac pereundi relinquere. Jam vero cum ipsæ leges in Africam &c. 2. Epist. 68. Crispinus judicatus hæreticus nec pena decem librarum auri, quæ in hæreticos ab Imperatoribus fuerat constituta, per mansuetudinem Catholicam feriri permissus est, & tamen ad Imperatorem appellandum putavit. Cujus appellationi quod ita responsum est, nonne vestrorum præcedens improbita & eadem ipsius appellatio extorsit, ut fieret, nec tamen etiam post ipsum Rescriptum, intercedentibus apud Imp. nostris Episcopis eadem auri condemnatione multatus est. Ex Concilio autem nostri Episcopi legatos ad Comitatum miserunt, qui impetrarent, ut non omnes Episcopi & Clerici partis vestræ ad eandem condemnationem decem librarum, quæ in omnes hæreticos constituta est, teneretur, sed hi soli, quo-

rum in locis aliquas a vestris violentias Ecclesia Catholica pateretur. Sed cum legati Romam venerunt, jam cicatrices Episcopi catholici Vagitanii horrendae ac recentissime Imperatorem commoverant, ut leges tales mitterentur, quales & missae sunt. 3. Epist. 169. ad Donatist. Et tamen cum Crispinus propter hoc factum in proconsulari judicio convinceretur haereticus, ejusdem Episcopi Possidii intercessu decem libras auri non est exactus. Cujus benevolentiae & mansuetudini ingratus, ad Imperatores Catholicos ausus est appellare. Unde hanc in vos iram Dei, de qua murmuratis, multo importunius & vehementius provocavit. 4. Lib. 3. contra Crescon. c. 47. Crispinus Episcopus vester exhibitus est, quod se esse Proconsuli quaerenti negaverat, facillime convictus haereticus, decem tamen libras auri, quam multam in omnes haereticos Imp. major Theodosius constituerat, intercedente Possidio non est compulsus exsolvere. Qua mitissima sententia non contentus, nescio quo consilio, quod displicuisse ceteris omnibus dicebatur, ad ejusdem Theodosii filios provocandum putavit. Acceptum est Rescriptum, quod pars Donati jam sciret se ad illam poenam aurariam cum ceteris haereticis pertinere. 5. Contra lit. Petil. l. 7. c. 83. Ipsa Catholica Ecclesia solidata Principibus Catholicis Imperatoribus terra marique armatis turbis ab Optato atrociter & hostiliter oppugnata est. Quae res coegit tunc primo adversum vos allegari apud Vicarium Seranium legem illam de decem libris auri, quas vestrum nullus ad huc pendit, & nos crudelitatis arguitis. 6. Epist. ad Crispinum ipsum 173. Nam possemus agere, ut decem libras auri secundum Imperatoria jussa persolveres. An forte propterea non habes unde reddas quod dare jussi sunt rebaptizatores dum multam erogas, ut emas, quod rebaptizes. Possidonius quoque in vita Aug. c. 12. Crispinus, inquit, Proconsulari & c. libellari, sententia est pronunciatus haereticus. Proque illo apud cognitorem catholicus Episcopus intercessit, ne auraria multa exigeretur, ei & beneficium impetratum, Unde cum ingratus ad piissimum Imp. provocasset, ab Imperatore relationi debitum est responsum solum, & consecutum Praeceptum, nullo prorsus loco Damatistas haereticos esse, & ad jura legum omnium contra haereticos latarum ubique esse debere. Ex quo & Jdex propter officium, & idem Crispinus, quod minime fuerat exactus, praecipiti sunt donas libras auri fisci juribus inferre.

re. Qui postremus Possidonii locus hujus legis sententiam & verba prope ipsa exprimit. Ait, *Donatistas hereticos esse.* Lex ipsa habet. *Donatistæ superstitionis hereticos, & l. 44. Donatistarum hereticorum.* Ait: *Nullò prorsus loco: Item utique ipsa lex: quocumque loci.* Ait. *ad jura legum omnium contra hereticos latarum ubique teneri debere,* lex ipsa ait: *legis tenore servato.* Denique ait: *præceptos, quod minime fuerant exacti, denas libras auri fisci juribus inferre.* In ipsa lege ait Honorius: *pœnam debitam absque dilatione persolvere decernimus.* Itaque jam dubium nullum, hanc esse Honorii legem, de multa decem librarum auri Donatistis hæreticis imposita, *Hæreticis inquam Donatistis.* Qua unica voce Honorius indicat rationem hujus legis, & cur multam a Theodosio M. patre in hæreticos generaliter latam, in Donatistas quoque proroget, quia & ipsi hæretici sint. Quod etiam ipse indicat Augustinus Epist. 50. ad Bonif. & Possidonius in Vita August. c. 12. *Quare & Donatistarum hereticorum idem Honorius dixit l. 44. & l. 41. hereticorum, sive Donatistæ, sive Manichæi sint, l. 46. ne Donatistæ, vel ceterorum vanitas hereticorum.* Quanquam proprie adhuc hac hereticorum voce Ministri, Clerici & Episcopi Donatistarum intelligi videantur. Neque enim omnibus Donatistis hæc pœna hac lege imposita; neque Donatistæ omnes multati, quod factum post demum l. 52. & 54. idque alia & alia pœna. Denique historia hujus rei sic habet. PP. Africani superiore anno decreverant, petendum ab Honorio, ut *multa illa auraria violentis tantum Donatistis & Circumcellionibus imponeretur.* Verum & Crispini provocatio & cicatrices Episcopi Vagitant id apud Honorium effecere, ut omnibus Donatistarum Clericis & Ministris fatentibus; vel convictis pœnam aurariam imponeret. Quanquam hoc ipso anno ante hanc legem, septem mensibus post legationem PP. Africanorum, severiorem longe ab Honorio pœnam Donatistis rebaptizantibus impositam, puta bonorum proscriptiois, docet l. 4. 5. *ne S. Baptisma iteretur. Gothofr.*

## LEGES HONORII

quibus pœnas adversus Donatistas aliosque hæreticos latas renovat.

pag. 283. admonitione pœnitentiæ.

Pœnitentibus sive conversis per Africam Donatistis & Manichæis, & similibus, hac Honorii Constitutione humana prorsus, & benigna, venia datur, pariter ut hoc ipso anno l. 40. *alioquin* circa filios tantum Manichæorum: non circa ipsos: pariter ut pœnitentibus & conversis Donatistarum fillis l. 4. *ne S. Baptisma*. Et hac quidem lege adeo pœnitentibus sive conversis venia datur, ut simplici confessione, quocunque tandem tempore, etiam executionis mox faciendæ, licet vel sera confessione conversis detur, licet inveteratum malum longa & diuturna meditatione nutriverint, inter ipsa quoque pericula, atque in miseriis ipsis invocato religionis subsidio. Neque quidquam interesse vult Honorius, de quo tamen vel maxime dubitatum videtur, sive ante leges a se in hæreticos latas, sive post eas latas ad hæresin prolapsi, conversi dein fuerint. Sera nempe nunquam est hæreticorum conversio ad evitandas pœnas hæreticis propositas. Ita, inquam, Honorius generaliter, & quoad evitandas pœnas, & ad abolitionem, ut loquitur. Quod omne velut singulare notandum est. Alioquin quoad lucrum emergens captandum, Concilio Carthag. 8. quod habitum A. 404, ante triennium, PP. Africanis aliquod temporis discrimen placuisse video: ut patet ex can. 93. Cod. Afr. *Ceterum, inquit, illis qui consideratione unitatis & pacis se corrigere voluerint, absque interdicto hujus legis, capiendæ hereditatis aditus pateat, si adhuc in errore hæretico constitutis aliquid ante donationis, vel hereditatis obvenit; his sane exceptis, qui lite pulsati putaverint ad Catholicam transeundum; quia de talibus credibile est, non metu cœlestis judicii potius quam terreni commodi aviditate Unitatem Catholicam præoptasse.*

Certe etsi Apostatis pœnitentibus venia proposita, attamen nonnisi Catechumenis Apostatis ea data, at non etiam iis, qui ex fidelibus sive competentibus, id est, post susceptum S. Baptisma in Apostasiam prolapsi, quorum flagitium pœnitentia non obliteratur, quæ sententia est l. 4. *de Apost.* quam Cujacius *Paratil. Cod.* nunquam intellexit. Suffrago igitur justæ pœnitentiæ quamlibet seræ, hæreticos ab-

solvi

solvi voluit Honorius. Neque dubium mihi, id ab Honorio constitutum, occasione Concilii Carthag. 10. quod hoc ipso A. 407. habitum fuit ante 6 ferme menses; pariter ut ad ejusdem postulationem, legem 34 *de Episcopis* dedit; quæ lex huic jungenda est, ut ad eam probatum est. Quod primum hujus rei præjudicium habeo. Alterum accedit ex Can. 99. *Cod. Afr.* Sane ut illæ plebes, quæ conversæ sunt a Donatistis, & habuerunt Episcopos, sine dubio, inconsulto Concilio habere mereantur: quæ autem plebes habuerunt Episcopum & eo defuncto voluerint non Episcopum proprium habere, sed ad alicujus Episcopi Diæcesin pertinere, non esse eis denegandum. Nec non & illud suggestum est, quod plebes ante legem Impm. de Unitate latam, quicumque converterunt Episcopi ad Catholicam, ipsi eas obtinere debeant: Verum a lege (post legem) Unitatis & deinceps, oporteat universas Ecclesias vindicare sibi Episcopos Catholicos eorum locorum, ad quos loca sub hæreticis partinebant, vel conversorum ad Catholicam vel non conversorum hæreticorum, & diæceses & si qua forte sunt instrumenta Ecclesiæ, vel ad ejus jus pertinentia. Qui vero aliqua usurpaverunt post legem, usurpata conventi restituant. Vides de conversis pariter agi, vides tempora, quæ hic miscentur, distinguui, puta conversionem ante legem de Unitate latam, & post eam latam.

ig. 284. manere decernimus.

Ferendarum harum legum hæc occasio fuit. Nempe Stilichone hoc ipso anno cæso, ante trimestre ferme, illico hæretici & pagani jactare cœperunt, leges adversus se latas de idolis confringendis, & hæreticis corrigendis, vivo Stilichone missas, ac nominatim in Africam, non ex voluntate Honorii constitutas, verum eo nesciente vel nolente, quod Augustinus disertis verbis scribit Epist. 129. ad Olympium comitem Magistrum-officiorum, cui superior lex inscribitur. Unde illas irritas esse putabant, & intendebant, pariterque cum ceteris Stilichonis actibus rescindendas. Quinimo & hac occasione in Catholicos insurrexere, vimque eis intentavere. Ideo & privatim & publice eas leges recentari ac confirmari Catholici illic petiere. Nempe PP. Africani hoc anno III. Id. Octob. legationem ad Honorium destinavere contra Paganos & Hæreticos: Episcopi privatim ad Comitatum profecti: Augustinus quoque privatim eo sine ad Olympium epistolam dedit, quæ hic tota legenda. Ex eo nempe liquet, de illis quas dixi,

Gentilium & Hereticorum post casum Stilichonem multitudine, de privatorum querelis & ad Comitatum profectio, de Legatis ex Africo mittendis ad Honorium admittendis, de celeritate exhibenda. Tam gravibus igitur querelis excitus, &, ut credere par est, Olympii studio, Honorius has leges promulgavit, confirmandis anterioribus suis legibus, Quamquam mihi mens ea, hasce leges non ad PP. Africanorum postulationem latas, utpote quorum Legatos serius ad Honorium pervenisse, Augustinus Epist. 179. ad Olympium testatur, verum latas ad privatas Augustini ipsius & aliorum querelas, quæ media hyeme, ut ipse Augustinus testatur, ad Honorium pervenerunt, & Legatos prævenerunt. Atque ipse Augustinus apud Olympium hoc instanter egit, ut negotium hoc diligentissima acceleraretur instantia, quacunque primitus exorta occasione maturaretur: neque illud ullo modo differendum, etiam antequam Episcopos, qui ideo profecti erant, videret, quam primum vigilantia potuerit accelerandum. Quare lex 46 demum sequentis anni initio ad PP. Africanorum postulationem emissa fuerit.

*ibid.* Cœlicolarum.

De his quinque vetera loquuntur monumenta l. 43. 44. de *Hæres.* Rubrica & l. 19. tituli de *Judeis* Cod. Theod. & Augustini Epist. 163. sive 44. edit. Bened. Ex his colligitur: Neque Judæos absolute, neque Samaritanos fuisse, utrisque tamen proximos, & affines cum inter hos mediis collocentur: Hæreticis item affines fuisse & in specie Donatistis, cum quibus circa Baptismum errarunt, & iisdem pœnis subjiciuntur, unde etiam titulus de *Judeis, Catholicis & Samaritanis* positus est ordine post tres titulos de *Hæreticis. Ne S. Baptisma iteretur. & de Apostatis.* Nam & hæc tria vel saltem affinia his conveniunt. Sub Honorio Imp. primum exortos hos Cœlicolas, docent ipsæ illæ tres leges. Nam quod Cœlicolarum mentio fit l. 3. *Col. Just. de Judeis*, quæ alioquin Constantinum M. auctorem habet, & desumpta est ex l. 1. h. t. de *Jud.* a mala Triboniani vel librarii manu est. Ortam esse hanc Cœlicolarum superstitionem in Africa, docet præter easdem Honorii Constitutiones Augustinus sub finem Epistolæ citatæ. Dicuntur generaliter inclaruisse novo dogmate, novo superstitionis crimine, nova, atque inusitata audacia: Christianos se simulasse: Catholicorum Communionem refugisse: Catholicæ sectæ contrarium, adversum tentasse: a

fide

fide Christianorum discrepasse: peculiare a Catholicis conventus habuisse. Specialius eorum religio vocatur *sæva*, ut proinde atrox crimen fuerit: necesse sit, quare & pestem & contagionem vocant eam leges, ac atrocibus pœnis infestantur. Opponitur Dei cultui, & venerationi christianæ. Circa Catholicæ fidei sacramenta hanc superstitionem versatam pariter ut Donatistarum hæreticorum, dicunt illæ leges, ubi tamen Sacramentorum vox pro articulis; ut loquuntur, quibuscunque fidei Christianæ accipi possunt. Augustinus vero nominatim circa *Baptismum* eam versatam d. l. ostendit. *Jam miseramus*, inquit, *ad Majorem Cœlicolarum, quem audieramus novi apud eos Baptismi institutorem extitisse, & multos illo sacrilegio seduxisse.* Quare & Donatistæ & Cœlicolæ ejusdem criminis & hæreseos circa Baptismum videlicet rei fuere, qua causa & conjunguntur & crimine & pœnis. Neque enim audiendus est Filescus, *Selectorum* 12, qui ita Augustini verba accepit, quasi Major Cœlicolarum ille apud Donatistas, & inter eos novum induxisset Baptismum. Præterea alio etiam modo impigisse in Dei Christique cultum, suadent hæc legis 19 *de Jud.* verba: *Nisi ad Dei cultum, venerationemque Christianam conversi fuerint.* Cœlicolas dictos fuisse nonnulli arbitrantur, a cultu cœlestis Deæ. Petrus II. Var. pag. 178. suspicatur. ob immutatam Baptismi figuram, nempe quod contra præceptum Christi, quo baptisari jussit *in nomine P. F. & Sp. S.* Cœlicolæ baptizaverint *in nomine Cæli.* id est, Dei, qui per Cælum intelligitur; vel etiam, quia Deum colerent, *ut ab eo cœlitus* præceptum fuerat per Moysen, & simul secundum novi fœderis, & Evangelii præcepta. Et addit quædam isti conjecturæ firmandæ. Forte ita dicti a *Cæli*, vel *Dei Cæli* cultu: quasi media quadam sententia & dogmate inter Judaismum & Christianismum, statuerent non Jehovam, aut Christum, verum *Deum Cæli* invocandum, miscella religione, conflata ex Christiana & Judaica, forte & pagana. Ut proinde de his jam vere dictum fuerit, (quod olim de Judaica religione ipsa in universum falso a Strabone, Diono & Juvenale: *Quidam sortiti metuentem Sabbathæ Patrem. Nil præter nubes & Cæli Numen — est qui legat, Lumen — adorant:* ubi vetus scholiastes: *Nuda contemplatione colentes.* Petronius in catalectis: *Judeus licet & porcinum numen adoret, & cæli summas advocet auriculas —* quanquam sunt, qui ibi legant non *cæli*, verum *cilli* καλ-



λαι, Dorice idem cum 'αιος, indeque κλαυτης agaso — quod quidem de Judæis in commune olim proditum. — Alii quidam arbitrantur, ut Seldenus de *Jure nat.* l. II. c. 1. quod solemnī Judæorum locutione Numen sanctissimum, quod solum volebant adorandum, Schamaim, id est cœlum, sit nuncupatum: uti & in fœdere novo Math. 21, 35. Luc. 15, 18. *Peccavi in Cœlum*, per metonymiam scilicet continentis pro contento; unde intellecta male vox hic in causa fuit, cur Numen illis esse Cœlum, gentes dicerent. Scimus sane, Judæos aliquando militiæ cœlesti aras erexisse & dedicasse, quos etiam Sophonias & passim Prophetæ ob hanc idololatriam reprehendunt, quod eorum Proseuchæ essent. ἐν ὑπαίθρῳ ἀγοί, sive preces funderent sub dio in aperto. Vide Epiphanium in *Messaliana heresi.* Tertullianum de *Pudicitia* c. 16. *Cum omissis*, inquit, *templis per omne litus, quocunque in aperto, aliquando jam preces ad Cœlum mittunt.* Cujus rei ratio repetenda ex I Reg. 8. vide etiam exemplum in Daniele cap. 6. Ita Jacobus, quia verum Cœlorum Deum adorabat, ideo forsan ὀψιπρανιος est dictus Philoni Bibliensi apud Euseb. de Præp. Evang. l. 1. Sane & Sophonias c. 1, 5. Judæos olim reprehendit, quasi militiam cœli colentes. Tandem & Cœlicolas synopsis Basil. & Paratitla, Græca τῶν ὀψιπρανιῶν εὐσεβειῶν vertunt. Sed tamen cum his Cœlicolis nihil commune habent illa Juvenalis & Petronii loca, præsertim, cum Cœlicolæ exorti primum sint sub Honorio Imp. Quanquam nec audiendi sunt, qui rem hanc ita expediunt: Olim quidem Judæos accusatos, quod cœlum eosque qui in cœlo sunt, Angelos venerarentur, quod Celsus his obtrecebat apud Origenem contra Celsum; Origenes vero negabat, dicens, hunc morem fuisse, παρὰβαντικὸν τῷ νόμῳ. Igitur putant illi, fuisse alios Judæos, qui de illa, in quam majores eorum sæpe ceciderunt, superstitione, multum retinebant: forteque illos esse, quos in *Ægypti* descriptione ΜΩΝΥ vocat Benjaminus Tudelensis: absque his ortum habuisse videri Elcesaitas & Sampsæos, quorum meminit Epiphanius. Ex his tandem conficitur, Judaica & Christiana religione commixtam fuisse superstitionem, denique miscellam: & ipsa procul dubio Judæos, sacramentis Ecclesiæ Catholicæ perturbatis, sic tamen, ut se Christianos simularent. Ex quibus simul apparet, Cœlicolas non fuisse, quod Baronius etc.

credidit, eos qui ex Christiana fide ad Judaismum transibant, & sic Apostatas non fuisse. Nam & de his alioquin titule de Apost. actum oportuisset; neque enim peculiari nomine, & hoc quidem, quo nihil tale indicatur, ad eos designandos, opus fuisset; neque *novum dogma* id recte diceretur, aut *novum crimen superstitionis*, cum Judaismus non esset dogma novum, aut novum crimen superstitionis. Tandem Cœlicolas aperte separat a Judæis titulus hic. Neque quidquam facit, quod Baronius addit, ideo Cœlicolas potius dici se voluisse, quam Judæos, ut judaicum tantum nomen, cunctis abominabile evitarent. Id enim est, quod negatur. Et tamen Judæis proximos fuisse hinc liquet. Rursum liquet, neque Gnosticos hos fuisse, aut Saturnianos, qui innumeris cœlis non sine ænigmate, sicut, supremum eorum Deum O. M. nūgabatur. Utraque quippe hæresis sub Honorio nova, & inaudita non fuit, verum ejus tempora longe antevertit. Imo liquet, neque Christianos fuisse, neque Hæreticos proprie. Error enim est *Variarum Lectionum* scriptoris, qui *Hæretico-Judeos*, vocari scripsit l. 44. de *Hæres.* interpuncta male lege illa. Quæ non Judæi hæretici, sed Donatistæ hæretici vocantur. Nempe, quod latuit virum doctum, ideo *Hæreticorum* nomine Honorio visum est ea lege Donatistas donare, pariter ut tribus aliis legibus, eod. tit. quo scilicet legem in Hæreticos promulgatam ad Donatistas hæreticos expressius extenderet. Igitur tandem conjicere datur, Cœlicolas fuisse, quasi inter Judæos & Christianos medios, sive eriscundos. Deum Cœli, & utriusque legis Sacramenta adsciscabant, circumcissionem & Baptismum, unde & *novus Baptismus* eis tribuitur. Tandem Mahomedismo proxima superstitio fuit. Ab his quoque non multum differre videntur *ψισταγοι*, quibus *Omnipotens solus venerations dignus est*; de quibus Gregorius Naz. orat. 19. & in ejus vita, Gregorius Presbyter, quorum sectam absurdum ait coagmentum fuisse *ουισταγοις* ex duobus inter se contrariis, puta ex Gentili errore, & legali vanitate, quarum utriusque partes quasdam fugiens ex partibus nonnullis conflata erāt, Etenim illorum idola, & sacrificia rejicientes, ignem & lucernas, inquit, dolunt: horum autem Sabbathum, id est *jejunam quandam a nonnullis cibis abstinentiam venerantes, circumcissionem aspernantur.* *Hypstarii* quasi diceret, *supremicola*. Sic & Nazæeorum hæresis miscella fuit, qui volebant esse Judæi &

Christiani. Nam & Dei filium confitebantur esse Christum; & omnia veteris legis observabant, & circumcisionem Judæorum habebant, simul & Baptismum Christianum, ut testantur Augustinus & Hieronymus. Illud admonere operæ pretium est, *Cælicolas* a Cæli *cultu* dictos aliter atque *Dii Cælicolæ*, a Cæli incolatu. Salmasii sententia non placet, qui putat Judæos omnes *Cælicolas* appellatos, quod in *profuebis* sine teste ad Cælum manus tollent: postea- que notat, hoc peculiariter Samaritania, sive uni generi Judæorum adhæsisse, qui in solis *profuebis* sub dio patentibus semper orarent. Tandem Sampsæi, de quibus Epiphanius hæc. 53. cum his aliquid commune habebant. Sampsæi enim ἡλιακῆς, ἡλιαζῶντες, soliculi sic dicti, quod solerent orientem solem adorare, elque ut facilius orire-  
 rent, patria vota funderent. Vid. Joseph. de B. J. IX. 12. & Epiphanius hæres. Offensor. 19. n. 2. *Gorbofr.* ad l. 19. Cod. *Theod. de Judæis &c.*

*ibid.* Dat. Rom.

Id est reddita, proposita Romæ. Nam hoc tempore Honorius Rayenna consistebat, ut præter Chronologiam Cod. Theod. docet & Zosimus.

*ibid.* Donatistarum hæreticorum.

Junctim hæc legenda. Nempe Honorius Theodosii patris sui legem generalem in Hæreticos latam extendens, rationem hac voce reddere voluit, cur in Donatistas quoque eam extendat, quia & ipsi hæretici sint; quare & similes formulæ in aliis Honorii constitutionibus occurrunt; quibus omnino respondent, quæ Augustinus scribit Epist. 50. ad Bonifacium & Possidonius in *Vita August.* c. 12. Quare error est Petri, qui *Hæreticorum* vocem cum voce *Judæorum* hic conjungendam putavit, quasi hic indiceretur Cælicolas Judæorum hæreticos fuisse.

*ibid.* supplicium.

Supplicio igitur Honorius Hæreticos Donatistas affici, ac nominatim l. 44. jubet, qui ipsis Catholicis vim & mortem per hæc tempora intentavere, nonnullis etiam Episcoporum per Africam necatis: cujus Proconsul Donatus, cui lex illa inscribitur. Et Augustinus tamen epistola peculiari ad hunc ipsum Donatum Procons. Afr. Donatistas coerceri, non occidi, enixe ab eo postulavit, ubi inter alia hæc observentur. *Unde ex occasione terribilium Judicium, ac legum, ne æterni judicii penas incidant, corri-*  
 gi

gi eos cupimus non necari, nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis, quibus digni sunt, exerceri. Sic ergo eorum peccata compeſce, ut sint, quos poeniteat peccavisse. Quasumus igitur, ut cum Ecclesie causas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel afflictam esse cognoveris, potestatem occidendi te habere, obliviscaris, petitionem nostram non obliviscaris . . . Cito interim per Edictum Excellentie tue noverint haeretici Donatistae, manere leges contra errorem suum latas, quas jam nihil valere arbitrantur, & jactant, ne vel sic nobis parcere aliquatenus possint. Plurimum autem labores, & pericula nostra, quo fructuosa sunt, juvabis, si eorum vanissimam & impiae superbiae plenissimam sectam non ita cures, Imperialibus legibus comprimi, ut sibi vel suis videantur qualescunque molestias pro veritate, atque justitia sustinere. Sed eos, cum hoc abs te petitur, rerum certarum manifestissimis documentis, apud Acta vel Praestantiae tuae, vel minorum Judicum convinci atque instrui patiaris &c.

*ibid.* lex 45.

Non inani conjectura ducor, huc legi conjungendam videri legem 39. de Episc. & leg. 7. Cod. de Episcopali audient. Quod si ita est, tum ex his tribus legibus inter se conjunctis id efficiatur, Honorium in commune id modis variis egisse, ut sua constaret Episcoporum Catholicorum judicio reverentia, sive ipsam spectes doctrinam, sive conventus eorum, sive cognitionem & audientiam. Ceterum mendum irrepit, ut loco *coitionis*, scriberetur *cohibitionis*, quod corrigendum.

*ibid.* Qui ab Ecclesiae catholicae sacerdote diffidet.

Id est, qui separatos ab Ecclesiae catholicae Episcopo coetus agunt, spreto Unitatis studio, quae Ecclesiae Catholicae nota, & ad quam invitati ante triennium Haeretici l. 35. Neque dubium, ad eosdem Donatistas hanc legem pertinere, quibus bellum agentibus, tot legibus occurrere Honorius necesse habuit. Ergo haeretici censentur, qui ab Ecclesiae Catholicae Sacerdotibus dissentiunt, & illicite coeunt: atque adeo Haeretici ad Sacerdotum Ecclesiae Catholicae Communionem reducuntur: quo pertinent quoque l. 2. 3. de fide cathol. l. 63. h. tit. l. ult. de his quae religione cont. Et recte, cum, ut hic dicitur, Ecclesiae revera Catholicae Sacerdotes sint: & norma hic secundaria respondet normae principali.

*ibid.*

*ibid* Oraculo penitus remoto.

Hoc est illud ipsum Edictum, hæc lege infirmatum, cujus meminere PP. Africani, hoc ipso anno 410. ante bimestre, & quod excurrit: cujus hæc verba sunt, ut habetur *Cod. Ecel. Afr. Post Consulatum gloriosissimorum Imp. Honorii VIII. & Theodosii III. A. A. XVIII. Kal. Jul. Carthagine in Basilica regionis secunda. In hoc Concilio legationem susceperunt contra Donatistas Florentius, Possidius, Præsidius & Benenatus Episcopi eo tempore. quo lex lata est, ut libera voluntate quis cultum Christianitatis exciperet.* Quæ verba Balsamo perperam intellexit, eodemque traxit, quo duodecimum canonem Neocæsariensem. At enim Patrum hæc mens est paullo ante latam ab Honorio legem, quæ Hæreticis ac Donatistis rituum suorum exercendorum copia facta fuerat. Et hoc est illud oraculum, quod hæc lege memoratur, simul & abrogatur. Et sane ipsemet Honorius duobus ferme post mensibus, in *Mandatis* suis Marcellino Tribuno & Notario ad Carthaginensem Collationem destinato, quorum pars est l. 3. *de Relig. datis*, utriusque legis meminit, & hujus, & illius simul, & hanc confirmat, *Nec sane laetet, inquit, conscientiam nostram sermo Cælestis Oraculi, quem errori suo posse proficere sava Donatistarum interpretatio profitetur, qui, quamvis depravatos animos ad correctionem, mitius invitaret, aboleri, cum tamen etiam ante, (nempe hac lege) jussimus, ne qua superstitionibus præberetur occasio. Nunc quoque excludendam surreptionem, simili auctoritate censemus; illudque merito profitemur, libenter ea, quæ statuta fuerant, submovere, ne in divinum cultum nobis se quisquam auctoribus æstimet posse peccare; ut habetur in actis Coll. Carthag. Quare & in l. 3. *de Relig.* quæ & ipsa pars est mandatorum, quæ dixi, *novella subreptio* cujus ibi mentio fit, est illud ipsum oraculum, quod ut hæc lege, ita & prædictis infirmatur. Ceterum hæc lex, ut indicio sunt superiora e *Codice Afr.*, atque ipsa insuper temporum ratio, ad PP. Africanorum postulationem lata videtur. Honorius scilicet & extremis superioris anni 409. & primis hujus anni mensibus, in Hæreticos remissior fuerat, ac nominatim Donatistas, quorum depravatos animos ad correctionem mitius invitandos crediderat, ut ipsemet superiore loco ait. Quin imo & in Paganos: nam & Zosimus l. 5. pag 821. legem, qua Catholicæ sectæ inimici, id est, ut Hæretici & Pagani, intra palatium mili-*

tare

tare prohibiti fuerant (& sic l. 42. supr.) eo quo dixi, tempore, abrogatam testatur. Conjicit etiam Baronius causas utriusque legis per Africam: Nempe priorem illam, quæ hic abrogatur, ab Honorio ipsa rerum necessitate extortam, ne alloquin Donatistæ tot legibus exasperati, a partibus Attali Tyranni starent, qui Africam tentaturus videbatur; cum autem periculum illud cessasset, Attalo videlicet exauctorato, ad PP. Africanorum petitionem eam hac lege abrogatam. Quod valde probabile facit præter ipsam temporum rationem *Heracliani comitis Africa* nomen, cui hæc lex inscribitur. Nempe hic ille Heraclianus est, adversus quem Honorii partes sectantem, atque Africam sub Imperio Honorii retinentem, Attalus Tyrannus Constantinum cum exercitu in Africam superioris jam anni sine misit, Africæ potiundæ spe, tanto terrore & timore Honorio Imp. injecto, (quem ipse etiam quodammodo prodit l. 1. *de terris limit.*) ut, si Africana hæc expeditio, Attalo feliciter cederet, Imperio cedere, atque in Orientem fugere in animum induceret. Verum hic ab exercitu Heracliani mox cum suis interfectus. Eo acrius Heraclianus Africam tueri cœpit, littorum & portuum Africæ custodibus admotis, atque annonam Romanam subvehi vetuit. Unde Romæ fames exorta. Mox Attalo Imperium ab Alarico abrogatum, ut memorant Zosimus l. 6. p. 827. 828. 829. 830. & Sozomenus l. 9. c. 8. Repetita porro hæc lex A. 416. totidem verbis, nonnullis tamen auctior l. 56. In utraque lege notanda est pœna *sanguinis*, quam Honorius comminatur illicitos cœtus agitantibus Hæreticis: nempe id ita in animum induxit suum, post frequentes Hæreticorum conatus, obreptiones, factionesque. Alioquin in Hæreticos pœna sanguinis haud adeo sancita, nisi in detestabiles & execrabiles nonnullos. Errat certe vir doctus, qui hac lege pœnam proscriptionis & sanguinis impositam successive ait, puta, ut primum Hæretici proscriptione plectantur; quam pœnam si contemserint, deinde pœna sanguinis plectantur: nam utraque pœna simul hic imponitur verbis Constitutionis. Intendit porro hac lege Honorius pœnam in Donatistas, quod mitioribus Edictis invitati, vel pœnis etiam affecti, furorem suum quotidie auferent, & exererent; unde valido metu opus visum. *Gosbofr.*















